



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens I. & II. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Missalis  
- Cum Præfatione seu Præmonitione necessaria Bibliopolæ ad Lectorem

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

Pars Prima Continet Rubricas generales primi ordinis & Titulos XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40113**



NOVÆ OBSERVATIONES ET ADDITIONES  
AD  
GAVANTI COMMENTARIA  
IN RUBRICAS  
MISSALIS ROMANI.

P A R S P R I M A.  
RUBRICÆ GENERALES MISSALIS.

Observationes Præliminares in Rubricas generales.

I. **G**AVANT. pag. 1. col. 2. lit. a *Et leges ipsa antiquissima &c.*) Ab ipsomet titulo Rubricarum generalium defumit doctissimus Gavantus suorum Commentariorum initium, & postquam sapienter Rubrica nomen expendit, easdem Rubricas optimè asserit esse ipsas Missalis leges, & quidem antiquissimas; & reverà aliquas etiam, non verò omnes, à primis Ecclesiæ temporibus institutas, veterum Patrum, Apostolorum auctoritate pariter comprobatas esse, colligitur ex Conc. Trid. Sess. 22. cap. 5. ubi ait: in Missa Ceremonias adhiberi, ut mysticas benedictionis, lumina, thymianata, Vesse, aliaque id genus multa, quæ ex Apostolica disciplina, & traditione derivant. Colligitur eadem veritas ex nonnullorum Patrum auctoritatibus, præsertim verò ex S. Justino Martyre, & id optimè observat Theodoricus Gavant. Rubr. Miss.

Ruinart inter acta sincera Martyrum in admitione ad ejusdem S. Julini Martyris acta n. 10. ubi ait: quòd ex illius scriptis præcipuorum Sacra Religionis nostræ Mysteriorum veritas confirmatur, Sacramentorum Ritus, præcipueque liturgiæ Sacra partes exponuntur; & ex inferiùs à nobis dicendis eadem veritas magis comprobabitur. Prædictas autem Ceremonias, & Ritus, temporis processu, à Pontificibus auctas, & restitutas, vel contractas, Ecclesia semper retinuit, & ad posteros transmisit, quæ in nostris Missalibus adhuc perleguntur, additis tamen aliis, quæ de novo instituuntur, officiis, immutatisque aliis, prout locorum, & temporum varietas postulavit, qui in usu erant, Ritibus, & Ceremoniis. Nemo quippe inficari potest, adesse in Ecclesia potestatem de novo instituenti, veteres abrogandi leges, quas Rubricas  
A                      appel-



appellamus, prout Ecclesiae majestati, & utilitati, ab eadem Ecclesia divinitus illustrata congruum judicatur. Praefata Rubricae Missalis dividuntur in Praeceptivas, & Directivas, de quibus late Gavantus agit part. 3. tit. XI. & cum eodem etiam nos ibi disseremus.

Materia, circa quam versantur praedictae Missalis leges, sunt Ritus, & Ceremoniae servandae in celebratione Missae, idque patet, quia in his praescribendis, & explicandis, omnes Rubricae Missalis versantur. Ceremonia, quae est actio sancta cum exteriori Religionis cultu, hoc nomine appellatur etiam apud Gentiles.

Circa hujus nominis Ceremonia Etymologiam, variae sunt Auctorum opiniones. Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 3. censet Ceremonias à carento dictas fuisse; idem existimat S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 37. quorum auctoritates referuntur à Doctissimo Viro Josepho Vicecomite Ambrosiani Collegii Doctore lib. 1. de Antiquis Baptismi Ritibus cap. 2. Joachimus Camerarius problemate 4. decur. 3. in Disputat. de quorundam rominum orig. Cerimoniam, veluti gerimoniam à gerendo derivatam credit, ut indicentur ea, quae in Sacris, sollempni Ritu, geri debent. Quamquam & alterum ibidem etymon addit, ut sit à Caritate. Alii volunt Ceremonias dici à Cerere, ita Angel. Cont. adverten. 3. ex S. Thoma relatus à Turrino in Direct. Sacrificiant. cap. 1. quasi Cereris munia, sive dona, quia antiquitus primae oblationes, quae profectò sunt Ceremoniae, Cereri fiebant ex primitiis frugum. Josephus Scaliger relatus à Vossio v. Ceremonia censet Ceremonias dici ab antiquo vocabulo Carus, id est Sanctus; unde in Saliari Carmine Cerus manus, id est Sanctus, bonusque. Ita à Cerus erit Cerimonia, ut à Sanctus Sanctimonia, à Castus Castimonia, à Cultus Cultimonia; Qua voce, idem, Tertullianum uti, arbitratum lib. de Pallio cap. 4. circa fin. Alios Auctores idem sentientes indicat Jacobus Pontanus vol. 2. Progymn. latin.

annot. in Progymnas. 24. A praefatis omnibus longè discrepat Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. ubi Ceremonia originem ad Care oppidum Thusciae, non longè à Tarquinis situm, referri oportere arbitratur, hac occasione, quod Romà à Gallis captà, cum Flamen Quirinialis, & Virgines Vestales, omnia rerum suarum curà, Simulacra Deorum ab Hostibus erepta, inter se onere partito traducerent, ad praedictum oppidum primum devenerunt; ubi quia benigne, ac humaniter hospitio susceptae fuerunt, Romani gratà memorià praestitit, ut omnis Divinus Cultus, atque Religio Ceremonia à Care vocarentur. Idem narrat Florus lib. 1. cap. 3. & ante hos Livius lib. 7. cap. 1. ubi idcirco Care appellat Sa rarium Populi Romani, Diversorium Sacerdotum, ac re spectaculum Romanorum Sacrorum. Idem scribit Festus de verb. significat. Hanc ultimam sententiam praeter alios supra relatis sibi probari scripsit Josephus Vicecomes loc. supracit. cui subscribendum esse crediderim, cum sit haec opinio caeteris probabilior: & equidem quamvis aliquot Ceremoniae in carento positae sint, nemo tamen de Ceremoniis liturgicis ac aliis id affirmare poterit; sicut è contrà, quia multae in abstinento sitae sunt, consentaneum non est, eas à gerendo dictas fuisse. Commentitium pariter est Caritatis, aut Cereris nomen adducere, ad investigandam Ceremoniae Etymologiam, cum nihil in eo praeter vocis similitudinem invenire possimus. Cerei autem vocabulum licet Sanctum significet; non ideo tamen putandum est, ab eo Ceremoniae nomen oriri; cum multi Romani Scriptores exterorum vocabulis uti non consueverint, quia propriis abundabant. His permotus rationibus, rejecit dictas sententias, & postremam, quam adduxit, amplexus est laudatus Vicecomes, optimè subdens: quòd si opponatur, non videri usquequaque verum, Ceremoniarum vocem ab oppido Care advectam esse, quia hoc vocabulo utuntur etiam Divini Scriptores in Sacris paginis, quae profectò ante Romam

mam



nam captam exarata fuerunt, facile huic exceptioni occurrere potest; Sacra siquidem literarum volumina Hebraico Charactere, ac lingua scripta fuerunt; unde Ceremoniarum nomen in ipsis primigenio idiomate non reperitur expressum; sed Interpretes, qui postmodum eadem Sacra Monumenta latino idiomati reddiderunt, retinentes ejusdem rei significationem, *Ceremonia* vocabulo uti sunt: & equidem id intellexit Divus Augustinus *loc. supracit.* quando dixit, quod *Ceremonia* nomen non est in usu literarum Sacrarum, nimirum in primigenio idiomate eandem scripturarum. Super ejusdem nominis etymon alii quoque Auctores conscripserunt; præsertim verò omni laude commendandus Card. Bona *lib. de Divin. Psalm. cap. 19. §. 3.* noster Franciscus Magius, in sacris ceremoniis, & rebus Asceticis eruditissimus, in suo opere *de Divin. Offic. & Choro, opusc. 2. disquisit. 1.* qui non solum prædicti nominis originem, sed etiam Sacrarum Ceremoniarum efficaciam, & utilitatem ad divinum cultum explicant. Super ejusdem nominis etymologia videri possunt etiam Pitiscus in Lexico Antiquitatum Romanarum v. *Ceremonia*, necnon Macrius in suo Hierolexico v. *Ceremonia*.

Diximus supra, materiam, circa quam versantur Rubricæ, esse Ceremonias, & Ritus. Quid veniat nomine Ritus, prout distinguitur à Ceremonia, non conveniunt Doctores. Macrius *loc. cit.* vult Ceremoniam esse ipsam actionem Sanctam, qua Divinus Cultus peragitur; Ritus verò esse modum, quo actio ipsa sacra facienda est. Cardinalis autem Bona *loc. cit.* pariter supracit. docet, Ceremonias proprie loquendo esse Ritus Sanctos in Sacrificiis, & Divinis Officiis ad Dei cultum adhibitos. Noster verò Paulus Quarti in suis *Commentariis in Missalis Rubricis quest. præmiali sect. 1. punct. 2.* ait Ceremoniam communiter sumi pro ritu accidentali, eamque sic describi posse: *Est actio Religiosa ad cultum, & decentiam*

*Sacrificii ab Ecclesia instituta.* Hanc etiam definitionem tradit Suarez ab eodem allegatus. Ad perfectam intelligentiam hujus definitionis sciendum est, Ritus Missæ dividi communiter in essentielles, & accidentales, qui pertinent ad ornatum ejusdem Sacrificii, & possunt esse de necessitate præcepti, non verò Sacramenti. Ritus essentialis Missæ est à Christo institutus, & consistit in Consecratione utriusque Speciei, vel etiam Communione Sacerdotis celebrantis, ut tenent nonnulli Theologi, & ut explicat idem Quarti in *appendice* sui operis. Ritus verò accidentalis consistit in actionibus, & precibus, aliisque circumstantiis ab Ecclesia adjunctis, quæ dicuntur Sacramentalia, & Ceremoniæ Sacræ, ut videre est apud Bellarminum *lib. 2. de Sacramentis cap. 29. & seqq.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 15. sect. 1.* Averfam. *de sacrific. quest. 11. sect. 12.* & Molphel. *Sum. tract. 3. cap. 12. num. 26.* Ex dictis patet, Ceremoniam sacram confundi cum ritu accidentali, non autem convenire cum ritu essentiali: Ceremonia enim minus latè patet, quàm ritus; cum ritus quamcumque circumstantiam ad Missæ sollemnitatem requisitam, sive ab Ecclesia, sive à Christo institutam; sive essentialem, sive accidentalem significet; Ceremonia autem nihil aliud significet, nisi ritum accidentalem ab Ecclesia præscriptum.

Procedit Quarti ad dividendas Ceremonias in eas, quæ sunt intrinsecæ ipsi Missæ, & partes ejusdem, & consistunt, dicit ipse, tum in verbis, tum in gestibus Celebrantis, de quibus latè Suarez *disp. 83. & 84.* & in eas, quæ sunt circumstantiæ extrinsecæ ejusdem Sacrificii, ut locus, tempus, vasa, & vestimenta Sacra &c. Dicit præterea, quòd illæ Ceremoniæ, quæ consistunt in gestibus, quædam inductæ sunt propter decentiam operandi, nec habent aliam significationem, e. g. quòd Sacerdos,



dum signat seipsum, ponit sinistram sub pectore; & alia inducta sunt propter significationem moralem, vel mysticam, v. g. mixtio aquae cum vino, digitorum ablucio, Crucis signa, de quibus Divus Thomas 3. part. quest. 83. art. 4. & 5.

Verum, pace tanti Viri, ego distinguerem Ceremoniam Sacram à Ritu, dicendo, Ritus Sacros consistere in illis precibus, Epistola, Evangelio &c. quae juxta Ecclesiae dispositionem recitari debent in Missa; Ceremoniam autem consistere in solis gestibus, quibus praedictae preces juxta ejusdem Ecclesiae praescriptum peragi debent ad majorem ornatum, & decentiam Sacrificii, quod celebratur: & reverà Ceremonialia, seu libros Ceremoniarum vocamus illos, qui non orationes, & preces dicendas praescribunt, sed modum, quo illae dicendae sunt; è contrà Rituales nuncupamus illos, qui continent preces, seu alias Orationes, quas recitandas praescribunt.

Ritus, quoniam in verbis regulariter consistunt, vel sunt partes Missae ordinariae; quia scilicet semper ingrediuntur ejus compositionem; vel sunt extraordinariae, sive mobiles; quia non semper ejus compositionem ingrediuntur, sed ad majorem quandoque adduntur sollemnitatem, atque ornatum.

Partes ordinariae sunt: Sacerdotis in Missae principio *Confessio generalis, Introitus, Oratio, Epistola, Graduale*, vel ejus loco, ut tempore Paschali, *duo versus cum quatuor Alleluja, Evangelium, Offertorium, Praefatio &c.* Extraordinariae verò sunt *Psalmus Judica, Gloria in excelsis, Sequentia post Epistolam, Tractus, Credo, Communicantes propriam &c.* Et verba, quae adduntur in quibusdam Missis Sollemnioribus Feriae V. in Cena Domini, Sabbati Sancti, infra octavam Paschae, Pentecostes, ac ejus vigiliae, ad Orationem *Et tunc igitur oblationem &c.*

Ex partibus ordinariis, quaedam sunt notabiles, seu principales, aliae verò modicae, & minus principales. Notabiles sunt Missae initium, sacerdotis videlicet *confessio generalis cum precibus annexis, Epistola, Evangelium, Hostia, & Calicis oblationis cum formis verborum*, quibus persolvuntur, *Praefatio Missae, anon*, imò juxta communioem lententiam *singula ejusdem Canonis verba, Oratio Dominicalis post Canonem, Oratio libera nos*, verba, quae dicuntur in fractione Hostiae, & commixtione particulae cum Sanguine, trina *Agnus Dei* repetitio, Orationes ante Communionem, & *Domine non sum dignus*. Modicae verò partes ordinariae sunt *Populi salutatione, Graduale*, vel ejus loco duo versus cum quatuor *Alleluja*, Antiphona, quae *Offertorium* dicitur &c.

H. Gavant pag. 2. col. 1. lit. b. *Ordo Burchardi Vere in initio Missae primùm dicitur in lucem editus anno 1542*) Ita opinabatur praclarissimus Gavantus, sed reverà Ordo Burchardi neque primùm editus est anno 1542. neque tunc primùm Missali praefixus; nam reperitur impressus in initio Missali Romani anno 1534. sub hoc Titulo: *Ordo celebrationis Missae à Burchardo conscriptus, ut refert Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 1. num. 6. & idem Ordo à Missali sejunctus antea praeo mandatus fuerat Romae anno 1502. teste eodem Eminentissimo Bona lib. 2. cap. 20. num. V.* Deinde idem Ordo Burchardi traditus Typis fuit Venetiis Anno 1523. & insertus Libro, cui Titulus *Liber Sacerdotalis nuperrimè ex Libris S. R. Ecclesiae &c. collectus, atque compositus, ac auctoritate SS. D. N. Leonis X. approbatus*. Verum quamvis praefatus Sacerdotalis liber, in quo continetur Ordo Missae à Johanne Burchardo Cappellae Pontificiae Ceremoniarum Magistro compositus, à mox laudato Pontifice approbatus, appareat die 2. *Novembris Anno 1520.* ut colligitur ex ejusdem diplomate Apostolico: nihilominus praeo Veneto dumtaxat commissus fuit per Melchiorem Sessam,

&



& Petrum de Ravanis Anno 1523. sub Hadriano VI. P. M. Ex his omnibus magis magisque apparet, prædictum Ordinem Missæ à Johanne Burchardo elucubratum publici Juris factum fuisse longo tempore ante An. 1542. Denique idem liber non solum reperitur nunc veteribus Missalibus præfixus, & libris Sacrototalibus insertus, sine distinctione Titulorum; sed etiam editus est, separatus à Missalibus, & libris Sacerdotalibus; non confusus, sed cum distinctione Titulorum, seu Capitum, quæ editio primum hoc modo prodit ex Romanis Typis An. 1559. per Antonium Bladum Impressorem Cameralem, quem quidem rarissimum librum, ita in Titulos distributum, & ejusdem editionis apud me retineo.

III. Gavant. pag. 2. col. 2. lit. c. *Ideo Auctorem cum puto &c.* Optime autumat Doctissimus Gavantus S. Gregorium non posse censeri Auctorem libri Sacramentorum, sive Romani Missalis, nisi quatenus illum in meliorem formam redegit. Digesserat enim, ante Gregorium Magnum, Missarum Ordinem etiam Gelasius Papa; & hæc Missalia separatim extabant A. D. 831. in Abbacia Centulensi, sive S. Richerii. In Chronico enim præfati Monasterii lib. 1. cap. 3. tom. 4. *Spicilægii Dacheriani* in Indice Bibliothecæ ita recensentur. De libris Sacrarum, qui Ministerio Altaris deserviunt. Missales Gregoriani tres. Missalis Gregorianus, & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. Missales Gelasiani XIX. - Unius ex illis Codicibus Gelasianis mentionem faciunt Doctissimi Viri Card. Bona lib. 1. *Rerum Liturgic. cap. 25. num. 8* & ante eum Johannes Morinus in *Appendice Manuscriptorum ad Commentarium de Penitentia* editum Parisiis An. 1651. pag. 52. ubi ait: *se eum Codicem sapius Petavianum appellasse à suo possessore Domino Petavio Viro Amplissimo, & Parlamenti Parisiensis Senatore integerrimo.* Deinde subnectit, quod idem Codex pertinebat ad potentissimam Suecorum, & Gothorum Regi-

nam Christianam &c. Postquam igitur longo temporis tractu in præfatis Bibliothecis delituit prædictus Codex Gelasianus, compluribus ab hinc seculis literis majoribus, & quadratis exaratus; tandem præfata Serenissima Regina perhumaniter concedente, prælo Romano commissus fuit, & publicam lucem aspexit An. 1680. curâ, & studio Venerabilis, & in Rebus Liturgicis Eruditissimi Viri Joseph Mariae Thomasi Congregationis nostræ Presbyteri, & deinde S. R. E. Cardinalis. Verum quamvis Gelasio Pontifici referatur prædictus antiquissimus Sacramentorum Codex, nihilominus neque ipse adstrui potest Auctor talis Missalis, seu Sacramentorum libri; Anastasius siquidem Bibliothecarius in vita memorati Pontificis asseverat, ipsum non composuisse, nisi Præfationes, & Orationes, seu Collectas: *Fecit Sacramentorum Præfationes, & Orationes cauto sermone.* Ex quibus inferre est, ante ipsam Pontificem extitisse in Ecclesia Romana Sacrorum Mysteriorum, seu Sacramentorum Codices. Et id fatetur idem Thomasius in sua laudata Præfatione, in qua asseverat nonnulla contineri in Sacramentario à se edito, quæ stylum Leoninum apertissime redolent; unde nemo inficiari potest, antiquiora hæc Gelasiano extitisse Sacramentaria, quibus utebantur Romani Pontifices, & quæ à Gelasio in meliorem formam redacta fuere; præsertim multarum Præfationum, & Orationum adjectione. Quam verò Gelasius anterioribus Codicibus Sacramentariis operam commodavit, eandem S. Gregorius Magnus circa finem sæculi VI. collocavit in Gelasiano, à quo nonnulla vel subtraxit, vel adjecit, vel imputavit, id referente Johanne Diacono in vita ipsius Gregorii lib. 2. cap. 17. his verbis: *Sed & Gelasianum Codicem de Missarum Solemnibus, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adiciens, pro exponendis Evangelicis sectionibus in unius libri volumine coarctavit.* Et hinc factum est, quod ab hujus S. Pontificis reformatione totum illud



opus Missalium precum Gregorianus Codex appellari cœperit, eoque quotquot consecuti sunt Pontifices usi fuerint.

Dum hæc scriberem, Clarissimus Vir Josephus Blanchini, olim Cathedralis Ecclesie Veronenfis Canonicus, nunc verò Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter, aliud Gelasiani Codicis exemplar, ex Archivo prædictæ Cathedralis extractum, *Prolegomenis Tomi 4.* Anastasii Bibliothecarii inseruit, tituloque S. Leonis adornavit, tum quia Leoninum Stylum redolet, tum quia Gelasiano à Thomaſio edito est antiquius. Post diligentiore verò rei hujus inquisitionem, & accuratius Codicis examen, Sacramentarium illud non Leoninum, sed purum putumque esse Gelasianum nullo additamento interpolatum compertum est. Argumenta autem id aperte demonstrantia sunt: 1. Ingens Præfationum numerus, quæ in Veronenſi Codice leguntur, quibus abundasse Sacramentarium purum Gelasianum testatur Anastasius Bibliothecarius. 2. Commemoratio S. Simplicii Pontificis Gelasii Prædecessoris, Leone verò in Pontificatu Posterioris. 3. Tempus ordinationis Gelasii rectissime in Codice illo assignatum in Missa anniversaria consecrationis Pontificum; Quibus magis magisque confirmatur, Gelasianum Codicem à Thomaſio editum non esse purum integrumque Gelasianum, sed, ut Thomaſius ipse asseverat, multa in eo legi à Posterioribus Pontificibus adjecta, & aliqua detracta; tum quia pro singulis Missis ana, & quandoque nulla Præfatio in eo assignatur; Blanchini verò exemplar pluribus abundet pro Missis singulis. Nihilominus quia Codex ille Leonis Titulum præfert, quandocumque illum à nobis citari contigerit, Leoninum appellabimus. Ad Gregorianos Codices redeamus.

Gregoriana exemplaria passim extant tum MSS. in Bibliotheca Vaticana, & alibi, tum etiam typis impressa. Primus omnium Co-

dicem Gregorianum, transcriptum ex MS. Colonienſi in lucem emit Doctissimus Pamelius, notisque marginalibus adornavit in *Tom. 2. sui Liturgiæ ecclesiæ aine, Colonia An. 1571.* Rurſus Clemente VIII, in Apostolico Throno sedente, juxta exemplar MS. quod in Bibliotheca Vaticana servatur, Romæ ex Typographia Apostolica Vaticana A. 1593. Typis datus est similis alius Codex Gregorianus, curâ, & studio Doctissimi Viri Angeli Rocca Papæ Sacristæ, qui etiam eundem Codicem paucis quibusdam, sed eruditè notis explicavit. Demum in lucem edit Parisiis A. 1642. eundem Codicem Gregorianum Clarissimus Vir Hugo Menardus Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri, quem Codicem diligentissime contulit cum exemplari existente in Bibliotheca Corbejenſi Monasterii S. Eligii, eumque etiam eruditissimis notis, & observationibus illustravit. Unusquisque præfatorum Virorum suam editionem, ut germanum Gregorii factum commendat, sed ita inter se diffident prædicti Gregoriani editi Codices, ut difficile sit, ut ait Ven. Card. Thomaſius, litem decidere; & quamvis tantorum Virorum Judex esse nolit, tamen pro veritatis amore fateri compellitur, se Codici Pameliano præ reliquis adherere ob illas rationes, quas breviter indicat in sua erudita præfatione, quam suis Sacramentorum Codicibus adtexuit. Correctiorem omnibus hucusque editis dabimus in nostra collectione Liturgiæ Occidentalium ex antiquissimo Codice, qui erat in Bibliotheca ejusdem Regniæ Suecorum. Præter prædictos Authenticos Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum libros, extitit etiam alia quidem, sed privata Missalis libri confectio per Albinum, ex utroque Gelasiano nimirum, & Gregoriano Codice conflata, & hoc Titulo inscripta: *Missalis Gregorianus, & Gelasianus, modernis temporibus ab Albino ordinatus*: sic legitur in Chronico Centulenſi *lib. 3. cap. 3. tom 4.*  
Spi



Spicilegii Dacheriani in Indice librorum A. 831. numeratorum, ut superius dixi. Præmittenda non est hoc loco eruditissimi Viri Petri Le Brun observatio, qui *tom. 2. d. fert. 2. pag. 160.* asseverat se plures Sacramentarios Codices MSS. perlegisse, qui Gregorii nomen præferunt; hodiernum tamen Missale Romanum esse omnibus magis Gregorianum, imò parum Gregorianum esse, si quasdam Missas recentes exceperis.

IV. Gavant. pag. 2. col. 2. eadem lit. c. *Vocabatur etiam Sacramentale.*) Liber Missæ, qui nunc Missale dicitur, antiquitus appellabatur *Sacramentale*, Item *Liber Sacramentorum*, & etiam *Liber Mysterium*, eâ præsertim ratione, quia inter cuncta Ecclesiæ Sacramenta illud constat esse præcipuum, quod in Missæ officio supra mensam sacratissimi Altaris celebratur, & fuit sollemne apud vetustissimos Ecclesiæ Patres, Sacramenta antonomastice appellare Christi Corpus, & Sanguinem, cum in Altari conficiuntur in Missa, ut advertit mox laudatus Cardinalis Thomasius in sua Præfatione, reddendo rationem, ob quam sub Sacramentorum Titulo suos Codices evulgaverit.

Antiqui Libri Liturgici, & Missales, quibus Ecclesia utebatur in Missarum sollempniis celebrandis, non uno, sed triplici volumine comprehensi seorsim reperiebantur. Primum continebat Orationes, Precationes, Præfationes, & alia similia, quæ à Sacerdote celebrante ad Altare recitabantur. Aliud reperiebatur volumen, in quo continebantur Evangelia à Diacono, & Lektionen scripturales, ab aliis ministris dicendæ. Tertium denique continebat Antiphonas, Tractus, Gradualia, Responsoria, & alia hujusmodi, quæ à Choro canebantur. Primum ex prædictis voluminibus est illud, quod Sacramentarii nomen exinde est consecutum, seu Sacramentorum liber appellabatur, & de quo mox mentionem fecimus. Secundum D. Hieronymi hortatu in Ecclesiam Ro-

manam introductum dicitur à Damaso Papa, quia distributio Lectionum per totum anni circulum, quæ in eo continentur, fuit ab eodem S. Hieronymo ordinata, ut testatur ipsius prologus in capite ejusdem libri, qui Comes dicitur, præfixus, si tamen prologus ille genuinus est, quod video à multis in dubium revocari. Hunc Comitum librum à S. Hieronymo fuisse compositum, veteres, qui de rebus Liturgicis tractatus edidere, uno consensu fatentur. Micrologus de *Ecclesiasticis Observationibus cap. 25.* D. Hieronymo hunc librum attribuit his verbis: *Liber etiam Comitum, sive Lektionarius, quem S. Hieronymus compaginavit, &c.* In eadem sententia versatur Johannes Belet in *Rationis Divinorum Officiorum cap. 57.* ubi ait: *Instituit Beatus Hieronymus rogatu S. Damasi Papa, quacumque ex veteri, & novo Testamento leguntur in Ecclesia. Berno Augiensis cap. 1. Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lektionarii, ut ipsius testatur prologus appositus in capite ejusdem Comitum: (sic eum appellavit.)* Ab hac sententia recedunt plures ex recentioribus, qui tamen valida contra sententiam veterum argumenta non proferunt. Quamvis autem daretur, Hieronymum libri hujus non esse Auctorem, negari tamen non potest vetustissimum esse, & saltem paulò post Hieronymi mortem editum; hujus enim habetur mentio in Charta Cornutiana: *Item Codices Evangeliorum quatuor, Apostolum, Psalterium, & Comitum.* Ex quibus verbis rectè inferebat Doctissimus Mabillonius *lib. 6. de Re Diplomatica*, Auctorem Comitum Hieronymo coævum fuisse, vel supparem. Hic liber in lucem emissus fuit à Pamelio in *2. Tomo sui Liturgici Latini*, deinde fragmentum veteris Capitularis, Evangeliorum, ac integrum Comitum librum, abundanter tamen interpolatum, (ut ait Cardinalis Thomasius in admonit. ad Lectorem,) edidit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia Regum Francorum *Tom. 2. col. 1156.*



& 1309. Præterea aliud ejusdem Lectionarii exemplar typis iterum committi curavit Romæ anno 1691. cit. Card. Thomafius in volumine, cui Titulus *Antiqui libri Missarum Romane Ecclesie*. Optimum verò Hieronymi Comitem habebat Schulingius, quem deficiente pecunia typis mandare non potuit: Comitem, inquit ipse, admonitione propria ad Lectorem, sive *Lectionarium B. Hieronymi, similiter ob defectum sumptuum preme: eius. impulsus, cum hujusmodi eo modo nunquam sit editus, qualem ego manuscripsum penes me aservo, in quo longè plus, & amplius est præstitum, quam in ejusmodi Comitibus, per Doctissimum Pamelium ante Tomum secundum Liturgicon, editione*. Dolendum profectò est, Codicem hunc in Germanicis Bibliothecis adhuc latere, & in novo Thesaurò Anecdotorum à Patre Pez compilato desiderari. Jacturam fortasse reparabit suprâ laudatus Joseph Blanchini Congregationis Oratorii Presbyter, qui mihi asseruit, se egregium Comitem invenisse in Bibliotheca Vallicellana; & hic locum habebit in magna Collectione Rerum Liturgicarum Occidentalium, quam, Deo dante, Virisque eruditus consilium, & operam commodantibus, in lucem emittemus.

Hoc loco animadvertendum occurrit in quibusdam MSS. Codicibus alium fuisse librum Epistolarum à Subdiacono dicendarum, alium verò Evangeliorum, quæ à Diacono recitabantur. Tertius ex dictis libris, qui *Antiphonarium* Missæ inscribitur, Sancto Gregorio Magno ab antiquis Codicibus, & Scriptoribus attribuitur. Hoc Missæ Antiphonarium forè iis libris comprehendebatur, quos Paulus Papa Pipino in Galliam misit, ut scribit *Epist. 25*. Codicis Carolini: *Diraximus excellentissima præcellentia vestra, & libros quantos reperire potuimus, id est, Antiphonale, & Responsale*. Hujusmodi pariter Antiphonarium supralaudatus Jacobus Pamelius vulgari curavit, & in 2. Tomo sui

*Liturgiæ Latini* post Divi Hieronymi Lectionarium adtexuit, novamque ejusdem Antiphonarii Missarum, sicuti & Lectionarii, ut mox dixi, editionem curavit Clarissimus Vir supralaudatus Card. Thomafius, in qua sua editione Officia Feriarum, quæ in MSS. Codicibus erant, cum Officiis Festorum commixta discrevit eo ordine, quo in modernis libris continentur.

Præter hos libros Missales ita divisos, & discretos, reperiebatur *Missale Plenarium*, ita dictum, quia comprehendebat non seorsim, sed unitos omnes tres antedictos libros. De hoc Missali Plenario mentionem faciunt Acta Murenfis Monasterii pag. 31. ubi legitur: *Sunt & hic Missales libri quinque, tres pleniter scripti sunt; quarum re ò habet Graduale cum Orationibus; quintus tantum Orationes habet*. Rursus Leo IV. Homilia de Cura Pastoralis præcipit, ut *Missale Plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquaque Ecclesia habeat*. Ratherius Veron. in *Synodica ad Presbyteros*, & Regino in *inquisitione Episc. cap. 10*. habent hæc verba: *Inquirendum si Missale Plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquaque Ecclesia habet, nam sine iis Missæ perfecta non celebratur*. Denique Leo Ostiensis *lib. 3. cap. 19*. librum ad Missam describi curavit - *Namque usque ad illud tempus in plenario Missali, tam Epistolæ, quam Evangelia legebantur: Quod quam esset inhonestum, modo satis advertitur*. Hæc collecta sunt ex Glossario Caroli Du Fresne, seu Du Cange, ut alii citant. In celeberrima Bibliotheca Angelica Urbis extat antiquissimus Codex talis Missalis Plenarii, comprehendens omnia, quæ in Missæ celebratione tam à Sacerdote, quam à Ministris, & Choro dicebantur. Quæ quidem Missalia Plenaria necessaria erant cuicumque Sacerdoti, quando celebrabant Missas privatas. Vide quæ de his libris eruditè scripta sunt à Doctissimo Bocquillot in *Tract. Historico Liturgiæ sacræ lib. 1. cap. 9*. Gra-



Gravis agitur quaestio inter Doctores Liturgicos: utrum quatuor primis Ecclesiae seculis extarent libri Missales manu exarati, quibus uterentur Sacerdotes in peragendo sacrificio, an memoriter tantum recitarentur ab iisdem Orationes, Preces, &c. eum Missam celebrabant? Eruditissimus Joseph Vicecomes *Volum. 4. suarum Observat. lib. 7. cap. 10.* sustinet librorum Missalium usum in Re Divina vetustissimum esse; in qua sententia versatur pariter Card. Bona *Reverentia Liturgicarum lib. 1. cap. 8. & cap. 25. num. 10.* ibi enim fateatur, fuisse ab initio Ecclesiae certas Liturgiarum formulas ab Apostolis, & Apostolicis Viri compositas, quam veritatem propugnat citato *cap. 8.* Denique in eandem sententiam descendit, eamque validis rationum, & auctoritatum momentis tuetur mox laudatus Lazarus Andreas Bocquillot in citato Tractatu Historico Gallicè conscripto de sacra Liturgia *lib. 1. cap. 9.* contra Petrum Le Brun, qui *tom. 2. suarum Explicationum dissert. 1.* accerrimè sustinet, per solam traditionem servatum fuisse ordinem Liturgiae, & normam consecrationis usque ad quintum Ecclesiae seculum.

Verum non huic secundae, sed primae sententiae libentius adhareo; tum quia si non omnes, saltem aliqua quoad majorem sui partem ex praedictis antiquis Liturgiis admittenda profecto sunt, tamquam genuini foetus illorum Auctorum, quibus communiter tribuuntur; tum quia id pariter ostenditur auctoritate S. Justini, qui in *Apologia 2.* quam circa A. D. 140. ad Imperatorem Antoninum Pium scribebat, ait: *Solis, qui dicitur die, omnium, qui vel in Urbibus, vel ruri degunt, in eundem locum Conventus fit. Et Commentaria Apostolorum, aut Scriptura Prophetarum, quoad tempus feri, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Praesidens orationem habet, qua Populum instruit, & ad imitationem tam pulcherrimum rerum, cohortatur. Sub hac consurgimus communiter omnes, & preces profundimus. Precibus autem peractis, panis*  
Cavant. Rubr. Miss.

offertur, & vinum, & aqua. Et Praesidens iterum, quantum pro virili sua potest, preces, & gratiarum actiones fundit, & Populus fuisse acclamat, Amen, & distributio, communioque fit eorum, in quibus gratiae sunt acta, cuique presenti, & absentibus per Diaconos mititur. Ex quibus verbis S. Martyris conijcere licet, extitisse tunc Codicem aliquem, in quo perlegebantur dictae preces, gratiarum actiones, scripturae Prophetarum, &c. Rursus id evincitur auctoritate Divi Hieronymi, qui in Catalogo Scriptorum, dum loquitur de Sancto Hilario Pictavorum Episcopo, ait: *Est ejus, & liber Hymnorum, & Mysteriorum alius, ubi, Mysteriorum libro Codicem Missalem intelligi, compellitur fateri, quicumque Missam à praefatis Scriptoribus Mysterium nuncupatam fuisse non ignorat. Colligitur eadem veritas ex Epistola S. Athanasii ad ubique Orthodoxos, in qua is graviter queritur, quod Ariani, labes, ac ruina Catholicae Religionis, altis tenebris gentilitatis oppressi, quibus propositum erat Christianam pietatem evertere, sacros omnes libros, qui Ecclesiastico usui destinati erant, admoto igne, consumpsissent. Sed quinam libri magis sacri, quam illi, quibus Rei Divinae peragenda Ritus, & Ordo consignati erant? Ita optimè ponderat laudatus Vicecomes. Denique ex Divo Augustino clarissimè eruitur eadem veritas antiquorum Codicum Liturgicorum; nam in Epistola ad Paulinum, explanando illa verba Apostoli Pauli ad Timotheum *cap. 1. v. 1.* *Obsecro igitur primum omnium fieri Obsecrationes, Orationes, Postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus;* explanando, inquam, Sanctus Doctor in Epistola ad Paulinum *num. 16.* praedicta Apostoli verba, ait: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pone omnis frequentat Ecclesia, ut preces omnes accipiamus dictas, quos facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: Orationes, cum benedici, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam pe-**

B

titiis-



tionem ferè omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit. Deinde addit: *Ideo in hujus sanctificationis preparatione existimo Apostolum iussisse propriè fieri Orationes, vel (ut nonnulli minus peritè interpretati sunt) adorationes; hoc est enim ad votum, quod usuratus in Scripturis nuncupatur iuxta, Interpretationis autem, sive ut vestri Codices habent, postulationes sunt, cum Populus benedicitur; tunc enim Antistites, velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordiosissimè offerunt potestati, quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit; quam his etiam verbis commendavit.* Liqueat ergo ex D. Augustino hanc omnium, aut ferè omnium Ecclesiarum ipsius ævo fuisse consuetudinem, ut fierent obsecrationes, antequàm panis, & vinum inciperent benedici, & sanctificari; deinde orationes, quarum voce sapientissimus Vir Johannes Mabillon lib. 1. *Liturgia Gallicana cap. 4. num. 3.* intelligi Canonem Missæ ab Augustino, censet: asseverat præterea Augustinus, Antistites Populo inter Missarum sollempnia benedictionem dare, preces effundere, ad gratias agendas post acceptam, & distributam Eucharistiam, & hæc omnia censet fieri ex Pauli institutione; quod quidem nonnulli conjiciendo, & interpretando dicit S. Doctor: sed in dubium verti nequit, quod omnes prædictæ preces, obsecrationes, & orationes fuerint in usu, ut diximus, Divi Augustini ævo apud omnem ferè Ecclesiam; quo posito, quis audeat opinari, prædicta omnia non fuisse scriptis consignata, sed solum memoriæ mandata à Sacerdotibus? optimè ponderat Bocquillot, quod non omnis homo pollet memoria Sidonii Apollinaris, ad memoriæ mandandos integros libros, sicut ipse faciebat in sacris Mysteriis peragendis: cogimur itaque fateri, etiam primis Ecclesiæ sæculis in usu fuisse sacros Liturgicos libros, quibus Sacerdotes utebantur in Missæ celebratione.

Unicum habet hæc sententia præsidium in Magni Basilii verbis, qui lib. de Spiritu Sancto cap. 2. ait: *Verba invocationis, cum ostenditur panis Eucharistia, & poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit?* ex quibus verbis tam Petrus Le Brun, quàm Tillemontius in notis ad vitam S. Jacobi Apostoli inferunt, ante Basilium Liturgias scriptis non fuisse mandatas. Celeberrimam hanc objectionem solidè tandem diluit eruditissimus Julianus Garnerius Monachus Congregationis S. Mauri nuperus Basilii editor, cujus hæc observationem excscribimus - Non statuit hoc loco Basilius, quod ab eo eruditorum nonnulli, in his præstantissimus Scriptor Eusebius Renaude *Liturg. Oriental. dissert. 1. cap. 2.* doceri existimant; Eucharistia, & Baptismi, & aliorum Sacramentorum preces, & ritus, ne in Ecclesiis quidem ad Sacerdotum usum scripta servari. Merito illud quidem ex hoc capite colligitur, summam olim adhibitam fuisse cautionem, ne quid de mysteriis non solum ad Gentiles, sed etiam ad Catechumenos permaneret: ac rectè observat Scriptor modo laudatus, mysteria initiandis viva voce exponi; initiatis breviter, & obscuriuscule in Concionibus indicari solita, cum hac ἀποκρυφιστικῆς formula: *notunt initiati.* Perincommodè enim fuissent vulgata, quæ Catechumenis spectare non licebat; nec leve periculum erat, quod vilescerent mysteria, si violata arcani sanctitas fuisset. Sed tamen Basilius, dum scripta negat hæc instituta, non de veterum Scriptorum libris, non de Liturgiis scripto consignatis, sed de Scripturis sanctis loquitur. Liqueat primò Pneumatomachos, dum glorificandi modum *de ἀποκρυφιστικῆς* rejiciunt, hoc tantum nomine argutias suas prætexisse, quod in Scripturis non legeretur *cum Spiritu Sancto.* Hinc Basilius illis instituta, non scripta opponit; in primis invocationis verba, quæ quidem negat ab ullo Sanctorum fuisse scripta, quia nec apud Apostolum, nec in Evangelio commemorantur. Sæpe alias



aliàs apud Basilium ἀρχαία dicuntur, quæ non extant nominatim in Scripturis. In libro, sive epistola de Fide, Moraliibus præfixa, cum quidam ab eo postulassent διωλογίας ἐγγράφων, confessionem ex scripturis petitam, pag. 223. profitetur se non usurum verbis ἀρχαίαις, id est, quæ in Scripturis non leguntur. Unde consubstantiale in illa Fidei confessione non reperitur. Ariani apud Athanasium lib. de Decret. Nic. queruntur, quod Nicani Patres ἀρχαίαις λέξις, dictiones non scriptas admisissent. Secundo nihil veri dixisset Basilius, si confessionem Fidei in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & alia ejusmodi instituta, quæ vocat ἀρχαία, nullo profus scripto consignata esse contendisset. Horum enim non infrequens apud antiquos Scriptores mentio. Quin etiam ipse Basilius glorificandi modum, quem inter ἀρχαία instituta numerandum fatetur, in scriptis veterum Patrum sæpe occurrere demonstrat cap. 29. Frustra ergo sententiæ suæ præsidium à Basilio petunt, qui preces Liturgiæ serò admodum contendunt litteris mandatas fuisse. Hæc Garnerius tom. 3. Operum S. Basilii: miramur autem eruditissimum Bocquillot acerrimum sententiæ nostræ Patronum, celeberrimum hunc Basilii textum sibi non objecisse, qui cæteroquin est præcipuum opinionis adversæ fundamentum.

V. Gavant. pag. 2. col. 1. lit. d. *Missa vox Latina est &c.*) Huic nostri insignis Auctoris sententiæ adstipulantur etiam nonnulli alii præclarissimi Viri, nimirum Card. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1. Card. Bona de Rebus Liturgicis lib. 1. cap. 1. Petrus Le Brun Congregationis Oratorii Gallicani Presbyter tom. 1. cap. 1. suarum eruditarum Explicationum super Missæ Ceremoniis, Bocquillot in suo Tractatu Historico superius allegato lib. 1. cap. 1. Grancolas in Tractatu de Missa, & Divino Officio part. 1. pag. 1. Claudius de Vert tom. 1. Explicat. part. 1. cap. 1. Antonius Bellette in præclarissimo suo Ope-

re inscripto: *Ritus Ecclesiæ Laudunensis part. 2. Observat. pag. 58. & 106.* Omnes præfati Auctores adstruunt incruentum novæ legis Sacrificium *Missæ* appellatum fuisse à Missione, seu dimissione Populi, & licentia discedendi, de qua infra.

VI. Gavant. pag. 2. col. 1. lit. d. *Non Hebræi.*) Contra Gavantum, *Missam* esse Hebraicum nomen ex voce *Missah*, quæ habetur in Deuteronomii cap. 16. & quæ significat oblationem, sustinent præter Baronium, Johannes Reudinus lib. 2. *Hebraicarum eruditionum.* Claudius de Sainctes in sua erudita Præfatione Liturgiæ SS. Patrum præfixa. Genebrardus de Liturgia Apostolica cap. 7. Antonius Demochares adversus Misoliturgos Tom. 2. cap. 1. Johannes Maria Turrinus in Directorio Sacrificantium part. 1. sect. 1. cap. 4. & Johannes Baptista Scortia de Sacrificio Missæ lib. 1. cap. 1. Præterea nonnulli alii, quorum aliqui nulla auctoritate SS. Patrum innixi asserunt, Apostolos ab Hebræis, Latinos à Petro Apostolorum Principe *Missæ* vocabulum accepisse. Verùm Bellarminus loc. superius cit. optimè observat, & post eum Cardinalis Bona, quod si vox ista Hebraica Apostolis in usu fuisset, eam certè tenuissent etiam Græci, & Syri, atque aliæ Nationes, sicut retinuerunt alias similes voces, nimirum *Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna, Satan, Sabbathum, Pascha.* Hæc vocabula Hebraica per Græcos ad nos devenerunt, cum Apostoli ipsi, & vetustiores PP. iisdem proximiores Græcè scripserint. Quoniam verò apud antiquos Græcos Scriptores nulla fit mentio hujus vocis; Rursus quoniam neque à Patribus Hebraicam Linguam callentibus, Origene, Epiphonio, Justino, Hieronymo, usurpatur tale nomen, liquidò constat ex Hebræis ad Christianos talem vocem non derivasse.

VII. Gavant. pag. 2. col. 1. ead. lit. d. *Sed eam Liturgiam publicum opus, &c.*) A Græcis PP. sacrosanctam Missæ Sacrificium *Liturgia* vocatur, & quamvis hæc vox apud



Grammaticos denotet quodcumque publicum munus, seu ministerium; attamen apud Christianos ab ipsis nascentis Ecclesiae incunabulis consuetudo invaluit, ut pro Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini fuerit accepta. Nulla siquidem functio est, nullumque ministerium magis publicum, quam actio Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis. Hinc *Actorum cap. 13.* vox illa *Ministrantibus illis Domino* legitur *λατρευόντων ἡμῶν τῷ κυρίῳ*. *Sacrificantibus* verò *ipsis Domino*. Quod quidem ministerium nihil aliud fuisse traditur, quam Sacrificium; atque idè Textum sic vertit Erasmus: *Cum illi Domino sacrificarent*: alii verò plurimi eruditii Scriptores praedicta verba interpretantur: *sacrificantibus verò ipsis Domino*. Hinc translatus est, & affixus Liturgiae Titulus à SS. PP. Basilio, Gregorio Nazianzeno, Johanne Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, & aliis, libro illi, seu monumento, in quo Rei Divinae faciendae Ritus praescribitur. Observat tamen eruditus Vir Congregationis nostrae Theologus Vincentius Riccardus in suo Commentario ad S. Proclum *de Traditione Divina Missae*, quòd quando PP. voce *Liturgiae* in praedicta significatione utuntur, ferè semper cum adjuncto efferant *Mystica*, vel *Sacra*.

VIII. Gavant. pag. 2. col. 2. ead. lit. d *Antiquissima est, à Clemente Epistola 3. &c.* Redit iterum Gavantus ad dictionis Latinae *Missae* antiquitatem adstruendam, atque antiquissimam esse. Et reverà in epistolis Romanorum Pontificum primi, & secundi seculi, praefata vox *Missae* reperitur ad significandum Eucharisticum Sacrificium. Neminem quidem latet, praefatorum Pontificum, qui Siricium praecesserunt, Decretales Epistolas à pluribus eruditis Viris tanquam supposititias respui, & reprobari; verum praeterendum non est, quòd quamvis pleraque dictarum Epistolarum, prout communiter circumferantur, vehementer suspectae sint de aliqua interpolatione, & aliis defectibus, non idè tamen sunt omnino respuenda,

sed veneranda, & in auctoritatem recipienda cum delectu opportuno: ita asserit, & solidis fundamentis hanc suam sententiam comprobatur sapientissimus Card. de Aguirre *Tom. 1. concil. Hispan. dissert. 4.* & Annatus in suo Apparatu ad Positivam Theologiam *tom. 2. lib. 6. artic. 5.* assererat, quòd quamvis ob conjecturas hinc inde pro utraque parte certantes satis liquidò non constet, an genuinae sint, vel supposititiae mox memoratae veterum Pontificum ad Siricium usque Decretales Epistola; satis tamen constare eas Theologi veneratione dignas, & non spernendas esse, saltem ubi Canonibus antiquis minimè adversantur. Ex quo igitur Evaristus Papa *epist. 2.* Decretali, item Alexander Papa *epist. 1.* similiter Telesphorus epistola ad omnes universaliter Christianifideles *Missae* nomine usi sunt, satis evincitur praefati nominis antiquitas. Sed ut certiora etiam argumenta adducantur ejusdem antiquitatis, proferam Textum Epistolae Pii ad Iustum Viennensem Episcopum datae Anno Christi 166. initio praefatae Epistolae sic loquitur S. Pontifex: *S. r. r. nostra Exuperia, si bene recordaris, titulum Domus tuae pauperibus assignavit, ubi nunc comorantes Missas agimus.* Ita pariter Cornelius Papa in sua Epistola ad Lupicinum pariter Viennensem Episcopum scripta circa Annum 254. ait: *Non liuisse tunc Christianis neque in cryptis nobis publicè Missas agere propter acerrimam persecutionem.* Praefatae autem duae Epistolae Pii, & Cornelii Summorum Pontificum communiter tanquam genuinae admittuntur, & non nisi à paucis quibusdam severioris criticae prurigne laborantibus in censu Apocrypharum etiam istae habentur; ita ut ab ipsis etiam Casaubono, atque Blondello, licet Heterodoxis, tanquam genuinae admittantur: ex quibus omnibus evincitur, etiam ante aevum Ambrosianum sollemne fuisse in Ecclesia Latina usurpare nomen *Missae*, ad significandum praedictum mysterium; quapropter falsum est, Divum Ambrosium primum



mum omnium tale nomen protulisse, ut assererat Bocquillot lib. 1. cap. 1. quando in epist. 13. ad Marcellinam Sororem ait: Ego mansi in munere, Missam facere cepi; & serm. 34. Moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam. Observat Mabillon. in Traët. de vobis Missa, & Communionis, S. Hilarium Pictaviensem Episcopum prædicta voce Missa usum fuisse, quem, inquit, secutus Ambrosius, locum tamen Hilarii non indicat, nisi fortasse memoria lapsus sit. Amicus quidam noster, Vir aliàs doctrina, ac eruditione conspicuus, putabat Missæ nomen Apostolicum esse, ea ratione ductus, quòd non semel in Jacobi Liturgia legatur; quam opinionem Vir eruditus hausisse videtur à Josepho Vicecomite, qui lib. 1. de Missa Ritibus cap. 3. hujus vocabuli antiquitatem ex Jacobi Liturgia demonstrare conatus est. Neuter animadvertit Jacobi Liturgiam non fuisse latino idiomate exaratam, sed græco, vel potius hebræo, ut opinatur clarissimus Leo Allatius in dissert. à se edita pro hujus Liturgiæ veritate. Porro in græco Textu, quem unice sequi debemus, non dicitur Missa, sed in primo loco à Vicecomite laudato habetur *μυστήριον*, in secundo autem *ἱεραγία*. Quare si prædicti Viri argumentum antiquitatis ex latina versione deducere volunt, fateantur oportet Jacobi Liturgiam Apostolico ævo in latinum idioma fuisse translata, quod tamen nemini persuadere valebunt.

IX. Gavant. pag. 2. col. 2. ead. lit. d. *Missa enim est tum precium Populi &c.* Optimè Gavantus interpretatur, & explicat dictionem Latinam Missa, ex quo Missa sit veluti Missio, tum precunt Populi per Sacerdotem ad Deum, tum Christi, qui missus est à Patre ad nos, & qui iterum mittitur à nobis ad Deum, ad solvendas inimicitias, quæ sunt inter Deum, & Homines. Et hæc Missæ etymologia comprobatur etiam auctoritate D. Thomæ, qui 3. part. quest. 83. art. 4.

ad 9. ait: Et propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per Sacerdotem; vel quia Christus est Hostia nobis missa à Deo: Unde in si e Missa Diaconus in festis diebus Populum licentiat dicens: *Ite Missa est.* Scilicet Hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta. Ita pariter Rupertus Abbas lib. 2. de Divin. Offic. cap. 27. ait: sacrosanctum Altaris mysterium ideo Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum, & Homines, sola valens, & idonea mittitur Legatio.

X. Gavant. pag. 3. col. 1. ead. lit. d. *Tum Catechumenorum, qui &c.* Evangelicæ Legis Sacrificium, Missa nuncupatur juxta Gavantum, aliosque DD. superius allegatos, ex Populi Missione, seu dimissione. Missio autem in veteri Ecclesia duplex erat, una sermone post Evangelium absoluto, quando Catechumeni à Diacono dimittebantur his verbis: *Si quis est Catechumenus, exeat foras; vel si quis non communicat, det locum,* ut ait Divus Gregorius l. 2. Dialogorum cap. 22. & hæc dicebatur Missa, seu Missio Catechumenorum, de qua S. Augustinus serm. 237. ait: *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt Fideles.* Quam sententiam clarè etiam docuit S. Ilidorus Hispalensis, dicendo lib. 2. Orig. cap. 16. *Missa tempore Sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur clamante Levita: Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: & inde Missa; quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Reliqua Sacrificii parte expedita, & Re Divina peracta, alia sequebatur dimissio Populi, nimirum dimittebantur etiam Fideles baptizati, & hæc Missa Fidelium vocabatur. Dimittebantur autem iis verbis à Diacono prolatis: *Ite, Missa est.* De hac post consummatum Sacrificium conclusionem, & Fidelium dimissione mentionem faciunt Florus Lugdunensis, & Remigius Antisiodorensis in sine Expositionis Missæ, dicendo: *Missa nihil aliud*



aliud intelligitur, quàm dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus, tunc Diaconus esse pronunciat, cum Populus à sollemni observatione dimittitur. Hæc verba ab Alejano transcripta reperiuntur etiam in libro Sacramentorum D. Gregorii, ubi Feria 6. Parasceves legitur: *Deinde communicat ipse, & omnis Clerus, & sunt Missæ:* quo in loco Pamelius optimè observavit: *Ex postrema hæc clausula colligere est, cur Missæ nuncupatur, nempe à dimittendo Populo.*

Ejusmodi Fidelium dimissiones completo Sacrificio, cum in nostris, tum etiam in Liturgiis Græcorum Orientalium passim reperiuntur. Ita in Liturgia S. Jacobi legitur Diaconum dicere: *In pace Christi eamus;* in Liturgia S. Basilii: *Ite in pace;* in Liturgia S. Johannis Chrysostomi: *in pace progrediamur;* ita pariter in Liturgia S. Marci: *Ite in pace;* ob hanc, inquam, duplicem dimissionem Catechumenorum, & Fidelium, *Missæ* nuncupatum est incrementum novæ Legis Sacrificium; quod quidem nomen, ut advertit Le Brun *loc. supracit.* post Annum 400. affixum fuit omnibus officiis Ecclesiasticis, cum diurnis tum nocturnis. Hinc Cassianus, qui floruit circa Annum 440. in hoc sensu applicabat præfatum nomen, cum dicebat: *Post Missam nocturnam lib. 2. cap. 7. Post Orationem missam cap. 14. Congregationis missam lib. 3. cap. 7. Post Vigilium missam cap. 8.* In eodem sensu S. Pater Benedictus in sua Regula *cap. 11.* ait: *Post expletionem vero trium psalmodum recitentur Lectio una, Versus, & Kyrie eleison, & missæ sint.* Ubi, ut observat Edmundus Martene in suo eruditissimo Commentario ad præfatam Regulam, *Missæ* non sumitur pro Sacrificio Eucharistico, sed in alio sensu, nempe ut tale verbum significet Collectas, seu Orationes, quæ *Missæ* dicuntur, eò quod in illis expressè preces ad Deum mittamus, dicentes: *Oremus, &c.* ut tradit etiam Johannes de Turrecremata, Hugo Menardus, & alii relati à laudato Martene ibidem; in quo pariter

sensu dicitur, Monachos plures *Missas*, ut etiam post Completorium fecisse. Rursus observare etiam lubet cum P. Le Brun, quod ob antedictam duplicem dimissionem, primam Catechumenorum, secundam vero Initiatorum, evenit, quod circa Annum 500. nomen *Missæ* in plurali usurparetur, & diceretur: *Missarum sollemnia*, ad significandum etiam unum tantum *Missæ* Sacrificium. Ita legitur apud Cæsarium Arelatensem *serm. 81.* ubi ait: *Tunc fiunt Missæ. . . . quando munera offerantur, & Corpus, & Sanguis Christi consecrantur.* Cæterum hæc vox *Missæ* sumitur pariter pro tota Divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit, & Catechumenorum, & Baptizatorum dimissionem, quæ quidem acceptio nunc adeo in ore omnium communis est, ut recentiores vix aliud intelligant nomine *Missæ*.

Genebrardus de *Liturgia Apostolica* agens, relatus à Card. Bona *lib. 1. cap. 1.* & Gilbertus Grimaldus in *sua Liturgia Sacra* gallicè conscripta *cap. 1.* explodere adnituntur prædictam etymologiam, veluti nimis frigidam, & modicæ reverentiæ erga tantum Mysterium, cum à minima sui parte, vel accidente, augustissimum Sacrificium *Missæ* appellatur; quando docente Platone in Cratylo ex propria rei nota, nomina deduci debent. Verum præfati Auctores, hac tantum ratione moti, perperam respuunt antedictam etymologiam, seu talis obscuri nominis impositionem augustissimo Eucharistiæ Sacrificio. Hæc dictitare possunt illis, quibus Ethnicorum in Christianos Ecclesia nascente debacchantium furor perspectus non est; sed longè videtur aliter illis, qui memoriâ repetunt ea tempora, quibus Tyranni rem Christianam divexabant. Igitur Fidei nostræ Procures, veteresque Christiani Latini, summo consilio, obscuro *Missæ* nomine usi sunt, ad Rem Divinam significandam, nimirum, ut hominibus fallas Religiones colentibus, hoc nomen symbolicum ignotum esset, & ne Fideles ipsi proderentur, qui tunc



tunc in locis abditis, & reclusis, ac horis antelucanis sacros conventus habebant. Unde ratio latebrosa, & lucifugax dicta fuit apud Minutium Felicem: & Ladolph. *Comm. nt. lib. 3. cap. 6. num. 63.* relatus à Le Brun *Tom. 3. suarum Explicationum dissert. 12. art. 1.* ait: *Antiquissimi Christianorum cum per tria fere secula publicos casus habere non liceret, in speluncis, & cryptis, sed plerumque in camereis, cultui sacro vacare cogebantur: Gentiles enim eos ubique turbabant, & omne sacrum Instrumentum diripiebant. Igitur panes, vinum, Canticum, & alia ad sacram Canam pertinentia palam ferre non poterant, sed vel lineaminibus involuta, vel aliter occultata ad locum, ubi Ecclesia congregata erat, portabant. Sicut igitur locum, & tempus, ita etiam Sacrificium ipsum, sub involucrio præfati obfcuri nominis, celare studuerunt, ut facilius profanis hominibus, & hostibus Christianæ Fidei tam insigne Mysterium occultaretur, & ne sanctum canibus objiceretur, sicut rectè observat Cafalius de veteribus Christianorum Ritibus cap. 9. & ante eum Josephus Vicecomes de Missæ Ritibus lib. 1. cap. 7. qui hæc subnectit: Satis constat veteres Ecclesie Scriptores legentibus, Fidei Christianæ Mysteriis imbutos, olim summo studio elaborasse, ut mystica sua sacra Gentilium non modo oculis, sed etiam intelligentiæ subducerent.*

Hæc omnia confirmat recentissimè Nicolaus Antonellus in sua erudita *Dissertatione de Titulis à S. Evaristo in Urbe divisis num. 21.* ubi allèverat maximæ curæ Christianis fuisse, ut disciplinam Arcani servarent; & ne Mysteria Gentilibus prolata despicerentur, Eucharistiam, quæ à Pontifice ad Presbyteros Titulares mittebatur, communi, & vulgari nomine *Fermentum* appellabant; hoc enim vocabulo iisdem Gentilibus facilius occultabatur Mysterium. Nam Acolythi, qui sacram asportabant oblationem ad Titulos, faciliè poterant eludere curiosas interrogationes Gentilium, si ab ipsis interrogati, quid secum ferrent, respondissent: *Fermen-*

*tum.* Frequens quippe erat inter populares homines *Fermentum* transmissio; & idèd si respondissent se gestare *Fermentum*, faciliè se expedire poterant, & importunas Gentilium inquisitiones effugere; cum faciliè admodum esset, ut de re vulgata, & communi Fidem adhiberent, animumque ad credendum ita esse, ut assereretur, inducerent.

Hanc eandem sententiam, ante mox laudatum Antonellum, tradiderat eruditissimus Vir Angelus de Nuce Archiepiscopus Rossanensis, cujus verba referuntur à Johanne Ciampino in *lib. de perpetuo Azymorum usu cap. 7.* putabat igitur prædictus Archiepiscopus: *Particula Eucharistici Panis nomen Fermenti inditum fuisse ad eludendas curiosas interrogationes Paganorum, &c.* Quò enim vulgatiore erat vox *Fermenti*, eò tutius occultabatur Mysterium; idcirco ab Acolytho consulto usurpabatur. Rursus in eandem sententiam abijt Johannes Mabillon in sua *Dissertatione de Azymo, & Fermentato cap. 10.* ubi quærens, cur Eucharistia *Fermentum* dicta sit, asserit hoc vocabulo appellatam Eucharistiam fuisse, ut sub hujusce nominis cortice, atque velamine Mysterium hoc Gentes lateret. Per ea enim tempora mos Patribus erat, ut Eucharistiæ Sacramentum nonnisi ænigmaticè designaretur. Caterum hoc nomen valdè congruum, & aptum erat ad Eucharistiam significandam; nam sicut *Fermentum* Farinæ massæ immixtum totam unit, atque conglutinat; ita sacra Eucharistia appellatur à D. Augustino in Johannem *tract. 27. Signum unitatis, vinculum Caritatis*; & missa ad Titulos à Summo Pontifice, signum erat unionis, & Caritatis, quæ Populus in suis Titulis seorsum veniens, Episcopo suo uniebatur. Hinc supra laudatus Angelus de Nuce apud Ciampinum, assererat: *Nihil igitur Arcanum in hac Fermenti voce querendum, neque dici debet, quòd Fideles participabant Fermentum missum ab Episcopo, sed participasse dicendi sunt de pane consecrato, qui ni-*



bil Fermento simile habebat, sed tantum vocabulum prudenter usurpatum in illius Missitatione, ad eius occultationem Arcani Sacramenti. Hæc Angelus de Nuce. Ex quo igitur congruenter & aptissime tale nomen impositum fuerit ab Ecclesia Eucharistiæ Sacramento, hinc fit, quod citra ullum mendacium præfatum nomen usurparent Acolythes, ut facilius à Gentiliis inquisitionibus se expedirent. Græci autem Rem Divinam non obsecris, neque æquivocis, sed clarioribus vocabulis expellerunt; vel quod vocum propriarum retinendarum studiosiores erant; vel quod tantus persecutionis æstus apud illos commotus non esset. Cæterum objectam à Genebrardo, atque Grimaldo difficultatem tot argumentis impugnavit D. De Vert Tom. 1. cap. 1. ut omnem ea de re dubitationem sustulisse videatur.

Duo hic Lectorem monere debemus. Primum, quod quamvis Sacrificium Eucharisticum communiori vocabulo *Missæ* nuncupetur, aliis tamen nominibus, tam à Latinis, quàm à Græcis PP. insignitum est, ut observat etiam Gavantus; Latini enim 1. Ab antiquissimis temporibus *Collatam* appellare, quia tempore Missæ colligebatur in unum Populus, ut Sacrificio interesset. Hoc nomine Sacrificium appellatur à Tertulliano in fine *lib. de fuga*, Oprato Milev. *lib. 2.* Ireneo *lib. 3. cap. 3.* & Augustino in *Previculo collationum*, sicut & in actis SS. Martyrum Saturnini, & sociorum die 11. Februarii apud Bollandum. II. *Dominicum* à Cypriano vocatur *epist. 63.* ad Cæcilium, & aliis in locis, quemadmodum & ab Augustino *epist. 86.* vet. edit. ut significaretur, Sacrificium Eucharisticum præcipuam esse functionem, quæ ex Domini institutione, & præcepto in Ecclesia peragitur. III. In Concilio Carthaginensi sub Cælestino Papa dicitur *Agenda*, cujus Concilii Canon insertus est in Capitularibus Caroli Magni *lib. 6. cap. 234.* Anastasius etiam Bibliothecarius in Leone II.

inquit: *Ne Mauri Episcopi Agenda celebraretur*, quod nomen passim legitur in Antiphonario D. Gregorii, & in aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, præsertim ubi tractant de officio mortuorum. IV. Missa dicta est *Communio*, quia per illam cum Christo commercium habemus, ac Carnem ipsius, & divinitatem percipimus, a q. e. ad eos nos inter nos communicamus; quæ est observatio S. Johannis Damasceni *lib. 4. de Fide Ortoth. cap. 12.* V. Tandem non semel appellata fuit *Oblatio*, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, & immolatur, de qua voce vide quæ eruditè notata sunt à Pamelio ad *lib. Tertulliani de cultu Feminarum cap. 11.*

Multiplex etiam apud Græcos Scriptores nomen sortitum est Sacrificium. I. Communissime dictum est *Liturgia*, cujus vocis à nobis suprâ mentio agitata est. II. A S. Dionysio *cap. 1. Eccl. Hier.* dicitur *Mystagogia*, secreta videlicet actio. Hinc Catecheses à Cyrillo Hierosolymitano conscriptæ, in quibus de hoc Sacrificio pertractat, dictæ sunt *Mystagogica*. III. Idem S. Dionysius *cap. 3. eju dem libri: Synaxim* appellat, quod nomen licet pro quacumque Fidelium Congregatione usurpari soleat, à Dionysio tamen semper sumitur pro Sacrificio, ut observat Pachimeres in paraphrasi ad illud caput Dionysii his verbis: *Synaxis minime intelligenda Populi Congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, sed cum Deo conjunctio, communicioque.* IV. Quandoque *Telete* nuncupatur, id est consecratio, perfectio, qua voce utitur Synesius in fine *epist. 58.* V. Dicitur *Ana hora*, scilicet elevatio, sursum elatio, quia sursum ad Deum fertur. Ita Anastasius Sinaita *Orat. de Synaxi*. VI. Dicitur *Prophora*, quæ vox oblationem significat; vide apud nostrum Vincentium Riccardum in *Comment. ad Orat. 6. Procli Patrum Testimonia*, qui *Prophoram* pro Sacrificio acceperunt. VII. Tandem Epiphanius *har. 73. Oeconomiam* appellat, quo



quo nomine vocatur sapissime à Patribus Mysterium etiam Incarnationis; est autem æconomia provida rei administratio ad aliorum commodum, & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quam in Eucharistia mirabiliter eluxit. Qui plura de hac re scire desiderat, adeat Doctissimos Viros Cardinalem Bona lib. 1. cap. 3. Josephum Vicecomitem lib. 1. de Ritibus Missæ cap. 7. Johannem Dartis de consec. di. 1. tract. de Euch. cap. 19. & Theophilum Raynardum in Onomastico: hi omnes plura in citatis locis Missæ nomina collegerunt; nobis præcipua indicasse sufficiat.

Præterea observandum est, ipsum Missæ nomen ab antiquis Scriptoribus non semper usurpatum fuisse pro Sacrificio, cuius rei ignorantio gravissimis etiam Viris errandi occasionem præbuit. Vidimus supra hoc nomen sapissime acceptum fuisse pro dimissione tam Catechumenorum, quam Fidelium, sicut etiam pro lectionibus, & precibus, quæ ab initio Liturgiæ usque ad dimissionem Catechumenorum explentur. 11. Sumitur Missa pro Collectis, sive Orationibus, quæ in Missa recitari consueverunt: Concilium Milevitanum 2. cap. 12. placuit ut Preces, vel Orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur. Concilium Toletanum 4. Can. 13. Componuntur ergo Hymni, sicut componuntur Missæ, sive Preces, vel Orationes. Hoc sensu intelligenda esse verba Regulæ S. Benedicti cap. 17. ubi legitur: *Et sicut Missæ, & Missæ sint*, contendunt Doctissimi Viri Smaragdus Abbas in expositione Regulæ S. Benedicti, Hugo Menardus in notis ad c. 23. & 24. Concordiæ Regulæ - alique Scriptores à Martene laudati in comment. ad dictum capitulum Regulæ S. Benedicti, cui opinioni etiam ipse consentit. III. Missa accipitur pro lectione. Ita S. Aurelianus in Regula Monasterii, quod iussu Childerici Regis Arelate constructum fuit, ubi modum psallendi

GAVANT. Rubr. Miss.

præscribens ait: *in Natali Domini, & Epiphania tertia hora noctis surgite, dicite unum nocturnum, & facite sex Missas de Isaia Propheta: iterum dicite secundum nocturnum, & legantur alia sex de Evangelio. In Epiphania ita: in primo unum nocturnum; deinde de Daniele Propheta facite illas sex Missas - Et mox - In Martyrum festivitatibus tres, aut quatuor Missæ fiant: primam Missam de Evangelio legite, reliquas de passionibus Martyrum - Consentit Magister in Regula his verbis: *Eo ordine, quo Missæ à Clericis celebrantur, id est, cum minor Clericus Apostolum perlegerit, sequitur major Diaconus Evangelia sancta lecturus.* Evidentissimum est huic in locis Missæ nomen usurpari pro lectione; miror autem Menardum intellexisse collectas, quasi verò collectæ, ex Prophetis, ex Apostolo, ex Evangelio desumerentur. IV. Sumitur quandoque pro hora Canonica, seu pro Divino Officio, ita Cassianus lib. 2. cap. 23. post Missam nocturnam, scilicet post nocturnum Officium, dormire non oporteat - cui concinit Agathense Concilium Can. 30. his verbis: *Hymni matutini, vel vespertini diebus omnibus decantentur, & in Conclusionem matutinarum, vel vespertinarum Missarum post Hymnos Capisella de Psalmis dicantur.* Fallitur autem aperte Joseph Vicecomes lib. 1. de Ritibus Missæ cap. 2. citatum Cassiani locum de dimissione Monachorum intelligens. V. Missa non semel à mediæ ætatis Scriptoribus pro ipsa festivitate accepta fuit: Statuta S. Adelardi à Martene laudata: *Isti sunt dies, in quibus eis ab opere Dominico parcendum est; Nativitas Domini. Missa Domine Balthildæ.* Antiquæ consuetudines Germaniæ MS. n. 30. apud eundem: *Diebus Dominicis, & Festis ab ipsis Calendis Octobris usque in Missam S. Martini.* Hoc sensu passim accipitur Missa in Capitularibus Regum Francorum, ut observant etiam Vicecomes loc. cit. & Card. Bona lib. 1. cap. 2. n. 5 VI. Laudatus Vicecomes putat Missæ vocabulum cuique ecclesiastici ordinis muneri attributum fuisse, quod probat auctoritate*

C

Anacle-



Anaclei apud Gratianum Decr. *part. 2. caus. 7. quest. 1. cap. 28.* sed locus ab illo indicatus Missarum celebrationem pro Sacrificio Eucharistico manifestè accipit. VII. Non placet etiam ejusdem Vicecomitis observatio, statuentis Missam aliquando pro nundinis acceptam fuisse; id autem ostendit ex *lib. 3. Capitularium cap. 23.* ubi hæc statuuntur: *De latronibus precipimus, quicumque post Missam S. Johannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum duobus similiter juret, se, latronem eum fuisse, non scisse.* Negari nolim locum huic statuto dedisse Nundinas, quæ ipsis diebus S. Johannis Baptistæ sollemnia præcurrentibus, aut subsequenter, multis in locis haberi solebant; nil tamen vetat, statuti verba intelligere de festivitate ipsa S. Johannis, ut sensus sit: si quis post festum S. Johannis (quo tempore Nundinæ celebrantur) latroni mansionem dederit. VIII. Idem Vicecomes credit Missæ nomen adhibitum fuisse pro agapis, sive convivii, quæ à veteribus Christianis fieri solebant singulis Dominicis; in cujus rei confirmationem profert verba Felicis I. *epist. 4. ad omnes Episcopos. Non in aliis locis, quam in Domino sacratis, Missas celebrare, nec Sacrificia Deo offerre debemus.* Sed præterquam quòd illius epistolæ veritas à Vicecomite non probatur, evidens est, hoc in loco idem esse Missam, ac Sacrificium; & Auctorem epistolæ unam, eandemque rem diversis vocabulis significare voluisse. Legi possunt in hanc rem Cardinalis Bona, Vicecomes, Martene, Menardus in locis citatis.

XI. Gav. pag. 3. col. 1. ead. lit. d. *Offeritur Deo per legitimum Ministrum certis Ritibus, & Ceremoniis.* Paulo antè indicavit Gavantus optimam Missæ definitionem, asserendo eam esse verum Sacrificium inveniunt Christi ab eodem institutum, &c. Et quidem nullus Catholicus revocat in dubium Eucharistiæ Sacramentum, Mysterium omnium maximum, fuisse à Christo Domino institutum in ultima Cæna, quam cum Disci-

pulis suis fecit, ut ex Evangelistarum, & Divi Pauli verbis apertè colligitur. Fateri etiam debemus hoc Sacrificium celebrari in Ecclesia Dei certis Ritibus, & Ceremoniis traditis ab ipsis Apostolis, quibus Servator hoc ineffabile Mysterium commendavit, quando eos Sacerdotes instituit illis verbis, *Lucæ cap. 22. v. 19. & Concil. Trident. sess. 22. cap. 9. Can. 2. de Sacrificio Missæ: Hoc facite in meam commemorationem.* Ostenditur prædicta veritas ex verbis Apostoli, quæ habentur in *epist. ad Hebræos cap. 13. v. 10.* quibus memorat Altare, super quo Eucharisticum Sacrificium celebrabatur: *Habemus, inquit, Altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviant.* Ex quibus Apostoli verbis manifestè indicatur Ritus incrementum Sacrificium offerendi, & Christi Corpus consecrandi super Altare, in quo Sacerdotibus Judæorum non licebat suas victimas immolare. Idem Apost. in *epist. 1. ad Corinth. cap. 10. v. 21.* præfatum Altare Menfam Domini appellat. Rursus idem Apost. in eadem *epist. ad Corinth. cap. 11. v. 34.* ait: *Cætera autem, cum venero, disponam.* Quæ verba significant confusè ea, quæ pertinent ad Ordinem, & Ritum, quo sacra Mysteria celebrari debent, ut S. Augustinus in *epist. 54. n. 8.* juxta novam editionem, alias 118. ad Januarium tradit, dicendo: *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi Ordinem insinuat, quem universa per Orbem servat Ecclesia) ab ipsa ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Denique in ejusdem Pauli Apostoli *epist. 2. ad Timotheum. cap. 11. v. 1.* leguntur hæc verba. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus Homnibus.* Quæ quidem verba Pauli Apostoli Divus Augustinus, in *epist. 149. n. 16.* alias 69. ad Paulinum, interpretatur juxta communem usum totius fere Ecclesiæ Catholicæ de precationibus, quæ in Re Divina conficienda proferuntur. *Sed eligo, inquit, in his verbis hoc intelligere, & quod omnis, vel penè omnis frequentat Eccle-*



*Ecclesia, ut preces accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini Mensa, incipiat benedici. Orationes, cum benedicitur, &c. & sequentia verba S. P. Augustini legi possunt superius, ubi à nobis per extensum allata fuerunt. Ex quibus omnibus iterum colligitur, Augustini ayo omnium, aut fere omnium Ecclesiarum consuetudinem fuisse ex Apostolica auctoritate institutam, & ex Pauli verbis significatam, ut fierent Obsecrationes, antequam Panis, & Vinum benedici inciperent: deinde Orationes, quæ Canonem Missæ ad mentem Augustini significant, ut interpretatur doctissimus Jo. Mabillon l. 1. Liturgiæ Gallicanæ c. 4. n. 3. Ex his, inquam, & reliquis aliis, quæ à S. P. Augustino traduntur, evincitur ab ipsius Ecclesiæ primordiis certis Precibus, ac Ritibus ab Apostolico fonte derivatis, Sacrificium Eucharisticum celebratum fuisse.*

Irrefragabili D. Pauli auctoritati concinit pariter testimonium S. Clementis I. hujus nominis Romani Pontificis, & Apostolorum Discipuli, qui *epist. 1. ad Corinth.* scripta circa Annum Domini 97. §. 40. inter Epistolas Romanorum Pontificum recentissimæ editionis ait: *Cum ergo hæc nobis manifesta sint, etiam in divina cognitionis profunda introspectentes cuncta ordini debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere statutis temporibus, oblationes, & officia perfici, neque temerè, vel inordinatè fieri præcipit, sed præfinitis temporibus, & horis, ubi etiam, & à quibus celebrari vult, ipse exactissima sua voluntate definit, ut Religiosè omnia secundum beneplacitum facta, accepta essent voluntati ejus. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti, & beati sunt.* His verbis laudatus Pontifex, ac Martyr monet Corinthios, ut exactè servent Ritum, & Cerevoniis ab Apostolis institutas in oblationibus, & officiis perficiendis. Auctor pariter Canonum illorum, qui illustri Apostolorum titulo inscripti reperi-

untur, tradit, Divinarum Scripturarum Libros, & certas preces in Sacrificio obeundo recitatas fuisse. *Can. enim 9. statutum legitur, ut communione priventur omnes Fideles, qui ingrediuntur ad Sacrificium, & Scripturas audiunt, in preceatione autem, & sac. Communione non permanent.*

Denique, sacros Missæ Ritus magna ex parte ab Apostolica traditione originem suam trahere, docuit pariter S. Justinus illis vulgatissimis verbis, quæ leguntur in sua Apologia 2. Anno Domini 140. ad Imperatorem Antoninum scripta: *Solis, qui dicitur die, inquit, omnium qui vel in Urbibus, &c. cujus integrum textum supra pariter exhibui.* Ex quo Justini textu planè eruitur consuetudo Apostolorum Canonibus conformis, ut in Missæ Sacrificio sacre Scripturæ Libri legerentur, & deinde ab Episcopo explicarentur, denique precibus, & gratiarum actionibus Sacrificium ipsum conficeretur, & Eucharisticus Panis Sacrificio astantibus distribueretur, absentibus verò per Diaconos mitteretur; quæ omnia profecto statutis temporibus peragebantur. Idem observat P. Massuet apud Irenæum *lib. 1. cap. 3.* ut videre est apud eundem variarum Liturgiæ *cap. 4. §. 9.* Lubet etiam addere suffragium Divi Basilii, qui floruit Anno 370. ad prædictam veritatem magis, magisque comonstrandam, scilicet de sacrorum Rituum Apostolica origine. Igitur præfatus S. Antistes, & Doctor in *lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* ait: *Dogmata, & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita; quedam rursus ex Apostolorum traditione in Mystero, idest in occulto, tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, quisquis sanè, vel tenuiter expertus est, quæ sint Jura Ecclesiastica.* Et paucis interjectis enunciat in hunc censum venire signum Crucis, conversionem ad Orientem in preceatione, ac alia similia nonnulla adducit, quæ omnia super-



vacaneum est referre; sed concludendum solummodo est ex Basilii pariter testimonio, certos Ritus, ac Ceremonias ab Apostolis statutas fuisse, qui non interrupta traditione ad nos pervenerunt.

Eadem veritas asseritur pariter à S. Innocentio I. Romano Pontifice, qui anno 400. Apostolicam Sedem regebat, in epistola ad Decentium Edgubinum Episcopum, in qua ait: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Dominus Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur, sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc aestimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, aut Ecclesiis, vel teneri, aut celebrari videntur, ac si scandalum Populis, qui dum nesciunt, traditiones antiquas humana presumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis, vel ab Apostolicis Viris contrarietatem inducendam. Quis enim nesciat, &c.* Reliqua verba dabuntur infra sub num. XV. S. Innocentio concinit Vigilius, pariter Romanus Pontifex, in sua epistola ad Profuturum Bracarensem Episcopum scriptam A. D. 538. in qua sacre Orationis Canonem, quem precem Canonicam vocat, ex Apostolica traditione acceptum asleverat, his verbis: *Ordinem quoque precum in celeberrate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.* Et paucis interjectis subnectit: *Quapropter, & ipsius Canonicæ Precis Textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione accepimus.* Præfatis Pontificibus, & aliis allegatis Ecclesia Patribus undequaque consentiunt Ilidorus Hispalensis, qui floruit initio septimi seculi in *lib. 1. de Eccl. fast. Offic. cap. 15.* Etherius Episcopus Uxamensis, & Beatus Presbyter in libris adversus Elipandum Toletanum (*lib. 1. pag. 89. in Tom. singulari insignium Auctorum Petri Stevartii*) quibus pariter concinit Walafridus Strabo in

*lib. de Rebus Eccles. cap. 22. nec non Rupertus Abbas Tuitientis lib. 11. de Divin. Offic. cap. 21. ubi ait: Et sicut traditum à Domino per Moysen Sacrificii veteris Ordinem, præcipue David, & Salomon, Sacerdotum, & Levitarum ministerio, Cantorum multiplici numero, Psalmorum Divinorum tripudio, Templi, vel Altaris illustri Gloria, sacrorumque multitudine Vasorum splendidius amplificaverunt: Sic traditum à Domino mirabilem novi Sacrificii Ritus per primos Apostolos Sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fidei cura conservavit, diligenti apparatu exornavit.*

Rationi consonæ sunt præfatorum Auctorum assertiones; nam quamvis Apostoli ab initio Ecclesiæ, ut testari videtur Gregorius Magnus l. 7. ep. 63. *Sola Oratione Dominica Hostiam consecrarint:* attamen certissimum est, quod dum cæpit augeri multitudo Fidelium, cæperunt etiam ipsi Apostoli lectiones, preces, & Ceremonias adicere, quibus Sacrificii dignitas clarius emereret, & crescente Fidelium pietate, ac fervore, major ipsi Sacrificio veneratio conciliaretur. Et equidem cum omnibus compertum sit, quod in Missæ celebratione, omnes Orientis, & Occidentis Ecclesiæ, Ritus quosdam communes ab initio habuere; nempe lectiones sacrarum Scripturarum initio Liturgiæ; Psalmorum, aliorumque Canticorum recitationem; Oblationem Panis, & Vini aqua mixti; Consecrationem utriusque, verbis Christi Domini cum benedictione, ac signo Crucis à Sacerdote facta; Orationem Dominicam, & gratiarum actionem post sacram Communionem: hinc evincitur hos omnes Ritus omnibus Ecclesiis communes ab unico, nempe Apostolico Fonte derivasse; quamvis postea designationem certarum ex Scriptura lectionum, Psalmorum, aliarumque precum numerum, & definitionem pro locis, ac temporibus varios extitisse omnibus notum sit. Illi, qui priorem modum attenderunt Auctores Missæ, ordinem ubique unifor-



uniformem fuisse dixerunt, inter quos est Ildorus *lib. 1. cap. 15.* & post eum Etherius *lib. 1. pag. 89.* & Beatus Presbyter in *libris adversus Elipandum Tolosanum* disertis verbis asseruerunt: *Ordo Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primò à S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peregrinavit Orbis.* Uno, inquam, eodemque modo intelligebant præfati Auctores modum quemdam in summa communem, quem ab initio omnes, ut dixi, habuere Ecclesiæ, & quoad Rituum substantiam, & habitam ratione modi illius generalis præcum, Psalmorum, &c. uniformis, non respiciendo ad Ritus quosdam singulis Ecclesiis, seu Regionibus proprios, ad orationes peculiare, & ad alia id genus, nam quoad ista multum profectò discriminis agnoscebant, non tantum inter Orientalem, sed etiam inter Latinas invicem Ecclesiis.

Ex præfatis omnibus intelligi potest, quibus auctoritatibus, & rationibus permoti Patres Tridentini docuerint *sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 5.* *Ceremonias ab Ecclesia adhibitas, ut Mysticas Benedictiones, Lumina, Thymiamata, Vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quò & Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia Religionis, & pietatis signa ad Rerum Altissimarum, quò in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Junè merito igitur sacros. Tridentina Synodus *sess. 7. de Sacram. Can. XIII.* anathematis fulmine percussit omnes eos, qui receptos, & approbatos Ecclesiæ Ritus contemnunt, aut omitti sine peccato posse contendunt.

Hanc quæstionem, de præcipuis Missæ Ritibus pro maxina sui parte ab Apostolica doctrina, & traditione derivatis, egregie pertractat Dominicus Georgius *Tom. 1. lib. 1. cap. 1. de Liturgia Romani Pontif.* Rursus eandem sententiam edocet etiam Eusebius Renaudotius *Tom. 1. Liturgiarum Orientalium in dissert. ibi præfixa cap. 3.* ubi describit

Ritus illos, in quibus conveniunt Orientales, & Occidentales Ecclesiæ, eosque ab Apostolico Fonte profluxisse asseverat. Quòd inficiari nequit Græbius ipse, etsi Heterodoxus, de quo P. Malluet *cit. lib. 1. cap. 3. lit. B.* & bene se res habet, quòd Græbius suis candidior fateatur - *illos, qui in omnibus istis Liturgiis (Apostolicis) exprimuntur, quique jam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuerunt, Ritus ex Apostolica traditione fluxisse.* Ecclesiis enim, ab Apostolis institutas, formam aliquam, & ritum offerendi Sacrificium, eandem tam arcta sit, & præcipua cum Religione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non quòd tamen Liturgias omnes Apostolicas iis, quorum nomine insigniuntur, adjudicare velim. Sufficiat Liturgiarum antiquiorum si non Scriptores, saltem primos Auctores esse Apostolos. Et Grotius voto pro pace Ecclesiæ *pag. 670. tit. de Missa: Consensus*, inquit, *Liturgiarum per omnia loca, ac tempora, in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum suum sanctificet, & que faciat Corpus, & Sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc à prima Apostolorum institutione.*

XII. Gav. *pag. 3. col. 2. ead. lit. d. Primam verò Missam celebravit S. Petrus.*) Dissident Auctores super Apostolo, qui primus omnium post Christi Domini Resurrectionem Missæ Sacrificium confecit, & super tempore, quo prædictum primum Sacrificium celebratum fuit. Genebrardus in suo *lib. de Apostolica Liturg.* censet Jacobum fratrem Domini primum omnium Apostolorum Rem Divinam confecisse Hierosolymis. Verùm contrariam sententiam tenet Antonius Demochares (à Gavanto *cit.*) *Tom. 2. de Missa cap. 5.* cui sententiæ suffragatur etiam Joseph Vicecomes *de Ritibus Missæ lib. 1. cap. 16.* Card. Bona *de Rebus Liturg. lib. 1. cap. 5.*

Isti enim omnes eum pluribus aliis censent S. Petrum, aliorum Apostolorum Principem, & Coryphæum Missæ dicendæ initium fecisse. Et re verà nemini hæc præro-



gati a convenientius tribui potest, quam Petro, quem, ut ait Leo Magnus (*serm. 3. in sua assumptione*) omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesie PP. Christus preposuit, cui consortium potentia sua tribuit Divina Dignitatis. Asterius verò Amasenus clarius favet prædictæ communioni sententiæ, dicendo: (*Homil. in Principia Apostolorum*) Sicut Petrus primus omnium Gentibus, & Israelitis, tanquam Episcopus, & Pastor omnium, prædicavit ita credendum, eum primum Sacrificium obtulisse. Hanc pariter sententiam tradidit Albinus Flaccus *lib. de Divin. Offic. cap. de celebrat. Missæ*, & Hugo à S. Victore, qui asserunt utique Petrum, Apostolorum primum omnium, Sacrificium celebrasse, sed Antiochiæ, non verò Hierosolymis. Verum non est recedendum à Gavanti, & communi Auctorum opinione, qui adstruunt, Hierosolymis Apostolos Sacrificium fecisse longè antea, quam Antiochiæ rei Divinæ operarentur. Cautè igitur intelligendi sunt præfati Auctores, ita ut, non sicut sonant eorum verba, intelligere oporteat: nam quod ajunt, Antiochiæ primam Missam celebratam fuisse, id accipiendum est juxta Josephi Vicecomitis sanam interpretationem de Re Divina, quæ primum apparatus pompa confecta fuit (quanquam hoc etiam sit mera divinatione Vicecomitis, neque præfati Auctores in hac re tanti faciendi sunt, ut nostrum assensum detorqueant) quandoquidem longè antea Hierosolymis Apostoli Sacrificium Divinum celebrarunt, cui loci circumstantiæ favent Actus Apostolorum, in quibus *cap. 2.* legimus: *Apostolos accepto Spiritu Sancto hortatos esse Populum ad penitentiam*; & continuo subditur, fuisse eos perseverantes in *communi- catione fractionis Panis, & orationibus*; ex quibus eruitur, Hierosolymis statim post acceptum Spiritum Sanctum eos Sacrificium Eucharisticum peregisse, & cœlestem Panem Fidelibus distribuisse.

Ex præfatis Actuum Apostolorum verbis eruitur pariter, primum Sacrificium ab Apo-

stolis non fuisse celebratum, nisi postquam ad illud dispositi fuerunt Divinæ gratiæ plenitudine, qua, in die Pentecostes, illabente Spiritu Sancto super ipsos, perfectè imbuti fuerunt. Similia enim verba ante descriptam Missionem Spiritus Sancti, protulit Sanctus Lucas *Actuum Apostolorum cap. 1.* & ibi nullam facit mentionem fractionis Panis, sed tantum dicit: *Erant perseverantes unanimiter in oratione, & obsecratione*; quia nimirum, ut optimè ponderat Card. Bona *cit. lib. 1. cap. 5.* cum ante Pentecosten nondum factus esset promulgata Lex Evangelica, nec decebat novum offerri Sacrificium, Sacerdotio nondum translato. Quapropter, ut etiam consentit sapientissimus Card. de Lambertinis in sua 20. notificatione, non sunt audiendi illi, qui opinantur Apostolos in triduo Mortis Christi Domini utique Missam non celebrasse, sed statim post Resurrectionem Domini depulsa mœstitia sacrum peregisse, ut suadere contendit Rayn. in *tract. de prima Missa* (qui habetur in *Tom. 6. suorum Operum*) *sect. 1. cap. 1.* sed potius adharendum est antedictæ Gavanti sententiæ ab aliis communiter propugnata, nempe ante Spiritus Sancti Adventum licitum non fuisse; cui quidem sententiæ favet Hesychius *lib. 4. in Leviticum cap. 9.* his verbis: *Tunc Christus Sacrificium suum innotescere capit* (id est notum fecit) *ex quo Spiritus adveniens Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnium Gentium primicias ad Apostolorum Canaculi superiora collegit.* Suffragatur etiam Palchasius *lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap. 21.* ubi ait: *Ex quo renovati sunt SS. Apostoli per Adventum S. Spiritus de Cælis, & inebriati musto Caritatis; ex eo sanè credimus hunc Calicem in Ecclesia consecratum; quoniam ille Spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudine doctrinæ.* Ex quibus omnibus firmata remanet Gavanti sententia, nimirum primum Christianæ Ecclesiæ Sacrificium, non à Jacobo, sed à Petro Apostolorum Princi-



pe; non Antiochiæ, sed Hierosolymis, & quidem in ipsomet Cœnaculo, in quo Spiritum Sanctum Apostoli acceperunt, peractum fuisse.

XIII. Gav. pag. 3. col. 2. ead. lit. d. Petrus igitur eandem obtulit in Pane Azymo.) Johannes Ciampinus in suo libro inscripto: *Conjectura de perpetuo Azymorum usu*, cap. 3. pag. 43. suffragatur sententiæ Gavanti; cit. enim loc. dicit: Non temerè asseritur, illos (nempe Apostolos) si omnium, que in præceptis Iesus, diligentissimi observatores, atque custodes fuerunt, fuisse etiam in usu Panis Azymi, quem à Christo Domino acceperant. Verùm Card. Bona lib. 1. cap. 23. consentire videtur Arcudio, qui lib. 3. de Sacram. cap. 3. ait: *Apostolos verisimile esse pro varietate locorum, Gentium, & temporum, modo Azymo, modo fermentatò usos fuisse, & consecrasse Panem illum, qualem in domibus Fidelium reperiebant, sive Azymum, sive fermentatum.* Quæ Bonæ sententiæ probabilior mihi videtur; nullum enim præceptum obligabat Apostolos ad consecrandum in pane azymo, quia licet pro certo habeam cum communiori sententiâ, Christum in ultima Cœna non alio pane, quàm azymo usum fuisse, prout in diebus Azymorum Lex vetus præcipiebat, & in eo Corporis sui Sacramentum admirabile instituisse; nihilominus nullum imposuit præceptum, de azymo potius, quàm fermentato pane adhibendo in Sacrificio Eucharistico: & sicut cœtissimum est, & inconcussum Fidei dogma, utrumque panem, tam Azymum, quàm fermentatum, legitimam esse Sacramenti materiam, & utrumque ab Ecclesiâ approbari pro validitate Sacramenti; ita communis est sententiâ Theologorum, nullum super Azymo potius, quàm fermentato urgere Divinum præceptum, sed solum Ecclesiasticum, præscribens Latinis Sacerdotibus usum Azymi, Græcis verò usum fermenti, ut liquet ex Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino, & ex literis unionis, necnon ex motu proprio Pii V.

qui incipit: *Providentia Romani Pontificis, &c.* in quo revocans omnes facultates, vel licentias celebrandi, Græcos more Latino, & Latinos more Græco, subdit; *Quibusvis Presbyteris tam Græcis, quàm Latinis, præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à Divinis, panis, districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco Ritu hujusmodi licentiarum, & facultatum, aut aliorum prætextu, Missas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant.*

Mox laudatus Ciampinus in fine capituli primi allegati operis recenset Catalogum Auctorum, qui usque ad Concilium Florentinum, in quo Concordia Græcorum cum Ecclesiâ Latina inita fuit, scripserunt de usu Azymi, & fermentati. In sequentibus verò capitibus congerit varias aliorum sententias circa eandem materiam, post dictum Concilium ab iisdem expositas, & propugnatas. Præcipui verò, qui de Azymi, & fermentati usu in Ecclesiâ Occidentali scripserunt, sunt Doctissimus Jacobus Sirmondus, qui in singulari de hac re dissertatione edita Anno 1651. & quæ reperitur in tom. 4. suorum operum, probare conatus est, usum fermentati octingentis, & amplius annis in Ecclesiâ Latina viguisse, recepta autem Azyma medio illo intervallo, quod à schismate Photii sub Pontifice Nicolao I. usque ad turbas Michaelis Cerularii sedente Leone IX. effluxit, idest, medio illo tempore, quod ab Anno 867. ad 1054. intercessit. Rigidam hanc Sirmondi sententiam solus, quod sciam, tuitus est Launoyus in Dissertatione, quam memorant Ephemerides Parisienses Anno 1697. pag. 20.

Opinionem hanc mitigavit nunquam sine laude nominandus Card. Bona lib. 1. *Reverum Liturg. cap. 23.* qui statuit, usum Azymorum in Ecclesiis Occidentalibus communi lege sancitum, & ubique receptum fuisse prope finem noni seculi, vel initio deci-

mi:



nis, à temporibus verò Apostolorum usque ad prædictum tempus, promiscuum fuisse usum Azymi panis, ac fermentati. Hanc Bonæ opinionem cum nonnulli acriori censura perstringerent, ejus verba in prævum sensum detorquentes, clariùs postmodum explicavit, & solidioribus momentis firmavit in secunda sui operis editione; quam etiam plures eruditi secuti sunt, nimirum Franc. Maria Florentinius in *Disquisit. de antiquo usu fermentati panis, & Azymi*, à Filio ejus edita, Edmundus Martene *lib. 1. de Antiq. Eccles. Rit. pag. 308.* Grancolas *tom. 1. de Antiquis Liturgiis pag. 564.* Juenin. *dissert. 4. de Sacram. Eccles. quest. 2. §. 5.* Contrà verò Sirmondi, ac Bonæ sententiam impugnare conati sunt laudatus Ciampinus, Franciscus à S. Augustino Macedo in *Dissertat. Theologica de Ritu Azymi, & fermentati*, in 16. capita divisâ, quam Veronæ Anno 1677. in lucem emisit. In eo autem Cardinalem Bona nimis acriter impugnare videtur, præsertim cum Eminentissimi Auctoris sententiam ineluctabilibus principiis inniti ipsemet fateatur in epist. ad eundem scripta Anno 1672. die 18. Novembris. Eandem Bonæ opinionem refutavit Doctissimus Mabillonius in *Dissert. de pane azymo, ac fermentato*, quam scripsit, & evulgavit ab eodem Card. Bona rogatus, ut ex pluribus constat Cardinalis epistolis. Reperitur hæc Dissertatio post Præfationes Mabillonii in *Sec. Benedict.* & in *Bibliotheca selecta de Rituzymi, & fermentati impressa Venetiis 1729.* Uno tandem Capite auctam, quod Bonæ Consilio in prima operis editione Mabillonius omiserat, edidit Antonius Vincencius Thuillier inter opera posthuma Mabillonii, & Ruinartii, ubi legi etiam potest celebre Thomasi de hac Mabilloniana Dissertatione iudicium. Scripsit etiam de hac re eruditissimè Christianus Lupus in *Scholiis ad acta S. Leonis IX. à Capite V. usque ad XII. quibus addere lubet nuperum clarissimum Scriptorem Antonium Sandini,*

qui inter 12. Dissertationes, quas ex Ecclesiastica Historia depromptas Patavii edidit Anno 1729. undecimam composuit, de perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina; & P. Honoratum à S. Maria, qui eandem sententiam eruditissimè propugnavit *Vol. 2. Dissert. IV. & V. ejus operis Gallicè exarati sub titulo - Reflexions sur les Regles de la Critique -* quæ nunc latino sermone donantur, & prælo Veneto parantur. Pro dicta opinione scripserunt etiam nonnulli ex Græcis Viri doctissimi, quos inter Barlaam *Tom. 26. Bibl. PP. edit. Lugd. Gennadius in eodem Tom. pag. 573.* Hi omnes, ut perpetuum azymorum usum apud Latinos tueantur, provocant ad traditionem Apostoli Petri, de qua vide *Cotelerium Tom. 3. Monum. Eccl. Græcæ pag. 665.* & ad exemplum Christi, quem in Eucharistici Sacrificii institutione pane azymo usum fuisse, non solum omnes ferè Orthodoxi fatentur, sed etiam plerique Hæretici, inter quos Scaliger *de emendat. Temporum pag. 567.* Buxtorffius *dissertat. philologico-theolog. pag. 246.* & Basnagius in *Annal. polit. Eccl. Anno Domini 33.* alique; Attamen ut dicam quod sentio, mihi persuadere non possum, Latinam Ecclesiam nusquam in fermentato pane consecrasse, nam cum invictissimis argumentis ostenderiat Sirmondus, ac Bona, Eucharistiam per plura secula ex populi oblationibus fuisse confectam, incredibile omnino videtur, Fideles panem azymum semper paratum habuisse, quem Altari consecrandum offerrent, quod argumentum meo quidem iudicio nunquam plene solvetur.

Pro fermentati panis usu videndus est Meletius inter opera Johannis Damasceni *Tom. 1. edit. Michaelis Le Quien pag. 647.* & Maximus Peloponnesius Hiero - Monachus in *Dissert. de Eucharistia contra Latinos* cum versione Jenkini Thomasi edita inter hujus Dissertationes Altdorf. 1712. 8. pag. 385. & seq. alique Scriptores à Ciampino laudati, qui.



quibus addere lubet Anonymum quemdam Syrum in Codice Colbertino, qui teste Renaudotio *Tom. 1. Liturg. Oriental. pag. 140.* de hac controversia omnium eruditissime scripsit; sicut & Johannem cognomine Ebn-Botlan Medicum Bagdadensem, cujus tractatum arabicè scriptum pro Michaelè Carulario Anno Alexandri 1365. Martyrum 760. Hegiræ 445. idest, Anno Christi 1053. se reperisse testatur in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ idem Renaudotius *tom. 2. pag. 65.* Porro usque adeò exarsit Orientalium quorundam in Latinos odium, ut propriam sententiam, non sine Evangelici textus depravatione, Liturgiæ etiam inserere non dubitarint. Hinc legimus in Liturgia Mathæi Pastoris apud eundem Renaudotium - *Cumque Testamentum novum, quo vetus aboleretur, iradere vellet, panem fermentatum, in quo mysterium vitæ regebatur accepit* - quod etiam additum reperitur in Liturgia Maritæ. In ea verò, quæ dicitur Ignatii Patriarchæ Antiocheni, sic habetur - *Accepit panem perfectum* - quasi innuere vellent, panem azymum non esse perfectum: notat tamen Renaudotius temerarium hoc facinus recentiorum Orientalium esse, non veterum. Quamvis autem pleræque Orientales Ecclesiæ utantur pane fermentato (cui Syri, & Nestoriani addunt salis micam, & stillam olei) attamen nonnullæ Latinorum consuetudinem imitantur. Sic Armeni ab antiquissimis temporibus azymo pane usi sunt: Maronitæ etiam præter cæterorum morem Eucharistiam in azymo pane conficiunt. Quo tempore, & qua de causa azymo uti cœperint, difficile est invenire, ut ait Cardinalis Bona; ipsi tamen affirmant, antiquissimam esse in suis Ecclesiis hanc consuetudinem, quod Bonæ non omnino placet; inquit enim, quod ejus initium designare non possunt; atqui hoc ipso probatur Ritum quempiam esse vetustissimum, cum ejus initium ignoratur. Et reverà jam à sexto seculo Syrorum Ecclesiæ ad Sacrificium azymis utebatur, ut testatur Johan-

*Gavanti Rubr. Miss.*

nes Asia Episcopus, qui sub Justiniano floruit. Verba Johannis hæc sunt relata à doctissimo, & eruditissimo Ascemanno *tom. 1. Bibliothecæ Orientalis p. 410. & 411.* Ea propemodum tempestate excogitavit Diabolus in regione Perhorum errorem quorundam, qui nec panem comedere, nec aquam bibere se se jactabant. Quidam itaque ex fratribus, quorum Monasteria necdum cognita sunt, & alii Archimandrita ejus loci inanem gloriam, & vanum nomen apud vulgus aucupantes, de se ipsis falsò prædicabant, quasi panem non comederent, nec aquam biberent, & à vino abstinerent, Nazæorum more; necessitati autem cibi, & potus, sanctorum mysteriorum usu per summam impietatem succurrebant. Sacra ergo oblatione plerumque sustentabantur. Eapropter Bucellam, quam ipsi conficiebant, diu fermentabant, & data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius, quàm in mysterium Corporis Christi, quod in azymis manducatur. Nil clarius afferri poterat ad probandam vetustissimam Syrorum consuetudinem in azymis consecrandi. Merito igitur Illustrissimus Ascemannus post Johannis testimonium ista subtexuit - Hinc colligas azymi usum ad sacram Liturgiam in Syrorum Ecclesiæ esse antiquissimum, quem Maronitæ, & Armeni in Oriente hæcenus retinuerunt. Ritum conficiendi Sacrificium in azymis observabant etiam Ebionitæ seculo quarto, teste Epiphanio. An Orientalium Catholicorum morem imitabantur? Fatentur nonnulli, inficiantur alii; rem planè incertam definire non audemus.

XIV. Gav. pag. 3. col. 2. ead. lit. d. *In Cænaculo Sion.* Super loco, in quo B. Petrus Apostolus primam Missam celebravit, satis superius mentem meam aperui, inherendo sententiæ Gavanti, cui consentit etiam Cardinalis Bona *lib. 1. cap. 5.* Primum nempe Christianæ Ecclesiæ Sacrificium Hierosolymis peractum fuisse, & quidem in ipso-

D

met



met Cœnaculo, in quo Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt. Superest nunc, ut progrediamur ad discutiendas breviter alias circumstantias illius primæ Missæ à D. Petro celebratæ; nimirum quibus Ritibus, & Ceremoniis; quo apparatu, seu indumento, & qua lingua tale Sacrificium oblatum fuit; & similiter quomodo ceteri Apostoli, in illius Ecclesiæ nascentis primordiò, sacris operati fuerint. Divus Gregorius Magnus *lib. 7. epist. 63.* ad Johannem Syracusanum Episcopum scribit: Apostolos sola Oratione Dominica Eucharisticam Victimam obtulisse, pronuntiando procul dubio verba Consecrationis. Divo Gregorio concinit Walafridus Strabo *cap. 22. de Rebus Eccl.* ubi ait: *Quod nunc agimus multiplici Orationum, Lectionum, Cantilenarum, & Consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, ut creditur, Orationibus, & commemoratione Passionis Dominica, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter.* Ab iis tamen dissentire videtur Divus Chrysostomus, qui *Homil. 27. in epist. ad Corinth.* ait: *Cum sacras illas Cœnas accipiebant Apostoli, quid tunc faciebant? nonne in Preces convertebantur, & Hymnos? nonne in sanctas Vigilias? nonne in longam doctrinam, & multam Philosophiæ plenam?* Sententiæ Chrysostomi suffragatur etiam Proclus Constantiopolitanus in Libello *de Traditione Missæ.* Eadem sententiâ confirmari potest iis testimoniis, & argumentis, quæ superius adduximus, demonstrando, sacros Ritus, qui in Missæ celebratione adhibentur, quamplures ab Apostolico fonte derivasse. Nihilominus prædictæ duæ oppositæ sententiæ, & dissidentes PP. conciliari possent, dicendo: ab initio brevissimum fuisse Liturgiæ Ritum, ita exigente Christiana tunc nascentis Ecclesiæ statu, & conditione; postea verò, crescente Fidelium numero, & devotione, Apostoli cœperunt adjicere sacrarum Scripturarum Lectiones, Preces, & Ceremonias, & ut Sacrificii Eucharistici dignitas clariùs elucesceret, & ut majorem venerationem Au-

gustissimo Sacrificio conciliarent: sive etiam dici possent; Apostolos contractam sacrificandi formulam adhibuisse, quando periculum imminerebat, ne à persecutoribus inter litandum deprehenderentur; prolixiorẽ verò, quando tale periculum non imminerebat.

Super alio dubio proposito de apparatu, quo D. Petrus primam Missam peregit, dissident inter se Auctores: Walafridus Strabo *lib. de Rebus Eccl. f. cap. 24.* & Radulphus Tungrensis *de Canonum observantia prop. 23.* opinantur, Apostolos ab initio nascentis Ecclesiæ communi indumento sacris operatos fuisse, quorum sententiæ adhaeret etiam Josephus Vicecomes *lib. 1. de Missæ Apparatu cap. 2.* Nicolaus Alemannus in *Dissert. de Pavetinis Lateranensibus c. 9.* usum sacrarum vestium in Sacrificio peragendo non solum Apostolis, sed etiam Apostolicis Viris nimis inconsulte denegavit. Econtrà verò Valdenis, Demochares, Baronius, Stapletonius, Du Saussay, quos refert, & sequitur Card. Bona *lib. 1. cap. 5.* fatentur quidem Christum non aliis, quàm propriis vestibus indutum, Eucharisticum Mysterium instituisse; Apostolos verò non vulgaria, sed sacra indumenta adhibuisse in oblatione Divini Sacrificii; in ejus sententiâ comprobationem Bona allegat Honorium in *Gemma Anima cap. 89.* dicentem: *Apostolos, & eorum successores in quotidianis vestibus Missam celebrasse; & postea subdentem: Sed Clemens tradente Petro Apostolo usum sacrarum vestium ex Lege sumpsit, & Stephanus Papa in sacris vestibus Missas celebrari constituit.* In quibus verbis apertam Antilogiam reperit mox laudatus Card. Bona; nam si tradente Petro usus sacrarum vestium sancitus est, quomodo Apostoli, & eorum successores Apostolorum Principis traditionem; seu præceptum neglexerunt, in quotidianis vestibus celebrantes? Hæc clarissimus Auctor. Radulphus Tungrensis *de Canonum observantia prop. 23.* hæc tradidit: *Ab initio siquidem, cum adhuc*  
novit-



novella est Ecclesia, Apostoli cum sanctificatione Crucis, & Oratione Dominica, prout in quibusdam Scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus, & lignis Calicibus celebrabant. Sed B. Clemens, ut dicit Gemma, tradente B. Petro, usum sacrarum vestium ex Lege superposuit. Allegatur hæc auctoritas Radulphi Tungrensis à Josepho Vicecomite in suo Volumine 4. quod est de *Missæ Apparatu* lib. 1. cap. 2. Sed verba, quæ allegantur excerpta ex libro inscripto: *Gemma, &c.* fatetur se minimè reperire potuisse; quamvis aliàs diligenter talem librum legerit. Verùm adnotare est, quòd in exemplari præfati operis, quod habetur in Bibliotheca SS. PP. lib. 1. cap. 89. in quo agitur de vestibus, & Calicibus, verè reperiuntur eadem verba, prout referuntur à Radulpho Tungrensi, & à Card. Bona; In alio verò exemplari ejusdem operis, nempe *Gemma Anima de Divinis Officiis*, inserti in collectione Hyttorpiana, prædicta verba verè non reperiuntur, & tale opus non est divisum in quatuor libros, sed solum partitur in sexaginta capita, quorum ultimum est de *Processione publica*, & illud de vestibus, & Calicibus non habetur. Unde dicendum est, Josephum Vicecomitem loqui de hoc exemplari, in quo præfata verba non reperiuntur.

Intermissum sermonem resumendo, & redoundo ad resolutionem propositæ disquisitionis, nimirum, quibus vestibus Apostoli sacrum ministerium peregerint; in expositarum sententiarum dissidio, media via incidendum esse crediderim: nimirum primam Missam à S. Petro celebratam utique fuisse veste communi, & Apostolos ipsos, cum sacris operati sunt, non subito singularem, & à communi usu sejuncta indumenta adhibuisse; sed iidem Apostoli, sicut ad conciliandam Augustissimo Sacrificio venerationem paulatim in eo peragendo preces, & Ceremonias adjecerunt, ut pietas Fidelium

adstantium, ac fervor magis accenderetur; ita etiam ipsimet Apostoli, præcipuè verò B. Petrus, singularium in Missæ Sacrificio vestium usum præscripserunt. Hoc verò comprobari etiam potest nonnullis textibus, quos affert Andreas Du Saulsay lib. 6. c. 6. lux Panopliæ Sacerdotalis, & Dominicus Georgius in tom. 1. *Liturg. Rom. Pontificis* cap. 3. n. 7. & 8. ubi optimè observat, quòd, quando legimus apud Auctorem libri Pontificalis à S. Stephano I. *A. D. 253.* sancitum: *Sacerdotes, & Levitas vestibus sacris in usum quotidianum non uti, nisi tantum in Ecclesia*; optimè, inquam, observat mox laudatus Georgius, quòd tunc obrepserat fortasse abusus, ut vestibus sacris hi Ministri extra Sacrificium uterentur; qui abusus à Stephano Papa sublatus est. Cæterùm, idem Georgius *ibidem* n. 8. omnino negat, vestes, quæ sacrificando inserviebant, in communi usu Clericis fuisse, & sentit, Romanos Pontifices, Ministrosque sacris vestibus in Missarum sollempniis à primis usque temporibus usos esse. Sed nostra hæc sententia comprobatur præsertim auctoritate Concilii Tridentini, à quo *sess. 22. c. 5.* inter cætera, quæ pia Mater Ecclesia in Sacrificio adhibet, tantquam ab Apostolica disciplina, & traditione accepta recensentur, etiam vestes sacræ enumerantur.

Non me lateat, aliquos probare hoc assumptum, nostramque sententiam deducere ex illis verbis - *Penulam, quam reliqui Troas de apud Carpum, veniens asser tecum*; quæ leguntur in *epistola 2. Divi Pauli ad Timotheum* c. 4. intelligentes nomine Penulæ vestem sacram, quam Latini Planetam vocant. Hanc opinionem amplectitur Joseph Vicecomes lib. 2. de *Missæ Apparatu* cap. 28. Insignis tamen Theologus Gulielmus Estius, in suis Commentariis ad præfatum Epistolam, rejicit prædictam interpretationem, & censet Penulam significare librum veteris Testamenti. Card. Baronius ad Annum Christi 58. n. 67. & 68. agit hanc controversiam, &



relata utraque opinione, concludit his verbis: *Verum ex his duabus recitatis sententiis, vel de volumine, vel de sacra veste, alterutram, quam velit, Lector sequatur; sed magis place, ut volumen sacra Legis intelligi debeat* - Card. autem Bona lib. 1. cap. 24. n. 8. adheret sententiae, asserenti, Penulam fuisse quoddam vestimenti genus, in quam sententiam descendit etiam P. Calmetus in suo eruditissimo Dictionario Biblico tom. 2. verb. Penula. Et recensissimè eruditissimus vir Philippus Bonaroti in suis diligentissimis observationibus super aliquibus fragmentis vasorum antiquorum vitreorum, quae in Romanis Cœmeteriis reperta sunt, magnam præbet præsidium huic secundae sententiae; nam in Tabula 16. figura 2. explicando quoddam vitrum, in quo videntur effigies SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Laurentii, ostendit commutem Penulam parvam fuisse vestem ad itinerandum aptam, quae deinde habitus civilis evasit, & illustrium personarum proprius, qui pertingebat usque ad talos, & adstruit, Planetas Ecclesiasticas, seu Casulas originem habuisse ab his nobilibus Penulis, non verò ab antiquis valde parvis, & pro itinerantibus valde aptis. Hæc colliguntur ex laudato Bonaroti. Cæterùm Cardinalis Bona, Calmeti, & ejusdem Bonaroti sententiam tanquam certam teneo, quia Penulam, seu Panulas significare vestem spissam, frigori, & imbribus arcendis aptam, asserit etiam Pitiscus in suo Lexico Antiquitatum Romanarum, idque comprobatur auctoritate Tertulliani *Apologeticæ*. 2. & Horatii *epist.* 1. vers. 11. 17. Idem sentiunt Bulengerus lib. de sacris vestibus, Bart. de Penula, Vossius in *Lex. Etymol.* & alii relati ab eodem Pitisco. Improbabilis igitur omnino est illorum sententia, qui statuunt Penulae nomine veteris Legis intelligendum esse volumen; nam cum Paulus postea Timotheum roget, ut cum Penula suos etiam libros mittat, manifestum est Penulam à Libro esse distinctam: sicut etiam rejicienda est alia sententia, quæ Penulam

à Paulo quaesitam censet fuisse vestem sacram; nam Penula nomine intelligere non possumus aliud, quàm quod Pauli tempore per illud nomen significabatur. Constat verò ex citatis supra Scriptoribus, Penulam vestem fuisse itinerariam, non autem sacram. Quapropter rectè affirmavit Gretferus in Commentariis ad cap. 6. Codini, nullum inter vestes Sacras Penulae locum fuisse; cui sententiae primùm subscripserat Ferrarius in prima *tractatus sui de Re Vestitaria* editione; at in secunda in fine cap. 37. opinionem mutavit, & cum Baronio credit Penulam fuisse vestem Sacrificantium.

Progredimur nunc ad discutiendum, qua lingua Apostoli in Ecclesiae primordio Missam celebraverint. Johannes Eckius lib. 2. de *Sacrificio Missæ* asleverat, Apostolos, & eorum Successores, nonnisi Hebraica lingua usos fuisse in Missa celebranda; usque ad tempora Hadriani Imperatoris; Et tunc solum Sacerdotes cepisse in lingua Græca Sacrum Mysterium peragere. Sed nullius auctoritati hæc sua sententia innititur, & ut advertit Card. Bona lib. 1. cap. 3. n. 4. nullum reperitur apud veteres prædictæ sententiae falcimentum: quinimò multa ab eodem Purpurato adducuntur argumenta, quæ eam convellunt. Mox laudatus Eminent. Bona asserit, Apostolos, eorumque Successores eo idiomate in singulis Regionibus usos fuisse, quod tunc illis commune, & vernaculum erat: & ita Hierosolymis Chaldaica; Antiochiæ, Alexandriæ, & in aliis Græcorum Civitatibus Græca; Romæ verò, & in toto Occidente Latina Lingua celebrasse censet. Comprobat autem hanc suam sententiam eruditissimus vir antiquissima, & inmemorabili Ecclesiae consuetudine. In Occidente siquidem non extant antiquæ Liturgiæ nisi Latina; in Oriente verò, quamvis multæ sint diversorum idiomatum Nationes, quæ Christiana professione censentur: veteres tamen non habent Liturgias nisi in Græca,



ea, qua Græci & Mechilæ: Et in Chaldaica Lingua, qua Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ per varias Provincias dispersi utuntur. Verum hic cum Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus art. 2.* animadvertere lubet, prædictis ultimis verbis Eminentiſſimum Auctorem restringere omnes antiquarum Liturgiæ preces ad tres illas linguas, quamvis, ut initio dixerat, non solum illis tribus linguis, sed Apostolos, eorumque Successores eo idiomate in singulis Regionibus usos, quod tunc illis commune, & vernaculum erat: & reverà, alias etiam linguas in sacris Liturgiis adhibitas fuisse, nonnullis exemplis, & argumentis comprobatur Martene loc. cit. Igitur hoc tantum possumus asserere, hodie num Ecclesiastica disciplina usum obtinuisse, ut Missa non nisi tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina cantari præcipiatur, ut loquitur Honorius Augustodunensis *lib. 1. cap. 92. de Gemma Animæ*; cum multis, ac iustis rationibus matrem, ac vernaculam linguam suis Legibus Ecclesia præscripserit, & non nisi aliquo speciali privilegio ab hac Lege aliquam Nationem dispensaverit. Sic Seculo nono Sclavis ad fidem Christianam convertis Johanes VIII. permisit, ut divina Officia, & sacram Liturgiæ lingua Sclavonica peragere possent. Laudandus tamen est prædictus disciplina Ecclesiasticæ usus, præscribens regulariter Liturgiæ non esse celebrandas, nisi tribus præfatis linguis, Hebraica, Græca, & Latina. Confert enim multum ad unitatem in Ecclesia servandam, Sacrum Myſterium fieri aliqua lingua non vulgari, alicui Populo tantum nota, sed communi multis gentibus; ex diversitate siquidem linguarum in divinis Officiis admittæ, grave periculum subeſſet diſſenſionum, & schismatum, & aliquando urgeret necessitas mutandi verba Sacrificii; cum illa, quæ uno tempore sunt vulgaria, talia esse alio tempore desinant. Deinde ejusdem Augustissimi Sacrificii Majestas re-

quirit linguam magis venerandam, & gravem, quam sint illæ, quibus vulgares passim utuntur. Sancta igitur Mater Ecclesia, & in Liturgia Latina has tres linguas tantum admisceat; verba enim Græca sunt *Kyrie eleison, Christe eleison* &c. verba Hebræa sunt *Alleluja, Amen, Sabaoth, & Osanna*; reliqua vero Latina: & non nisi præfatis tribus linguis regulariter sancivit Missam celebrari posse; non solum, quia congruentissimum judicavit, illis solis linguis sacrificium Christi incruentum celebrari debere, quibus ejusdem Servatoris cruentum Sacrificium, & nomen hujus sacratissimæ victimæ, quæ pro salute omnium mactabatur in Ara Crucis, in titulo ejusdem Crucis expressum fuit; sed etiam, quia, quamvis multa sint genera linguarum, præfata tamen tres sunt nobiliores, & principales, ex quibus cætera tanquam rivi ex fontibus sunt derivata. Requirit autem Sacrificii Majestas, ut mox diximus, non nisi his nobilissimis linguis peragi: Latina enim non est usitata nisi apud Eruditos in Occidente; & in Oriente Græca: Lingua siquidem, cujus solet esse usus in divinis Officiis apud Ecclesiam Orientalem, non est Popularis, sed erudita, & non omnibus, sed tantum Eruditis cognita. Hanc igitur Ecclesiæ Christianæ consuetudinem omnes venerari debemus, neque aucter improbare, ex eo quod Populus vulgaris non percipiat verba, quæ in Missa proferuntur: quia primarius divinarum Officiorum finis, non est instructio Populi, sed cultus, & laus Dei. Horum omnium præcessit exemplum in veteri Testamento; nam cum Populus Hebræus post captivitatem Babylonicam chaldaicè loqueretur, Psalmos tamen, & scripturas semper hebraicè cantavit, & legit: quem morem in Synagogis etiam nostri temporis Hebræi observant. Noluit igitur Deus mutari idioma Scripturæ, & suorum Officiorum, licet mutata fuerit Populi lingua. Quapropter concludendum est, sapientissimè ab Ecclesia hunc Ritum servari, ut quo Idiomate



Missa primam celebrata sunt, eodem semper celebrentur, licet ab indoctis, & rudibus talis Sacrificii verba non intelligantur.

Tanquam pro certo admittimus, Liturgiam aliquando Hebraico idiomate celebratam fuisse, quamvis contrariam sententiam edoceat Joseph Vicecomes *vol. 3. lib. 3. cap. 20.* ubi concedit, majores nostros sacris quidem operatos fuisse Græca, vel Latina lingua, nunquam tamen Hebraica; & quamvis admittat, Christum Sacrificii Eucharistici Institutorem, Missæque Auctorem, Hebraico sermone usum fuisse in tanti Sacrificii institutione; non ideo concedit, Apostolos, etiamsi Hierosolymis Sacrum peregerint, Hebraico, sed solum Græco idiomate in Missæ celebratione usos fuisse, hac præsertim ratione motus, quia S. Jacobus, qui illam Ecclesiam primum administravit, Græcè scripsit suam Liturgiam. Eusebius verò Renaudotius in *Dissert. de Liturgiis Orientalium origine, & auctoritate cap. 6.* ubi disserit de Linguis, quibus Liturgiæ ab initio, & ad hæc usque tempora celebrari solitæ sunt, cum distinctione aliqua procedit in decisione hujus quæstionis, asserendo, quod si per linguam Hebraicam intelligatur Hierosolymitana, quæ tempore J. C. vulgaris erat in Palæstina, & quæ Hebraica vocatur in novo Testamento, licet sit solum affinis Hebraicæ, non detrectat asserere, hac lingua Hebraica Missam antiquitus celebratam fuisse. Sed non idem adstruit de pura lingua Hebraica, quam Plebs illiterata non intelligebat; Dicit enim, neminem veterum prodidisse, primò Christi Discipulos prædicta lingua pura Hebraica, Sacra sua celebrasse; à qua Renaudotii sententia recedendum profectò non est; nam quamvis Judæi, & Israelitæ Hebraicam linguam absoluta captivitate Ægyptiaca ad Babylonicam usque, omnino puram, & ab exterarum Linguarum permixtione illibatam servaverint, ita ut illo tempore nullam notabilem mutationem subierit: Nihilominus post captivitatem Ba-

bylonicam familiaris linguæ Hebraicæ usus nunquam amplius fuit purus inter Judæos, sed primò Chaldaico-Babylonico idiomate sunt locuti, ita ut Avorum suorum Hebraicam linguam vix intelligerent; & præsertim illi, qui Babylone degebant. Ita tamen Chaldaicè omnes loqui cœperunt, ut Hebraismos aliquos tam in verbis, quam in pronunciationibus nihilominus retinerent: & postquam in Terram suam à captivitate Babylonica absoluti regressi sunt, linguæ Chaldaicæ usum etiam magis corruerunt, & mediam quandam invexerunt linguam, partim ex Hebraica, partim ex Chaldaica, aliisque dialectis, & idiotismis, juxta diversitatem exterozum, quibuscum conversabantur. Hæc autem Lingua, quæ erat tunc Populo Hebraico vernacula, à Regione, quam ipsi met Hebrai incolebant, Syriaca, & Judæica appellata est; cujus mixta, & Syriacæ linguæ, ut observant Buxtorfius, & Waltonus, variæ erant dialecti; nam dialectus Galilæa, adeò discrepabat ab Hierosolymitana, ut ex S. Petri sermone, illum esse Galileum, collegerint. Hujus autem Syriacæ, vel Syro-Chaldaicæ linguæ maxima hæc exurgit prærogativa, quod Christi Domini ore sancto fuerit prolata; ipsi namque, ejusque Discipulis fuit vernacula, atque etiam Legem suam Evangelicam, vitæque æternæ promissa, quibus omnis nostra spes nititur, in ea primum lingua Mundo promulgavit. Rursus hæc lingua Syriaca est illa, quam Christiani per Orientem sibi ferè propriam fecerunt; siquidem utriusque Testamenti versionem in hac dialecto habuerunt, & in eadem celebrasse Sacra non est dubitandum, ut etiam censet Claudius Frassen in suo doctissimo Opere inscripto: *Disquisitiones Biblicæ lib. 1. cap. 7. §. 5.* circa finem. Hac eadem lingua conscriptum fuisse Matthæi Evangelium tanto unanimi veterum consensu testatum est, ut mirum sit, novitios quosdam Scriptores id in dubium revocare, atque etiam falsitatis arguere, ut optimè edocet Remigius Cæil-



Cællerijs Monachus Benedictinus, in sua eruditissima Historia Generali Scriptorum Sacrorum lib. 2. cap. 2. art. 2. n. 3. Ubi etiam subnectit, Sanctum Mattheam prædicta lingua Evangelii scribendi consilium suscepisse, ut ea suppleret, quæ Hebræis deesse possent, & idcirco eadem lingua in scribendo usus est, qua illos viva voce instituerat; alijs monitis, dum coram esset, traditis, infirmius supplementum attulisset. Quid enim illis profuisset Liber eo sermone scriptus, quem ipsi non intelligerent? Ita etiam Ernestus Tenzelius in suis animadversionibus ex D. Hieronymi Commentario in Mattheum ostendit, non Hebræica lingua propriè dicta, sed Chaldaea, sive ut alii appellari malunt, Chaldaeo-Hierosolymitana conscriptum fuisse, quod Nazareni vendicarent Matthei Evangelium. Nec aliam intelligi putat Fabricius in *Bibliotheca Eccl.* pag. 31. à Græcis Patribus, qui Mattheum hebræicè scripsisse tradunt; quandoquidem in novo Testamento hac dictione idem significatur idioma, quo tunc vulgus Judæorum Hierosolymis utebatur. Inde autem conficitur, nullum Hebræorum Matthei Evangeliorum, quæ Munsterus, Mercerus, Tiliusque vulgarunt, genuinum esse posse. Hæc præfati Auctores, ex quibus annibus optimè inferri posse crediderim, quod sicut præfata lingua conscriptam, & promulgatam fuit primum Christi Evangelium, ita eadem lingua ab Apostolis, & Discipulis Christi primitus sacram Liturgiam celebratam fuisse, & non solum Hierosolymis, sed ubicumque talis Lingua vernacula erat. Quapropter in hoc sensu optimè subsistit sententia Renaudotii, quod lingua Hebræica in primitiva Ecclesia Missa dicta fuerit.

Idque magis evincitur ex *Epist.* 247. Johannis VIII. ad Sventopulerum Comitem Moraviae, in qua permittit Sclavis, ad fidem Christi predicatione S. Methodii conversis, sacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere; in dicta enim Epistola, præter alia, ha-

bentur hæc verba: *Quoniam qui fecit tres Linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes, ad laudem, & gloriam suam.* Ex quibus verbis Summi Pontificis clarè colligitur, Sacram Liturgiam celebratam fuisse his tribus linguis, Græca, Hebræica, & Latina; unde nullo modo denegandum est, Apostolos utquam Hebræica lingua usos fuisse in Missæ celebratione, ut prætendit Joseph Vicecomes. Absque eo quod officiat huic nostræ sententiæ, quod Liturgia D. Jacobæ, græcè reperitur conscripta, non verò hebræicè; nam ab initio etiam eundem Apostolum hebræicè Hierosolymis Sacris operatum fuisse, pro certo habendum est, & processu temporis, etiam lingua Græca Missam celebrasse minime denegamus. Sicut denegandum non est, adhuc reperiri aliquam Liturgiam in præfato Syro-Chaldaico, vel Syriaco idiomate exaratam; & est illa, qua utuntur Maronitæ, qui Libanum incolunt. Hi enim eadem utuntur lingua, qua Christus Dominus creditur usus fuisse, ut tradit Balthasar Francolinus in *suo Tyrocinio Theologico* §. 4. n. 76. Quæ quidem lingua à Card. Bona *l. 1. c. 1. n. 4.* Chaldaica nuncupatur; unde ait, in Occidente non inveniri, nisi antiquas Liturgias Latinas; in Oriente verò, quamvis multæ sint diversarum linguarum nationes, quæ Christiana professione censentur; veteres tamen Liturgias non habent nisi Græca, qua Græci, & Melchitæ; & Chaldaica lingua, qua Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ per varias Provincias dispersi utuntur. Vocat verò ibi linguam Chaldaicam illam, quam alii Syriacam, vel Syro-Chaldaicam appellant, quæ scilicet ex lingua Hebræica, & Chaldaica orta est, & qua Hebræi, ut dixi, Babylone degentes captivi loquebantur, & qua à regione, in quam post captivitatem regressi sunt, Syriaca ab aliquibus dicta fuit, ab alijs verò Syro-Chaldaica, & denique à nonnullis etiam Hebræica, quia Populo Hebræico vernacula



erat. Et hæc satis sint pro hac celebri quaestione diligenter discussa ab Auctoribus Liturgicis.

XV. Gav. pag. 3. col. 2. ead. lit. d. *Petrus ordinem præscripsit, Jacobus evulgavit.* Contra eos, qui asserunt, Jacobum primam Missam Hierosolymis celebrasse, docet hic Gavantus, Petrum Apostolorum Principem, omnium primum Missæ ordinem præscripsisse; Jacobum verò postea evulgasse. Nos superius ostendimus cum eodem Gavanto, Petrum Hierosolymis in cœnaculo Sion primum Sacrificium ante omnes alios Apostolos peregisse. Nunc Gavanto pariter consentimus, & dicimus, verè Petrum primum omnium Liturgiam, sive ordinem, & Ritus præcipuos, quibus Missa celebratur, instituisse. Præsertim verò acerrimè sustinemus, Romanam Missam, seu Liturgiam D. Petro, tanquam primo suo Conditori, & institutori, referendam esse. Quæ quidem veritas, & auctoritatibus luculentis, & validis rationibus manifesta reddi potest: S. enim Innocentius I. in epist. à nobis supra allegata ad Decentium Episcopum Eugubinum, præter alia, scribit hæc verba præcisa: *Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romana Ecclesia traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum. Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjectas, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.* Ex quibus Innocentii verbis liquet, Romanam Ecclesiam à S. Petro suam Liturgiam, seu Ordinem, & Ritus, quibus Missa celebratur, accepisse; & in omnes Occidentis Regiones, aut ipsius Petri, aut suorum primorum successorum studio, eundem Missæ ordinem fuisse deductum, Innocentio I. concii-

nit pariter Vigilius Pontifex, cujus verba superius retulimus. Ita etiam S. Isidorus Hispalensis *Lib. I. Cap. XV. de Ecclesiasticis Officiis*, dicendo: *Ordo Missæ, vel Oratio-nam, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primùm à S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragat Orbis.* In eadem versantur sententia Ethe-rius Episcopus Uxamensis, & Beatus Pres-byter in libris adversus Elipandum Toleta-num, & alii à nobis superius allegati, inter quos Walafridus Strabo, qui floruit circa Annum Domini 840. in lib. de Rebus Eccle-siasticis cap. 22. hæc tradidit: *Et Romani quidem usum observationem à B. Petro Principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua judicata sunt, addiderunt. Quo-rum morem idem in sacris Rebus tam multa Gen-tes imitantur, quia & tanti magisterii ex Api-ce Apostolico primordiis clarent, & nulla per Or-bem Ecclesia æquè, ut Romana, ab omni sece Ha-resum cunctis retro temporibus pura permansit.* In eandem sententiam, nimirum Romanam Liturgiam, non quoad omnem suam partem, sed quoad præcipuos saltem, Divo Petro tri-buendam esse, descendunt pariter Edmun-dus Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 3. art. 1. §. 7. Grancolas in suo lib. de antiquis Liturgiis pag. 51. Le Brun Tom. 2. suarum Explicationum super Ceremoniis, & precibus Missæ dissert. 2. art. 2. & Dominicus Georgius in suo primo Volumine de Litur-gia Romani Pontificis lib. 1. cap. 2. Hi tres recentissimi, & eruditissimi Viri concordés sunt in defendenda ante dicta sententia, quoad Romanam Liturgiam D. Petro, tanquam primario Conditori, adscribendam, iisdem auctoritatibus innixi, quas mox allegavi. Congrua etiam rationi est hæc opinio; nam Pe-trum Apostolorum Principem Romam adventasse certissimum est, quidquid oblatret contra hanc irrefragabilem veritatem Heterodo-xi, & pravæ mentis Auctores) Romanamq; Ec-clesiam rexisset, & ibi Apostolicam Cathedram



ab Antiochia translata, pro suis etiam successoribus in Romano Episcopatu, totiusque Ecclesie Magisterium, & Principatum firmasse; quibus positis, nemo inficiari potest, supremum antedictum Sacerdotem Romae toto sui regiminis tempore certis statutis Ritibus, Ceremoniis, Precibus, Collectis, & sanctae Scripturae Lectionibus Missam celebrasse; qui quidem Missae celebrandae ordo ab ipso inceptus, institutus, & observatus, profecto sive scripto consignatus, sive verbali traditione aliis Romanae Ecclesiae Presbyteris, & suis successoribus in Romana Cathedra communicatus fuit, & temporis successu aliis precibus, aliisque Ritibus adauctus. Sed haec successiva Additiones non efficiunt, quin praedicta Liturgia Romana debeat D. Petro, tanquam suo primo Conditori, & institutori referri.

Sic Jacobum Apostolum esse illius Liturgiae Institutorem; quae ejus nomine inscripta est, accerrime sustinent Leo Allatius in *Symmictis pag. 176.* Cardinalis Bona *lib. 1. Rer. Liturg. cap. 8. num. 3.* & alii, qui allegant in comprobationem suae sententiae perpetuam traditionem veteram, & Graecae Ecclesiae consensum, quae praedictam Liturgiam ut legitimam semper agnovit, & ut Jacobi genuinum opus recepit. Graecorum opinioni accedunt quoque Syri, qui teste Abrahamo Eccheleni in notis ad Hebediesu de Scriptoribus Chaldaicis *pag. 135* asserunt, primum omnium, qui Liturgiam scripserit, & aliis eas scribendi facem praetulerit, fuisse S. Jacobum. Laudatus Abraham confirmat hoc testimonio Jo. Maronis, qui sexto vertente Saeculo vivebat; Synodus quoque Trullana hanc sententiam approbasse videtur; nam *Can. 32.* ex Liturgia S. Jacobi probat, vinum aqua mixtum in Sacrificio Missae esse offerendum, ut refellat Hydopastarum errorem, qui solam aquam offerendam pertinaciter affirmabant. Manuel Malachus in nomocanone *c. 220.*  
*Gavant, Rubr. Miss.*

ait, eandem Jacobi Liturgiam in usu fuisse usque ad tempora Basilii Magni, ejusque meminit S. Proclus Saeculi V. Auctor in tract. de Traditione Divinae Liturgiae; quod opus etsi nonnulli S. Proclo abjudicent, genuinum tamen ipsius factum esse erudite demonstrat noster Vincentius Richardus in notis ad eundem tractatum. Denique Cyrillus Hierosolymitanus multa profert in suis Mystagogicis Catechesibus, quae ita sunt huic Liturgiae similia, ut facile colligas ex ea fuisse deprompta. Eorum vero argumenta, qui Liturgiam hanc Divo Jacobo eripiunt, id unum ostendunt, alia reperiri in eadem Liturgia, quae Jacobo tribui non possunt, neque illius temporis correspondent; sed nos non inficiamur, a Jacobi successoribus aliqua addita fuisse, sicut contingit omnibus Liturgiis, & veteribus Sacramentariis, quae tamen nihilominus adhuc suo principali Institutore adjudicantur; & in hoc sensu etiam sapientissimus Cardinalis Gotti in suo recentissimo, & praecellissimo opere inscripto: *Veritas Religionis Christianae tom. 1. cap. 4. §. 9.* inhaerens sapientissimo pariter Cardinali Bellarmino, praedictam Liturgiam Jacobo asseri posse fatetur. Et revera, ita pariter Gelasio Summo Pontifici adscribitur Codex ille Sacramentorum Romanae Ecclesiae, qui, ut supra inouimus, cura, & studio Cardinalis Thomasi in lucem emissus fuit, quamvis talem Codicem non ex integro praefatus Pontifex condiderit, sed solum illum coordinaverit, & praefationes, aliasque preces ei adjecerit. Rursus quamvis nonnulla praefato Codici post praefatum Pontificem apposita fuerint, quae ipsum profecto non sapiunt; nihilominus semper ipsi adjudicatus fuit. Et eodem modo, & ob eandem rationes Sacramentarium, quod usque ad praesens tempus Gregorianum appellamus, Divo Gregorio Magno tribuimus. Cur igitur, & his, & aliis validioribus rationibus suffulti, Romanam Liturgiam D. Pe-



tro, cen primo Institutore, & Conditor adscribere non debemus? & de hac Romana Missa inferius aliqua alia addemus, eum de multiplicibus Missarum generibus

nobis discurrendum pariter erit, inter quas præcipuum locum Missa Romana promeretur.

### Novæ aliæ Observationes in Rubricæ præliminaris Textum.

XVI. Rub. prælim. pag. 2. *Missæ quotidie dicitur*) Quoniam in animum induxi mus, non solum Observationibus Gavanti Commentaria, sed etiam novis Additionibus totum hunc suum Theaurum illustrare; idcirco super præfatis Rubricæ verbis, quæ Gavantus prætermisit in suis Commentariis, nos expositiones nostras prodere, operæ pretium ducimus. Tria autem præsertim explanatione dictorum verborum consideranda sunt, cum tria in ipsis contineantur. Primum indicatur obligatio, seu usus, quotidie celebrandi: Secundum proponitur conformitas, quæ debet esse inter Missam, & Officium: Tertium explicatur diversitas Missarum de Festo duplici, semiduplici, &c.

Quoad primum, nimirum *Missæ quotidie dicitur*, doctissimus Johannes Mabillon in Præfatione ad Seculum secundum Ordinis S. Benedicti §. 4. n. 36. adnotat, Viros pios nonnullos per Seculum septimum rem sacram quotidie frequentasse, id quod anterioribus Seculis non tam obvium videbatur. Idem clarissimus Auctor Præfat. 1. in Seculum 3. §. 6. n. 52. adstruit, Missæ quotidianæ celebrationem jam inde à Seculo sexto frequentatam Sacerdotibus pijs, circiter octavum Seculum amplius commendari cepisse. Statutum verò de hac re nullum invenisse asseverat ante Annum 855. quo Synodus Ticinensis ita decrevit cap. 1. Statuimus, ut non tantum Dominici diebus, & præcipuis Festivitatibus, Episcopi Missas celebrent; sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent. In Gallia etiam idem statutum eodem tempore emanavit; idque colligitur ex Riculphi Sve-

tionici Episcopi cap. 3. ita Presbyteros alloquentis: *Habete quæsumus studium in Psalmos cantando, in Divinos Libros legendo, in Canonicas Horas constituendo, id est Primam, Tertiam, Sextam, Missarum quoque quotidiana celebratione.* Sed hæc statuta potius exhortationis, quam Legis, aut Præcepti vim habuisse, ibidem ostendere contendit præfatus Mabillonius.

Verum Edmundus Martene in Rebus sacris, non minus, quam Mabillonius peritus tom. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. art. 3. adstruit, & ostendit, quod quamvis primis Ecclesiæ temporibus dumtaxat die Dominico Missæ Sacrificium peractum fuerit; quia id satis innuit S. Justinus Martyr in Apologia 2. ubi agens de Christianis Conventibus, solius meminit Dominicæ: Sanctus tamen Epiphanius tradit, tres in hebdomada dies ad id muneris statutos fuisse ab Apostolis, Dominicam scilicet, & quartam, sextamque Feriam. Hæc enim habet in expositione Fidei Catholicæ: *Sacri porro Conventus, & Synaxes ab Apostolis instituti sunt: his possessione diebus, quarta, sextaque Feria, & Dominica: eamque sententiam confirmare videtur Tertullianus lib. de Oratione.* Hisce diebus Sabbatum adiecit S. Basilius in epist. 289. ad Casaream Patriarcham. Verum tempore S. Augustini variæ erant Ecclesiarum consuetudines, ut ipse ait epistola 54. novæ editionis ad Januarium: *Alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico.* In Africa tamen jam tum quotidiani Sacrificii usum invaluisse colligitur ex ejusdem S. Augustini serm. 58. de Oratione Dominica ad Compentes, in quo



quo ait: *Oratio quotidie dicenda est vobis, cum baptizati fueritis. In Ecclesia enim ad Altare Dei quotidie dicitur ista Dominica Oratio, & audiunt illam Fideles. Non ergo imemus, ne minus diligenter eam teneatis; quia etsi quis vestrum non poterit tenere perfecte, audiendo quot die tenebit. Idem confirmat in epistola 98. dicendo: Nonne simul immolatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Pasche sollempnitates, sed omni die populis immolatur. Eundem Missæ quotidianæ usum, etiam in Ecclesiis Hispaniæ viguisse, eruitur ex hoc Concilio Toletani primi, A. 400. celebrati, Canonibus Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra Civitatem, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut Castello, aut Vico, aut Villa ad Ecclesiam, ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur. Idem asserendum est de Ecclesia Constantinopolitana, quia in Homilia 3. D. Johannis Chrysostomi in epistola ad Ephesios hæc leguntur: *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad Altare; nemo est qui simul participet. Idem pariter eruitur ex Sermone 25. inter falsò adscriptos S. Ambrosio in nova editione; unde probabilissimum est, etiam in Ecclesia Mediolanensi sacrum Mysterium quotidie peractum fuisse. Idem pariter evenisse in aliis Ecclesiis, & Monasteriis, vertente Seculo V. ostendit Martene loco supracit. in sequentibus verò Seculis, quotidianam oblationem in præceptis etiam Ecclesiis usavenisse, non est dubitandi locus; cum in ordine Gelasiano, & in S. Gregorii Sacramentario habeantur Missæ descriptæ pro omnibus Dominicis, & pro omnibus Quadragesimæ, & Paschalis hebdomadæ Feriis; quæ Dominicarum Missæ infra hebdomadam repetebantur, quando propria non occurrebat. Excipiendæ tamen sunt Dominicæ post Sabbatum quatuor Temporum, & Feria V. Quadragesimæ, quæ Officio proprio in præ-**

fatis ordinibus vacare reperiuntur ob illas rationes, quas adducit Martene.

Tertullianus de Jejunii cap. 14. ait: *Nobis certè omnis dies, etiam vulgata consecratione celebratur. Et Card. Bona lib. 1. cap. 18. §. 4. altiùs etiam à præfato tempore repetit usum quotidianæ celebrationis; Andreas etenim Apostolus, quotidie se Hostiam incrementam immolasse testatus est, ut referunt ejus Acta à Presbyteris Achajæ conscripta.*

Innocentius I. in epist. ad Exuperium Episcopum Toleranum docet, ideò Sacerdotibus servandam pudicitiam, quia non præterit dies, quæ à Sacrificiis Divinis vacent. S. Petrus Chrysologus Sermon. 5. de Christo ait: *Hic est Vitulus, qui in Epulum nostrum quotidie, ac jugiter immolatur. S. Basiliius quotidie sacris operatus est, ut scribit Amphilocheus in ejus Vita; idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. D. Cyprianus epist. 14. ad Cornelium ait: Episcopus nostrum honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, Hostias Deo, & Victimam præparemus. Alia testimonia veterum Patrum de usu quotidiani Sacrificii asserit idem Card. Bona, etiam cit. lib. 5. cap. 14. in quo ex professo agit de usu perpetuo Missarum privatarum; & hinc occasio ei præbetur agendi etiam de usu Missæ quotidianæ.*

Ex supradictis liquidò constat contra cit. Mabillonium, non solum à Seculo VI. sed etiam superiori valde tempore, Missæ quotidianæ celebrationem à piis Sacerdotibus frequentatam fuisse; imò Missas privatas quod attinet, si Feriam VI. & Sabbatum majoris hebdomadæ apud Latinos, & omnes Ferias V. Quadragesimæ excipias, quibus adde omnes Ferias VI. Quadragesimæ apud Ecclesiam Mediolanensem, & totum Quadragesimale tempus, præter Sabbata, Dominicas, & Festum Annunciationis apud Græcos; non solum fuit licita omnibus diebus quotidianæ Missæ celebratio; sed etiam pluries una die



celebrare olim permiffum fuit pro cuiuscumque Sacerdotis arbitrio; ita ut alius bis, alius ter, alius quoties ei libebat, Miffas in eadem die iteraret; credentes tantò amplius Deum ad misericordiam flecti, quantò crebriùs paffio Chrifti commemoratur, ut tradit Walafridus Strabo *lib. de Rebus Ecclef. cap. 25.* idque ex Fidelium Virorum relatione accepiffe fe adftruit; qui etiam refert Leonem III. Pontificem novies aliquando in eodem die Sacrificium celebraffe. Verùm enarrate Sacerdotum devotioni aliquos limites à facris Canonibus præfixos fuiffe legimus; nam trigefimus feptimus inter eos, qui sub Ecdaro Anglorum Rege dati funt, ita habet: *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos Miffam fapiùs in ullo die celebret, quàm ter ad summum.* Idem ftatuerunt Leges Presbyterorum Nortumbrienfium *cap. 18.* & Concilium Salegufadienfe, *A. 1022. Can. 5.* Poftèa verò Alexander Papa II. qui obiit Anno 1073. decrevit, ne plus, quàm una in die Miffa ab uno Sacerdote celebraretur, ut legitur in *Decreto Gratiani de Consecrat. Difin. 1. Can. 53.* ubi habetur: *Sufficit Sacerdoti unam Miffam in die una celebrare, quia Chriftus femel paffus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Miffam facere; & valdè felix est, qui unam Miffam dignam celebrare potuit.* Addit nihilominùs idem Pontifex ibidem: *Quidam tamen pro Defunctis unam faciunt, & alteram de die, fi necesse fuerit.* Inter quos numerantur S. Anfelmus, & S. Aibertus, quorum Vita legitur apud Bollandam die feptimo Aprilis, in qua hoc narratur. Verùm neque etiam pro Defunctis modò licet, præter aliam Miffam celebratam in eadem die, facrum facere, & folummodò in folemni die Nativitatis Domini tres, ut olim, permiffum est cuilibet Sacerdoti Miffas celebrare, illis Ritibus, & Ceremoniis, quæ ab Ecclefia, & Sac. Rituum Congregatione præfcriptæ funt, Ita Innocentius III. ftatuit in *cap. Conf. luffis de celebratione Miffarum* his verbis: *Excepto*

*die Nativitatis Dominica, nifi neceffitatis caufa fuadeat, fuffiit Sacerdoti femel in die unam Miffam folummodò celebrare.* Et ibidem *cap. Te referente Honorius III. Quacunque Sacerdos dignitate præfulgeat, plures eodem die Miffas dicere non audeat;* & hæc eft praxis totius Ecclefie, tam Orientalis, quàm Occidentalis, & communis Theologorum fententia, à qua nemo poteft recedere, quin reus evadat graviffimi criminis. Inter Eruditos nullus ignorat, antiquitus, non folùm in die Nativitatis Domini, fed etiam in aliis folemnibus Feftivitatibus plures Miffas à Sacerdotibus celebratas fuiffe. Sic in die Circumcifionis Domini, feu Kalendis Januarii in vetuffiffimo Gellonenfis Monafterii Sacramentorum libro, tres reperiuntur Miffæ adfignatæ, quarum prima, & fecunda inferibitur in *Ottava Domini*, tertia inferibitur *Miffa ad prohibendum ab Idolis.* Secunda tamen eft de B. M. ut indicant Orationes; & reverà in veteri Frontoni Calendario ante Ann. 900. exarato, duæ tantùm Miffæ indicantur; prima de *Ottava Nativitatis*, fecunda verò de S. Maria, quæ etiam tempore Durandi celebrabantur in dicta die, ut ipfe afleverat in *Rationali lib. 6. cap. 5.* Rurfus in præfato Monafterii Gellonenfis Sacramentario ante Annos 900. confcripto non folùm tres, ut in antiquis Sacramentorum libris, fed quatuor adfignantur Miffæ cantandæ in folemnitate Nativitatis D. N. J. C.

Johannes Frontonus mox laudatus in fuis eruditiffimis prænotatis ad Calendarium ab ipfo editum §. 10. afserit in die quoque Pafchæ tres fuiffe Miffas; *Primam Sabbatnam de nocte, Secundam de die, Tertiã in concessione ordinum, quæ non adnotatur, quia fimitur de Communi;* ita præfate doctiffimus Vir. Verùm in Fefto Pafchæ non fuiffe olim collatos ficos Ordines, præten- dit probare editor S. Leonis in 6. *Differtatione* ad opera ejufdem Sancti Pontificis. In veteri Miffali Gallicano à Cardinali Thomafio



ho in lucem emisso per totam Paschæ Octavam adnotantur duæ Missæ; una matutinalis pro Neophytis, altera de die.

Tempore S. Augustini bis litabatur Feria V. in Cœna Domini; semel manè à jejunis, & semel serò à refectis; quod nec ipse improbat, respondens ad Januarium *epist. 54.* novæ editionis, qui eum ea de re interrogaverat. Verùm in antiquo Codice Rhemenfi S. Remigii, & in Noviomensi S. Mariæ, ac in Gellouensi, necnon in Ordine Gelasiano, tres assignantur Missæ in eadem Feria V. in Cœna Domini: Prima pro reconciliatione poenitentium; Secunda, Christifinalis dicta, pro consecratione sacri Christifinalis; Tertia ad vesperum, de ipsa diei solemnitate. His quarta additur in veteri Codice Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ Annorum circiter 900. de qua sicut de supradictis mentionem facit eruditissimus Martene *loc. cit. n. 8.*

Ex eodem Martene eruitur, quòd in optima notæ MS. libro Sacramentorum Ecclesiæ Turonensis ante Annos 800 exarato, tres pariter describuntur Missæ in Vigilia Ascensionis Domini, præter eam, quæ est de Litanía majori. In Ordine autem Gelasiano duæ assignantur in Ascensu Domini; & in Codice Gellouensi duæ adduntur Missæ in Litanía majori, id est in Rogat. primo die unica, secundo die duæ, & sic tertio die, præter eam, quæ est de Vigilia Ascensionis. Præterea in aliis etiam Domini, necnon Sanctorum solemnitatibus reperuntur plures Missæ, quæ in dictis diebus cantabantur. Liquet igitur, olim Missas non privatas modò, sed quoque sollemnes, plures eadem die ab uno Sacerdote celebratas fuisse; de qua Missarum pluralitate eruditè tractant suprà citatus Edmundus Martene *lib. 1. de Antiquis Eccles. Ritibus, Card. Bona lib. 1. cap. 18. num. 5. & seqq.* ubi agit de diebus, quibus in veteri Ecclesia plures Missæ celebrabantur, quos quidem dies ipse vocat Polylyurgicos, ad differentiam illorum

dierum, in quibus nulla dicebatur Missa, quos vocat Aliturgicos; alios verò, in quibus unica tantùm à quolibet Sacerdote dicebatur Missa, Liturgicos appellat. Præter allegatos, legi etiam possunt alii Auctores agentes de earum Missarum pluralitate in eadem die; præsertim verò Johannes Baptista Thiers in *tom. 1. lib. posthumi de Superstitione*, Grancolas *tom. 2. pag. 371.* Mabillonius in Præfat. ad Seculum 2. Bened. Christianus Lupus, qui de hac re fusillimè agit in Scholiis ad citatum Decretum Alexandri II, quod perperam à Burio, Alexandro I. tributum fuit, Gervasius Doroberonensis in *Actis Pontificum Eborac. pag. 1649.* Menardus in *notis ad Sacrament. Gregorianum pag. 167.* Sed talis Missarum multiplicitas in eodem die ab eodem Sacerdote celebrandarum, ut diximus, nunc suspensa omnino remanet, & solum permittuntur illæ tres, quæ in Nativitate Domini quolibet Anno à quolibet Sacerdote peraguntur.

Cæterum resumendo sermonem Missarum quotidie celebratarum; quamvis eam opinionem amplexus fuerim, quæ docet, priscis etiam Ecclesiæ Seculis hunc morem invaluisse quotidie offerendi incrementum Sacrificium; non sum tamen is, qui asseram, eundem morem communem fuisse omnibus Presbyteris: quinimò hæc consuetudo quotidie celebrandi neque post sextum Seculum fuit universalis omnibus Sacerdotibus, ut optime ostendit Edmundus Martene *l. 2. de Monachorum Ritibus cap. 6. §. 3.* ubi asseverat, quòd olim non nisi aliqui perfectiores Monachi multa cum laude, & Religione quotidie sacris operabantur, inter quos recensentur S. Goar Eremita, cui, teste Wandelberto in *eius Vita n. 7. Seculo secundo Benedictino pag. 282.* erat sollemnis consuetudo, ut omni die Missarum sollemnia celebrans, Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret. Ita pariter S. Geremarus Abbas Haviaensis, de quo Anonymus in *eius Vita ait. Offerebat ille Sacrificium per singulos*



*dies cum lacrymis, & contritione cordis:* Kalenses Monachi, quibus Bertilla Parthenonis Kalensis Abbatissa quotidie pro salvatione Animarum Fidelium, & recto statu Ecclesie Domino Hostias sacras jubebat offerre, & alii, quos loco cit. congerit Martene. Verum quamvis nonnulli olim quotidie celebrarent Presbyteri, idque ipsum solitariis permittere videatur Grimalaicus in Regula solitariorum *cap. 36.* tamen paucorum erat ista virtus, peneque omnes, Augustissimi Mysteriorum horror à quotidiano celebrandi ausu arcere solebat; nam præter Ninenses Monachos, apud quos ex octo Presbyteris unus duntaxat sacrosanctum Sacrificium offerebat; singularia hæc, quæ produximus aliquorum Monachorum exempla, qui quotidie offerrent, quid aliud docent, quam alios non ita frequenter celebrasse? Nam si generalis Missas dicendi consuetudo extitisset apud omnes Monachos, frustra isti hac de re tanquam de singulari facinore laudarentur, cum aliis omnibus foret commune. Hæc exscribere placuit ex laudato Martene, qui aliis pariter argumentis comprobat, Monachos Sacerdotes etiam post Seculum sextum à quotidiana Sacrificii celebratione abstinuisse. Sic de S. Rodingo Abbate Bellilocensi legitur in ejus Vita scripta à Richardo Abbate *n. 12.* quod festivis duntaxat diebus celebrabat: florebat autem Rodingus post medium Seculum septimum. Seculo verò octavo in Concilio Cloveshonienfi celebrato *An. 747. cap. 14.* sancitum fuit, ut Dominicus dies legitima veneratione à cunctis celebratur, sitque divino tantum cultui dedicatus, omnesque Abbates, ac Presbyteri isto sacratissimo die in suis Monasteriis, ac Ecclesiis maneant, Missarumque sollempnia agant. Præfatum Concilium habetur apud Spelman. *tom. 1. Concil. Angliæ.* Ex quo colligitur, aliis hebdomadæ diebus prædictos Monachos Sacerdotes à Sacrificio abstinuisse. Et Seculo decimo S. Anstens Abbas Mectensis, ut habetur in Seculo V. Benedictino *pag. 388. Omnibus Dominicis, & festiuitatibus*

*Sanctorum celebrioribus Missas publicè dixit; ad hoc unaquaque IV. Feriis privatim.* Præterea non videmus Cluniacenses ex Udalrico, Alemannos Monachos ex consuetud. Germaniæ, neque Cistercienses Presbyteros quotidie Missas fecisse; imò de Cisterciensibus constat ex libro suorum usum, Presbyteros sæpius in ipsis etiam Dominicis non celebrasse, sed privatim tantum communicasse. De Carthusianis verò exploratum est, ipsis olim non fuisse licitum quotidie Sacrificium offerre; ut colligitur ex epistola, quam scripsit Petrus Blesensis ad Alexandrum Carthusianorum novitium, ut eum in vite Monasticæ proposito retineret, quod ille abjicere volebat, eò quòd Missam quotidie celebrare sibi fas non esset. Hæc consuetudo vigeat apud Carthusianos, etiam circa medietatem Seculi XV. ut patet ex Apparatu Petri Buerii ad Constitucionem Benedicti PP. XII. ubi ad *cap. 27.* ita loquitur: *Unde non quotidie, imò raro sacrificat Carthusiensi ordo si uerum solet generari ex assiduitate contemptus, sic attenditur ex ipsa raritate devotio.* Aliam rationem reddit Guigo in Statutis *cap. 14.* ubi ait: *Raro hic Missa canitur, quoniam præcipue studium, & propositum nostrum est silentio, & solitudini vacare, &c.* Ex quibus omnibus, & ex aliis, quæ refert Martene cit. loc. patet, Sacerdotes Monachos non ita frequenter olim Missas fecisse, etsi nunc in omnibus Religiosorum hominum familiis singuli quotidie celebrare soleant Sacerdotes.

XVI. Rub. prælim. pag. 2. *Secundum ordinem Officii*) Procedendo ad explanationem aliorum verborum hujus Rubricæ: Missa regulariter debet esse conformis Officio, seu horis Canonicis, præsertim Missa principalis, seu Conventualis. Dixi regulariter, quia dantur nonnullæ exceptiones, ex gr. Sabbatis Adventus, & in Vigiliis, quæ veniunt infra Octavas, Missæ non correspondenti Officio, ut videndum est suo loco, nimirum *part. 1. tit. 3. in Commentariis Gavanti, & nostris Additio-*



ditionibus ad illa verba Rubricæ *Missæ dicitur de Vigilia*. Et *Part. 4. Tit. 1.* in quo explicantur Rubricæ Missarum de Adventu. Ratio antedictæ conformitatis Missæ regulariter cum Officio videtur esse, quia ab Ecclesia destinantur singuli dies, vel in cultum, & honorem alicujus Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii, & operis divini; & consequenter ipsa Ecclesia ordinat in eundem finem omnes sacras functiones cujuslibet diei, quales præcipue sunt Officium Canonicum, & Missa; sic enim integrum cultum, & non dimidiatum exhibet illis, quos intendit colere. Hinc Missa, & Officium convenire debent, non solum in ordine ad Deum, ultimum finem, sed etiam in ordine ad finem proximum, videlicet ad cultum talis Sancti, vel talis mysterii venerationem. Ubi breviter advertendum, quod quamvis Sacrificium non debeat offerri nisi soli Deo, ob supremum Patriæ cultum, quem continet; nihilominus offertur etiam ipsi Deo in honorem Sanctorum, nempe in gratiarum actionem de illorum victoriis, ut loquitur Concil. Trident. *sess. 22. cap. 3.* Itaque semper Deus in se principaliter adoratur, & colitur; vel ut mirabilis in Sanctis suis; vel ut Sanctus in omnibus operibus suis.

Supereft etiam alia ratio assignanda dictæ conformitatis Missæ cum Officio, nimirum, quia Officium est præparatio, & dispositio ad Missam; unde in Rubricis præscribitur, ut saltem Marcium cum Laudibus præmitti debeat celebrationi Missæ. Dispositio autem debet esse proportionata ultimæ, & sublimiori formæ, ad quam disponit; & ideo Officium, & Missa regulariter debent habere conformitatem inter se.

XVIII. Rub. prælim. pag. 2. *De Feflo duplici, vel semiduplici.* Juxta hæc verba ejusdem Rubricæ: Missa dicitur vel de duplici, &c. vel de Dominica, vel de Feria; Ritu magis, vel minus sollempni, ob diversa, vel inæqualia merita Sanctorum, qui juxta Apostoli mentem differunt, sicut stellæ in claritate, ut notat Durandus in *Rat. lib. 7. cap. 1.* vel propter beneficia per ipsos in Ecclesiam collocata; unde Apostolus 1. ad *Timoth. cap. 5. v. 17.* *Qui laboraverunt verbo, & doctrina, duplici honore digni habeantur.* Potest etiam non incongruè afferri illud ex Hymno in laudem S. Johannis Baptistæ:

*Serta terdenis alios coronant  
Aucta clementis; duplicata quosdam:  
Trina te fructu, cummulata centum  
Nexibus ornant.*

Quod alludit ad parabolam seminis Evangelici *Matthæi cap. 13.* producentis fructum, vel trigessimum, vel sexagesimum, vel centesimum; in aliquibus enim Sanctis est fructus trigessimus, & simplex, cui correspondet Officium simplex; in aliis est sexagesimus, & duplicatus, cui correspondet Officium duplex; in aliis est semiduplex, qui medio modo se habet pro Officio semiduplici. Centesimus denique spectat ad meritum excelsum Sanctorum insignium, pro quibus fit Officium primæ Classis. Dicitur etiam Missa nedom de Sanctis duplicibus, vel semiduplicibus, de quibus mox locuti sumus, sed etiam de Dominica, vel de Feria, &c. de quibus dicemus infra sub suis Titulis.

Hæc collecta sunt ex nostro doctissimo P. *Quart. part. 1. Commentariorum in primum ordinem Rubricarum Missalis Romani pag. mibi 32. & sqq. in Proæmio.*

Novæ aliæ Additiones, & Observationes ad Rubricam præliminarem, & Gavanti Commentarium, in quibus referuntur, & explicantur varia genera Missarum, quarum aliquæ adhuc frequentantur; aliæ verò non sunt amplius



in usu. Rursus aliquæ sunt præceptæ; aliquæ verò tantùm permissæ; & aliquæ etiam ab Ecclesia proscriptæ.

XIX. Postquàm multa à nobis in præcedentibus Observationibus adnotata sunt de Missæ præsertim antiquæ Sacrificio; & iterum multa pariter dicenda remanent de hodiernæ Missæ partibus, vestibus, Ritibus,

& Ceremoniis: idcirco ut omnibus à nobis dicerdis via sternatur, operæ pretium ducimus, brevi, & clara methodo nonnulla Missarum genera in his prænotionibus Liturgicis proponere, & explanare.

Primum Missarum genus, seu Distinctio repetenda est ex parte Auctorum, aut Nationum, præsertim Occidentalium, à quibus eadem Liturgiæ fuerunt institutæ, seu frequentatæ: hujusmodi autem sunt Missa, seu Liturgia Romana, Ambrosiana, Gallicana, Mozarabum, seu Mozarabica, Africana, Hibernica, Clementina, seu S. Clementis, Dionysiana, seu S. Dionysii Areopagitæ, Patriarchina, seu Aquilejensis, Illyrica, seu Sclavonica, Trevirensis, seu S. Simeonis Syracusani, Illyriciana, & Bobiensis.

XX. MISSA ROMANA est illa, quæ, ut superius diximus, Auctorem sui præcipuum S. Petrum Apostolorum Principem recognoscit, & quæ nunc est in usu apud omnes ferè Occidentales Ecclesias, & cujus celebrationem uno eodemque modo Latine peragunt Ecclesiæ. Hujus Romanæ Liturgiæ triplex status, seu ordo, considerandus occurrit, ut optimè advertit Johannes Mabillonius *lib. 1. cap. 2. de Liturgia Gallicana n. 4.* Unus Primigenius, qui ab Ecclesiæ nascentis exordio usque ad Gelasium fuit receptus. Alter Gelasianus, qui Auctorem, seu potius amplificatorem, habuit Gelasium Papam hujus nominis Primum. Tertius est ille, qui Gregorianus dicitur, ex nomine Gregorii Magni, qui Gelasianum ordinem coarctavit, correxit, & in meliorem formam redegit. Hic ultimus Missæ Romanæ ordo adhuc apud omnes ferè Occidentales Ecclesias in usu est. Ordo Gelasianus, qui à tempore sui Auctoris, usque ad Gregorium Magnum perseveravit, & in aliquibus Ecclesiis, ut verifi-

milo videtur, aliquantò post; deinde diu delituit; sed tandem unicum, quod supererat, hujus ordinis exemplar nongentis Annis vetustius, Romanis typis commissum fuit, & publici juris factum, ut superius diximus, summa pietate, & studio, nunquam satis commendati nostri Ven. Card. Thomasi. Ordo verò purus, putusque Gelasianus à me ille putatur, quem clarissimus Blanchinius supralaudatus nuperrimè vulgavit in 4. tom. Anastasii Bibliothecarii editionis Vaticanæ, & de quo supra mentionem fecimus. Qualis autem fuerit Primigenius hujus Romanæ Liturgiæ status, seu ordo, difficillimè ob temporis injuriam constare potest, cum antiquior Codex, qui modò extet, præfati ordinis Missæ Romanæ, sit Gelasianus mox memoratus, ceteri verò perierint. Hoc unum tamen certum est (ut præfatus Thomasius advertit in sua præfatione) Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum Codicem, qui Gelasii olim appellatione donatus fuit, non esse integrum ejusdem Pontificis opus; sed Leoni Magno, magna ex parte, ejusque

Præ-



Prædecessoribus Rom. Pontificibus, præsertim verò D. Petro, ut superius n. XV. commemoravimus, cui primo Conditori, qui ejusdem ordinis prima fundamenta jecit, tribuendum esse. Qui plura de Romanæ Liturgiæ origine, Ritibus, & ordine scire desiderat, adire poterit Card. Bona de *Rebus Liturgicis lib. 1. c. 7. & 8.* Mabillon. *de Liturgia Gallicana lib. 2. cap. 2. §. 4. 5. & 6.* Grancolas *de antiquis Liturgiis pag. 400.* Le Brun *tom. 2. dissert. 2. art. 3.* Edmundum Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus art. 11.* in quo expositionem Missæ Romanæ ante Annos nongentos scriptam refert.

XXI. MISSA, SEU LITURGIA AMBROSIANA, & quæ etiam Mediolanensis dicitur, est illa, quam Walafridus Strabo ante Annos octingentos *lib. de Rebus Eccles. cap. 22.* D. Ambrosio Mediolanensis Ecclesiæ Antistiti adscribit his verbis: *Ambrosius Mediolanensis Episcopus, tam Missæ, quam cæterorum dispositionem Officiorum sua Ecclesiæ, & aliis Liguribus ordinavit; quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesiâ.* Joseph verò Vicecomes *lib. 1. de Ritibus Missæ c. 22.* tueri conatur, Ritum Ecclesiæ Mediolanensis à S. Barnaba Apostolo institutos fuisse; à B. Microlete juxta Apostolicam institutionem auctos; à Beato verò Ambrosio eisdem Ritum illustratos, amplificatos, & meliorem in ordinem redactos; ideoque Ambrosianos post ejus obitum vocitari cœpisse. In eandem sententiam videtur abire Le Brun *tom. 2. dissert. 3. art. 1.* in quo eruditè disserit de Historia hujus Liturgiæ. Primæ tamen Strabonis sententiæ consentit Mediolanensis Ecclesiâ, & totius Italiæ traditio, à qua sine evidenti ratione, ut ait Card. Bona, recedendum non est. Verùm quicumque talis Liturgiæ Institutor fuerit, id pro certo habendum est, etiam ipsam fuisse mutationibus obnoxiam, ut colligi potest ex diversis Missalibus illius Ecclesiæ, diversis temporibus editis, nempe An. 1560. jussu S. Caroli Mediolanensis Archiepiscopi; An-

GAVIANI, Rubr. Miss.

no 1594. jussu Gasparis præfate Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi; & Anno 1640. jussu Cæsaris Montii ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopi, & S. R. E. Cardinalis; & recentissimè Anno 1712. moderante præfatam Ecclesiâ Josepho Archinto S. R. E. Cardinali. Prædictorum Rituum diversitatem, & mutationem referunt Edmundus Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus Ordine III.* necnon laudatus Le Brun cit. loc. Ordo antiquus verò præfate Missæ Ambrosianæ in lucem editus fuit à Pamelio inter sua Liturgica Latinorum, Anno 1571. Rursus præter mox allegatos Auctores, de Ritibus, Ordine, & Historia hujus Missæ, tractant Mabillon. *lib. de Liturgia Gallicana cap. 2. num. 8.* Grancolas *de antiquis Liturgiis à pag. 77. usque ad pag. 400.* Card. Bona *lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 10.* Beroldus qui floruit circa Annum D. 1123. in suo Opere MS. quod cautè asserturatur in Archivo ejusdem Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ, & de quo mentionem faciunt Johannes Petrus Puricellus in sua eruditissima *Dissertatione Nazariana cap. 97.* Le Brun, & Vicecomes loc. suprac. De mystico sensu Rituum Ambrosianorum librum edidit Carolus Settala Episcopus Tortonenis idioma Italico. Rationale verò Ceremoniarum ejusdem Missæ Ambrosianæ, & modum eam celebrandi, edidit Petrus Cafola Canonicus Mediolanensis Ecclesiæ.

XXII. MISSA, SEU LITURGIA GALLICANA est illa, quæ in Galliis ante Pipinum, & Carolum Magnum usitata erat. Non unum tamen tantum, sed plura, & diversa fuerunt exemplaria Gallicanæ Liturgiæ; sed idem in omnibus servabatur ordo precum, licet Orationes diversæ legantur, unde liquet prædictarum Liturgiarum, non unum, & eundem fuisse Auctorem, sed plures; qui quidem, ut ait Mabillon, adhuc sunt ignoti, etiam apud solertiores Rerum Antiquarum Investigatores. Sed puto, memoratum Mabillon locutum fuisse

F

de



de Liturgiis, quæ modo extant, de aliis enim quæ temporis injuria perierunt, aliter dicendum esse crediderim: nam D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum tribuit S. Hilario Pictavorum Episcopo quemdam Missæ Ordinem, seu Liturgiam; de eo enim S. Antistite ait: *Est ejus, & liber Hymnorum, & liber Mysteriorum alius*; ubi pro Mysteriorum libro Codicem Liturgicum, seu Missale debere intelligi, fateri compellitur, quicumque Missam à priscis Scriptoribus Mysteriorum nuncupatum fuisse non ignorat, ut alibi diximus. Gennadius pariter Massiliensis in Catalogo Scriptorum Illustrum tradit, Voconium Castellani Mauritani Oppidi Episcopum composuisse, præter alios libros, etiam Sacramentorum egregium volumen. Idem Gennadius adstruit, Musæum Massiliensis Ecclesiæ Presbyterum, hortatu S. Venerii Episcopi, multos exarasse libros, inter quos Sacramentorum egregium, & non parvum volumen, cujus nomine liber Missalis intelligendus est, & hoc ex ipso Gennadio satis eruitur: ex Concilii quoque Rhemensis verbis idem magis demonstratur, apud Burchardum lib. 3. cap. 97. ubi legitur: *Expleta Missa, Codex cum Patena, & Sacramentorum liber cum vestibus sacerdotibus sub sera recondantur.* Præfatis Autoribus calculos suos addunt Joseph Vicecomes volum. 4. de *Missæ Apparatu* lib. 7. cap. 19. necnon Bocquillot in suo *Tract. Hist. de sac. Liturg.* lib. 1. cap. 9. qui etiam subnectit, Gregorium Turonensem lib. 1. *Historia* cap. 11. mentionem facere de quodam Missali à Sidonio composito, cui ipse quamdam præfationem adjecerat, Liturgiam Gallicanam à Romana fuisse diversam, nemo est, qui in dubium revocare possit: sicut etiam exploratissimum est, veteres Liturgias, & Ritus, in Gallicanis Ecclesiis abrogatos, & Romanos loco illorum introductos fuisse, ante Annum Christi octingentesimum, Carolo Magno in Galliis imperante, qui S. Gregorii Sacramenta-

rium à Romana Ecclesia adhibitum recepit ab Hadriano PP. I. & Capitulare edidit, quo præscripsit, ut in posterum Gallicanæ Ecclesiæ ordine Romano uterentur in celebrandis Divinis Mysteriis: & hæc Liturgiæ Gallicanæ in Romanam mutatio tanta consensione universæ Galliæ Ecclesiarum facta est, ut regnante Carolo Calvo præfati Magni Nepote, Liturgiæ, & Gallicanorum Rituum notitia penitus in omnium mente deleta esset. Non obstante tamen tanto Gallo- rum neglectu, & tanto temporis intervallo elapso, ab octavo Seculo, usque ad Annum 1680. tandem tria Missalia Gallicana, Romæ in lucem emissâ fuisse à supra laudato Card. Thomasio. Primum ab eodem inscriptum fuit, Missale Gothicum, seu Gallicanum vetus; secundum verò Missale Francorum; tertium denique Missale Gallicorum vetus; redditque rationem clarissimus editor in sua præfatione, ob quam prædictis appellationibus adnotaverit mox memorata tria sacra volumina. Hæc tria Missalia Gallicana, Parisiis Anno 1685. recusa fuere, una cum Lectionario Gallicano, tunc solum primum edito, accedente disquisitione de Cursu Gallicano, necnon eruditissimis notis, & observationibus: & omnia hæc, opera & studio celeberrimi Viri Johannis Mabillon, qui pariter quartam edidit Missam Gallicanam, quæ reperitur in primo Tomo sui Musæi Italici. De præfatis Gallicanis Liturgiis satis eruditè tractat mox laudatus Mabillon in præfato suo volumine de Gallicana Liturgia; Card. Bona lib. 1. de *Rebus Liturgicis* cap. 12. Card. Thomasi in *præfatione suorum Codicum Sacramentalium*; Le Brun tom. 2. *dissert.* 4. *Græcolas de antiquis Liturgiis* à pag. 319. usque ad pag. 360. Martene lib. 1. de *antiquis Ecclesiæ Ritibus* cap. 3. art. 1. n. 9. & seqq. & Joseph Vicecomes de *Missæ Ritibus* lib. 1. cap. 7.

XXIII. MISSA MOZARABUM, SEU MOZARABICA est illa, qua olim Hispania, & vici-



nae Regiones utebantur; antiquum Hispanum officium fuit etiam Gothicum appellatum, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur. *Mozarabicum* pariter vocitatum fuit, quia, cum Arabes Saeculo octavo Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixt Arabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, id est, mixti Arabibus, dicti sunt. Cardinalis Baronius ad Annum 1063, praedicti Mozarabici Officii Auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem, qui profectò si non ab initio instituit, saltem amplificavit, & illustravit; plures etenim alios Mozarabicae Liturgiae manus admovisse asserit Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiae Ritibus cap. 2. art. 1. n. 12. Rursus de Institutore, Ritibus, & ordine ejusdem Missae Hispanicae, seu Mozarabicae sermonem habent Vascus in Chronico, ex illo Pamelius tom. 1. sui Liturgicon Ecclesiae Latinae; Card. Bona lib. 1. cap. 11. Grancolas de antiquis Liturg. pag. 309. Le Brun tom. 2. dissert. 5. Mabillon lib. 1. de Liturg. Gallicana cap. 2. n. 9. & recentissime Johannes Pinius Soc. Jesu, qui eruditissimum edidit Tractatum Historico-Chronologicum de hac Mozarabica Liturgia, eumque adtexuit ad Tomum VI. mensis Julii Antuerpiae impressum Anno 1729. sua, aliorumque PP. Societatis cura, & studio, qui Acta Sanctorum, inherendo Bollandi, & Henschenii Vestigiis, sapientissime, & Universo plaudente Orbe describunt. Ante praefatos omnes tamen de hac Liturgia Mozarabica tractavit Alvarus Gomecius lib. 2. de Rebus gestis à Card. Ximeno Ar. biepiscopo Toletano. Antiquum Mozarabicum Officium, quamvis à Viris Sanctis, & Orthodoxis compositum fuerit, Hispaniam tamen ab Infidelibus devastatam, ita erroribus refertum erat, ut Elipandus Toletanus Episcopus ex ipsis Officiis depravatis plura acceperit Testimonia ad suam haeresim, de Filiatione Dei adoptiva in Christo Domino adstruendam, ut asserit Albinus Flaccus in libro adversus eundem Elipandum. Officium Mo-

zarabicum viguit in Hispania, & in Gallia Narbonensi, aliisque Gothorum Regionibus, donec Alexandri II. Papae auctoritate paulatim abrogari cepit, ejusque loco Romanum substitui. Anno verò millesimo sexagesimo tertio, quo Remirus, seu Ranimirus in Aragonia regnabat, congregata est Jaccæ in eodem Regno Synodus, in qua agente Remiro abrogatum est Officium Gothicum, seu Mozarabicum, & loco illius Romanum admissum, ut ostendit Antonius Pagius in suis eruditissimis Anotationibus Baronianis ad Annum 1060. n. 2. Sanctus Gregorius VII. eodem Anno, quo in Cathedra Apostolorum Principis adscitus fuit, nimirum A. D. 1073. cogitavit de penitus abrogando in tota Hispania Officio Mozarabico, & Romano inducendo. Hanc in rem Hugonem Cardinalem, illum ipsum, qui Alexandro II. missus fuerat, in Hispaniam iterum destinavit, qui statim in Aragoniam cum quibusdam Monachis Cluniacensibus, perrexit, & Episcopos apud S. Johannem Penatensem congregavit. Episcopi itaque ordinem Officiumque Romanum, jam antea à Sanctio Ramiro Aragoniae Rege, & eodem Hugone Card. Legato, in quaedam loca introductum, Anno millesimo septuagesimo tertio Manachorum Cluniacensium opera recepere. Totum id liquet ex epistola 63. lib. 1. Registri Gregoriani, in qua Gregorius VII. Sanctium Ramirum de ejusdem Romani Officii admittance gratulatur. Verùm quamvis ab Aragonensibus fuerit facile admissum Officium Romanum, promovente Sanctio Rege hujus nominis Primo; majori tamen cum difficultate ab aliis Hispaniarum Regibus admissum fuit, licet ab Alphonso Legionis, & Castellae. & à Sanctio Navarrae Regibus id petiisset Gregorius VII. ut liquet ex ejus epistola 64. ejusdem libri 1. data 14. Kalend. Aprilis Indictione 12. (ideoque eodem Anno quo prior) qua Pontifex utrumque Regem hortatur, ut demum Romanam Ecclesiam, ceu Matrem



recognoscant, ejusdem Ordinem, & Officium recipiant. Sed illud receptum non fuisse in iisdem Regnis ante Urbani II. tempora, nempe ante Annum 1088. probare contendit Franciscus Pagius in suo *Breviario Pontificum Romanorum*, &c. tom. 2. in Urbano II. n. 8. Quamvis prædicto tempore, & curantibus præfatis Pontificibus in omnibus Hispaniæ Regnis, ordo Mozarabicus jam descivisset, & loco illius fuerit introductus ordo Romanus: nihileminus Mozarabicum Officium iterum instauravit in Hispania mox memoratus Card. Ximenes, qui Anno 1500. Missale Mozarabicum Toleti excudi mandavit, & instituit Sacerdotum Collegium, qui quotidie Divina Officia, & Missarum sollemnia, usque in hodiernum diem, servato Ritu Mozarabico, in quinque Parœciis, & in Sacello à præfato Cardinali edificato in majori Ecclesia Toletana celebrant. In prædicto Missali jussu Cardinalis Ximenes vulgato aliqua, imò multa adjecta sunt, quæ in antiquo Missali Mozarabico profectò non reperiebantur, nec reperiri potuerunt, ut observat Petrus Le Brun tom. 2. *suarum explicat. dissert. 5. post art. 3 pag. 332.* neque id diffitetur Cardinalis ipse Ximenes, qui in Epistola dedicatoria sincerè affirmat, nonnulla veteri Mozarabico Ritui ex Romano se addidisse; nonnulla à veteri expunxisse. Duotam Missalis Mozarabici, quàm Breviarii exemplaria, quamvis rarissima sint, hic Romæ vidimus; unum in Bibliotheca Corsina, quam Clemens XII. feliciter Regnans mirum in modum auxit, locupletavitque; alterum in Bibliotheca Cardinalis de Alteriis. Hæ sunt quatuor celebriores Liturgiæ, quæ in Ecclesia Occidentali frequentatæ fuere, & quæ Gallicana excepta, adhuc in aliquibus Ecclesiis frequentantur, ut liquet de Missa Mozarabica, & Ambrosiana; quarum prima, ut mox diximus, in aliquibus Parœciis, & Sacello Ecclesiæ Toletanæ; secunda verò in Ecclesia Mediolanensi celebratur: Romana autem, seu Gregoriana nunc apud omnes

Occidentales Nationes in usu est. Missa enim PP. Prædicatorum, & huic similes Carthusiensium, & Carmelitarum, alia à Gregoriana absolute censendæ non sunt, nec ob pauca, in quibus ab illa differunt, distinctæ Liturgiæ sunt appellandæ, ut ostendit Marcellus de Cavalleriis in *Stratera Sacra tit. Preliminari 2. n. 30. & seqq.* & consentire videtur etiam Card. Bona lib. 1. cap. 7. num. 5.

XXIV. MISSA AFRICANA est illa, quæ antiquitus apud Africanos Christianos in usu erat, à Romana profectò diversa, quamvis Africanas Ecclesias, sicut in Fide, ita & in Ritibus cum Romana primis Ecclesiæ Sæculis convenisse, aperte colligatur ex Cypriano, Optato Milevitano, & Augustino; præsertim verò Tertulliano hanc veritatem testante lib. de *Prescriptionibus Hæreticorum* illis verbis: *Videamus, Romana Ecclesia quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis Ecclesiis consenserit;* & lib. de *Jejuio*, ubi Romanum Pontificem alloquitur: *Vide quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum. Ista sollemnia, quibus tunc præsens patrocinatus est sermo, nos quoque in diversis provinciis fungimur, in spiritu invicem representati, lex est Sacramenti.* Quod autem eadem Africanæ Ecclesiæ postmodum ab eadem Romana discreparint quoad Ritum in Officiis persolvendis, & in sacris operandis; Sacrificii tamen substantiam, quæ Rituum diversitate non labefactatur, inconcussam permanens, exploratum omnibus est. Et equidem Marius Victorinus Afer lib. 1. adversus Arium citat sententiam haustum ex Liturgia Africana, quæ in ordine Romano non reperitur. *Sicut, inquit, & in oblatione dicitur: Munda tibi Populam cum vitalem, amulatorem bonorum operum, circumstantiam substantiam venientem.* Ita pariter Fulgentius Ruspensis in fragmentis editis à Sirmondo cap. 14. in *epist. 1. ad Cor.* affert quoddam testimonium Liturgiæ Africanæ, quod in Romana non extat. Ex quibus, &



ex aliis conjecturis suspicatur Card. Bona lib. 1. cap. 7. §. 3. Ritum Africanum tunc convenisse cum Mozarabico. Ita pariter Jacobus à Vitriaco lib. de Historia universali cap. 81. in eandem venit sententiam, dicendo: Christianos, qui in Africa, & Hispania suo tempore, id est Seculo XIII. verfabantur, Mozarabes nuucupatos, eadem Liturgianos fuisse. Verùm ex Isidoro Hispalensi lib. 1. de Divinis Officiis c. 13. & ex D. Augustino serm. 227. Mabillon lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 2. §. 13. eruit, apud Africanos antiquum Liturgiæ Ritum diversum fuisse etiam à Mozarabico. De prædicta Africana Missa, seu Liturgia, præter mox laudatum Mabillon, mentionem pariter faciunt Grancolas à pag. 262. usque ad pag. 299. nec non Joseph Vicecomes lib. 2. de Missæ Ritibus cap. 3. & Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 7. n. 3.

XXV. MISSA HIBERNICA est illa, quæ antiquitus apud Hibernos, & Britones in usu fuit. Ritus hujus Missæ qualis fuerit, non planè compertum est; modam tamen sacrificandi talium Populorum à Romano diversum fuisse, colligi potest ex Divo Bernardo in lib. de Vita Malachia c. 3. & 8. ubi Malachias barbaras consuetudines dictarum Gentium abrogasse, & Romanos Ritus introduxisse, nec non canonicum Divinæ Laudis Officium invehisse in illas Ecclesias memoratur. Quæ pauca colligere potui ex Mabillon Lib. 1. cap. 2. de Liturgia Gallicana n. 14. qui solus inter Auctores Liturgicos de præfata Hibernica Liturgia brevem hanc mentionem facit.

XXVI. MISSA CLEMENTINA, SEU S. CLEMENTIS LITURGIA est illa, quæ reperitur in lib. 8. Constit. Apostolicarum, & quæ Clementis Romani Pontificis, & Apostolorum Discipuli nomen præferret. De hac Liturgia testimonium perhibet S. Proclus Archiep. C. P. in Tractatu de Traditione Divinæ Missæ, ubi in principio ait: *Multi quidem, & alii Divinæ Ecclesiæ Pastores, & Do-*

*ctores, qui Sanctis successerunt Apostolis, sacrosanctæ Missæ editionem scriptis demandantes tradiderunt Ecclesiæ, quorum primi, iique præclarissimi censentur, B. nimirum Clemens, summi illius Apostolorum Principis Discipulus, & Successor, qui sacris Apostolis ei distantibus, illam edidit. Hæc S. Proclus, interprete doctissimo Viro Vincentio Riccardo, qui in suo Commentario ad prædicta verba, SSmo Antistiti, & Doctori subscribit, dicendo: Is primus (nimirum B. Clemens) sacrificandi Ritum, Ceremoniasque scriptis demondavit, ut videre est lib. 8. Constit. Apostolicarum; & in patrocinium sui assumpti advocat auctoritatem Marci Ephes. in expos. Missæ dicentis -- Nam in Liturgia SS. Apostol. à Clemente conscripta. Qui paucis interjectis subdit -- Hæc quidem Divi Apostoli per B. Clementis scriptionem Ecclesiæ tradiderunt. Card. verò Bellarminus de Scripturis Ecclesiasticis Anno 92. loquens de hac Clementina Liturgia ait -- De S. Clementis Liturgia idem serè ascendum occurrit, quod de Liturgia S. Jacobi, eam verè Clementis esse, sed à posterioribus auctam; & paucis interjectis subnectit -- Meminerunt Liturgia S. Clementis Proclus Patriarcha C. P. lib. 7. de Traditione Divinæ Missæ & Nicolaus Episc. Methenensis in lib. de Veritate Corporis Christi; necnon Bessarion Card. in lib. de Sacram. Eucharistia. Labbæus verò in sua Dissert. Historica super eodem Auctore, & de eadem Liturgia loquens, ait -- Non est quòd quidquam modò addam iis, quæ Eminentiissimi doctrina, ac pietate, Cardinales Baronius, & Bellarminus aliqua jam observarunt -- Hæc Labbæus, qui adherere videtur huic sententiæ, quam pariter tradidit, ut ipse fatetur, sapientissimus Card. Baronius ad Annum 102. num. 23. In eandem sententiam descendit pariter Annatus lib. 4. art. 6. num. 7. sui Apparatus ad Theologiam Positivam. Quapropter etiam si libri octo Apostolicæ Constitutionum, qui Clementis nomine decorantur, sint supposititii, ut opinantur præ-*



Sancti Bellarminus, & Annatus; non inde sequitur, supposititiam pariter esse dictam Liturgiam Clementis nomine insignitam, & quæ dictis Constitutionibus inserta reperitur. Alii tamen Scriptores, qui negant Clementem Apostolicarum Constitutionum Auctorem esse, ab eo pariter abjudicant Missam, quæ pars illarum notabilis est: sed quidquid sit de Auctore talium Constitutionum, liquet jam, quod etiam illi, qui eas tanquam supposititias rejiciunt, Liturgiam tamen B. Clementis in illis contentam veluti genuinam admittunt. Præterea, etiam si eadem sententia ferenda esset de hac Clementis Liturgia, ac de Constitutionibus Apostolicis suo nomine inscriptis; certum tamen apud omnes, & exploratum nunc est, ut ait Card. Bona lib. 1. *Rerum Liturg. cap. 8. n. IV.* quod si ab Apostolis immediate dictata non fuerunt, Concilio tamen Nicæno antiquiores sunt, & in illis continetur Disciplina Ecclesiastica, qua Orientalis Ecclesia sub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Constantinum regebatur, ut eruditissimus Vir Johannes Morinus docet *part. 2. de sacris Ordinationibus pag. 20.* cui adscriptur Johannes Fronto in *Prænotatis ad Calendarium Romanum §. 5.* Petrus de Marca lib. 3. *Concordiæ cap. 2.* Auctorem præfatarum Constitutionum saltem Seculo tertio floruisse tradit, idque omnibus hodie persuasum esse adstruit. Firmum igitur remanet, quod Missa Clementis nomine inscripta, si non genuinus fœtus dicti Pontificis, saltem antiquissima est: & si non præcisè ab Apostolis tradita, ac ab eorum successoribus aucta, saltem ut à Patribus secundi, vel tertii Seculi usurpata, admittenda est; & idèd ejus testimonio doctissimus Cardinalis Bona frequenter, utitur.

XXVII. MISSA DIONYSIANA est illa, quam D. Dionysius Areopagita tradidit *cap. 3. Eccles. Hierarchie*: quæ quidem Liturgia à pluribus tanquam Apostolica censetur; quia si

Dionysius Auctor talis Liturgiæ verè fuit Areopagita Athenarum Episcopus, & S. Pauli Discipulus, consentaneum profectò est, Sacrificii Ritus, & Cereemonias illum ab eo Apostolo accepisse, à quo Christianis Dogmatibus, & Evangelica Doctrina imbutus fuerat. Idcirco autem nos hoc loco hujus Liturgiæ mentionem facimus, tanquam Occidentalis, quia de eodem S. Dionysio fertur, fuisse Parisiorum Antistitem, primumque omnium, qui in Galliam Christianam Fidem invexerit; quo admisso, profectò ibidem sua Liturgia usum fuisse, denegandum non esset.

Verùm duò suboriuntur dubia, quorum primum est: utrùm opera, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur, sint ipsius verè genuina, aut alterius, ab eo longè recentioris, & quinti Seculi, Auctoris. Alterum verò dubium est: utrùm Dionysius Areopagita, de quo nunc agimus, fuerit verè Parisiorum Antistes. Primi inter Græcos, qui talia opera tanquam Dionysii Areopagitæ propria cum ipsius laude citarunt, fuere Leontius lib. *de Scâis Act. 3. & lib. 2. contra Nestorium, & Eutychetem*: & Anastasius Sinaita lib. 7. *Anagogic. Contemp. in Hæxæmeron.* Præterea certum est, ejusdem Areopagitæ, suorumque operum primam mentionem factam fuisse in collatione habita Constantinopoli in Palatio Justiniani Imperatoris, Anno 532. inter Catholicos, & Severianos, sive Acephalos, in collatione secundæ diei: & quamvis in eo congressu, utpote ab Hæreticis citata, tanquam spuria ab Orthodoxis rejecta fuerint; nihilominus postea, præmisso maturo examine, agnoverunt eorundem operum sanam, & admirabilem doctrinam, eaque libenter adserunt, & tributum Areopagitæ nomen Auctori nunquam deletum fuit. Inter Latinos autem Auctores, primus, qui præfatos libros tanquam Divi Dionysii genuinos citavit, fuit Sanctus Gregorius Magnus *Homilia 34.* cui plures alij deinde adscripti sunt. De eorundem librorum



brorum Auctore nulla tunc agitabatur quaestio, quae postea excitata fuit à Criticis septimi, vel octavi Seculi, quorum argumentis satisfacit Theodorus relatus à Photio *Cod. 1. Sedutinam* (ait Card. Bona *lib. 1. c. 8. n. 5.* ex quo haec collegimus) aut ille extaret, aut epitomen responsionum ejus Photius excerpisset; forsitan enim solidas Dionysii vindicias haberemus. Sapientissimus Card. Bellarminus de *Scriptoribus Ecclesiasticis ad Annum 71.* praedicta opera Divo Dionysio Areopagite pariter adjudicat, & congerit nonnullos antiquos Romanos Pontifices ultra Gregorium Magnum, necnon aliqua Concilia, quorum auctoritate suam comprobat sententiam. Post Bellarminum verò nonnulli alii etiam primi Subsellii Auctores, nimirum Baronius, Del Rio, Halloixius, Saussay, Menardus, Emmanuel à Schelestrate, Natalis Alexander, Petrus Annatus, & recentissime Card. Cozza, aliique, in ejusdem vulgaris, & communis sententiae patrocinium scripserunt contra Erasmus, Laurentium Vallam, Blondellum, Dallæum, Gulielmum Cave, Cocum, Rivetum, aliosque Haereticos; nec non contra Morinum, Launojum, & alios paucos Catholicos, qui pariter in contrariam sententiam abierunt.

Quoad aliud dubium, nimirum utrum Dionysius Parisiorum Episcopus, fuerit hic Areopagita, & antea Atheniensis Antistes, à S. Clemente in Galliam missus ad annunciandum Christi Evangelium; vel utrum Dionysius Parisiensis, in Gallias directus à S. Clemente primo Ecclesiae Seculo, fuerit alius ab Areopagita; rursus utrum ad medium Seculum tertium hujus Dionysii missio referenda sit, ut sustinent nonnulli cum Gregorio Turo-nensi; est gravis controversia Seculo superiori à Viris eruditis discussa, cujus hinc inde allata argumenta legi possunt in Dissertatione Historico Critica Francisci Pagii, quam Antonius Pagius ejusdem Nepos praefixit *Tom. 4. Breviarii Historico-Chronologici Romanorum Pontif.* Videri pariter possunt ea, quae adno-

tantur à Francisco Maria de Aste ex nostra Congregatione Archiepiscopo Hidruntino, in suis eruditissimis Disceptionibus in Romanum Martyrologium, 7. Idus Octobris, ubi quaestionem hanc instituit, & suo more eruditè pertractat. Præterire non debeo, Hilduinum Abbatem Monasterii Sancti Dionysii, in suo opere inscripto; *Areopagiti. a. seu de Rebus gestis, passione, & scriptis Sancti Dionysii Areopagita*, fuisse in sententia, Dionysium Parisiensem, Athenis primùm fuisse Episcopum, ipsumque, subrogato sibi alio Episcopo, Romam profectum esse, indeque à S. Clemente PP. in Gallias directum fuisse, ubi, postquam aliquot Annos Parisiensem rexit Ecclesiam, martyrio coronatus est. Hanc suam sententiam eruit Hilduinus, non solum ex Actis Sancti Dionysii à Visbio teste illius martyrii oculato conscriptis, quae vetustate penè absumpta, ab interitu vindicavit in suis Areopagiticis; sed etiam ex antiquis libris Missalibus ab eo in epistola ad Ludovicum Pium memoratis. Hilduino adhæret Natalis Alexander in *selectis Ecclesiastica Historia Capitibus tom. 1. dissert. 13.* ubi probat S. Dionysium Parisiensem non esse ab Areopagita distinguendum.

Nostri instituti ratio non patitur, has duas quaestiones ex professo discutere, & ingenii tenuitas pariter non permittit, praefatas controversias à Viris doctissimis agitas, propositis hinc inde gravibus difficultatibus, dirimere, & componere. Satis igitur erit, eorumdem opiniones, & oppositas sententias innuere, ut ostendatur à nobis fundamentum, cui innixi, praefatam Liturgiam inter Occidentales, saltem opinando, & sub dubio, recenseri posse credimus; quia Dionysium Areopagitam (si verè is fuit talis Liturgiae Auctor, & Parisiensis Antistes) legitime inferri posset, ut diximus, eandem Liturgiam, in tali Ecclesia introduxisse.

XXVIII. MISSA PATRIARCHINA, SEU AQUILEJENSIS est illa, quae antiquitus in usu fuit apud Ecclesiam Aquilejensem Metropolitica-



cam & Patriarchalem. De hac Liturgia, & de Ritibus particularibus antedictæ Ecclesiæ scribit Walafridus Strabo de *Divinis Officiis* cap. 25. ubi hæc habet: *Traditur siquidem Paulinum Forojuliensem Patriarcham sapientis, & maxime in privatis Missis circa immolationem Sacramentorum Hymnos vel ab aliis, vel à se ipso compositos, celebrasse. Ego verò crediderim, tantum, tantaque scientia Virum, hoc, nec sine auctoritate, nec sine rationis ponderatione fuisse.* Ughellius pariter in sua Italia Sacra Tom. 5. p. 24. edit. Rom. hanc eandem veritatem confirmat, & pag. 235. enarrat: *Quoddam Comensis Ecclesia usque ad Annum 1598. proprio canendi Ritum, ut vocant honoris gratia Patriarchinum, quem postea Clemens VIII. sustulit, Romano inducitur, usque est; que omnia videntur testari, à S. Hermagora Comenses fuisse institutos in fide, illorumque Pastorem Aquilejensi, tanquam Metropolitanano, fuisse subiectum.* In Archivo antedictæ Cathedralis Comensis conservatur adhuc Breviarium Patriarchinum nuncupatum, secundum usum Ecclesiæ Comensis correctum, & auctoritate Apostolica approbatum, die 21. Octobris 1585. & copia hujus approbationis profertur à Le Brun Tom. 2. in *Appendice*, quæ est post tertiam *Dissertationem* §. 2. ubi pariter asseverat, se omnem diligentiam adhibuisse, ut inveniret Codicem Liturgiæ Patriarchinæ; sed voti sui compos fieri nequivit. Ego verò exemplar unum typis traditum Missalis Patriarchini vidi, apud doctissimum Virum Bernardum Mariam de Rubeis Ordinis Prædicatorum, ab ipso summa cautela custoditum. De hac Aquilejensi, seu Missa Patriarchina, cujus Ritus perduravit usque ad finem Seculi XIV. ut innuimus, nullus alius fuit scriptus, quam mox memoratus Le Brun *loc. cit.* & deinde in quadam additione, quam perhibet post §. 2. *art. dissert. 9.* De hac etiam Liturgia nonnulla quamprimum edet in notis ad libros rerum Liturgicarum Card. Bonæ Vir clarissimus D. Robertus Sala Ord. Cisterc. Congregationis Reformatæ,

XXIX. MISSA, SEU LITURGIA ILLYRICA est illa, qua utuntur Roxolani, seu Moscovitæ, qui quamvis ab Episcopo quodam Græco, & Schismatico à cultu Idolorum ad Christi Fidem conversi fuerint, ab eodemque Græcorum Ritus acceperint; sermone tamen Illyrico in suis Officiis utuntur. Eadem lingua, ut tradit Cardinalis Bona *lib. 1. cap. 9. n. IV.* in usu est apud Christianos Tartaros circa Tauricam Chersonesum; apud Circassos, & quasdam Ponticas Nationes; itemque in Servia, Mylia, Bosnia, Bulgaria, Russia Minori Regi Poloniæ subiecta, in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lithuanicæ, & in aliis finitimis Regionibus, in quibus Græci Ritus pariter vigent. In Istria verò, in Liburnia, & in Dalmatia Littorali, Missa, & alia Officia lingua pariter Illyrica, seu Sclavonica celebrantur, sed servatur ibidem Ritus Romanus. Usus talis linguæ in sacris Ecclesiæ functionibus cæpit Seculo nono, quo Moscovitas Christianæ Religionis nomen dedisse sub imperio Basilii Macedonis, ostendit Baronius in *Appendice Tom. VII. de Ruthenis à Sede Apostolica receptis*; alii tamen id seriùs contigisse opinantur, nimirum vertente Seculo decimo, imperantibus Basilio Juniore, & Constantino. Verùm negari non potest, quin ante prædictum tempus, nempe ante Annum 872. ab Hadriano PP. Moravis permisum fuerit, ut lingua Sclavonica in Missis, & Officiis uterentur, ut tradit in Vita S. Cyrilli, & S. Methodii Bollandus. Rursus hanc eandem facultatem Divina Officia, & Missam Sclavonica lingua celebrandi Moravis, ab Hadriano II. concessam, confirmavit Johannes PP. VIII. Anno 880. *epist. 847.* ad Szentopulcrum Moravia Comitum data, quæ refertur à Baronio eodem Anno. In eadem tamen epistola dictus Pontifex statuit, in omnibus Ecclesiis terræ Moravorum, propter majorem honorificentiam, quòd Evangelium Latine legeretur, & postmodum Sclavonica lingua

trans-



translatum, in auribus Populi, latina verba non intelligentis, annuncietur. Eandem, Slavonica lingua, Missam, & Officium Divinum celebrandi licentiam confirmavit etiam Innocentius IV. Anno 1248. ejus epistola, ad quemdam in Slavonia Episcopum, legitur apud Odericum Rainaldum ad eundem annum n. 52. & vigore ejusdem Privilegii in Ecclesia S. Hieronymi Illyricorum hujus alme urbis, in die Fests. S. Hieronymi, dum celebratur Missa sollempnis, canitur idiomate Illyrico Epistola in Choro ab uno ex Beneficiis ejusdem Ecclesie, Evangelium verò ab uno ex Canonicis, & à Subdiacono legitur eadem Epistola in idiomate Latino, sicut Evangelium in eodem idiomate à Diacono. Eadem facultate usam esse Ecclesiam Græcam erga Ruthenos, seu Moscos, postquam per Prædicatores Constantinopoli missos Christi Fides eis illuxit; cum Græcis tamen Ritibus exercenda, scribit Papebrochius in *dissert.* 18. subjuncta Pontificatui Nicolai I. in *Conatu Chronico - Historico ad Catalogum Pontificum Romanorum, quæ est de lingua Slavonica in sacris apud Bulgaros Moravosque recepta; & in Ephemeridibus Græcomosis*, quas præfixit Tom. 1. Sanctorum Mensis Maji, docet, id factum esse sub Annum Christi millesimum, quando Ecclesia Constantinopolitana erat optimè Romanæ unita.

Thomas Archidiaconus Spalatenensis in *Historia Episcoporum Salmitanorum edita à Jo. Lucio cap. 16.* tempore Alexandri II. adstruit à Legato Sedis Apostolicæ coactam fuisse Synodum omnium Episcoporum Dalmatiz, & Croatiz, in qua statutum fuit, ne quis de cætero præsumeret Divina Mystera celebrare in lingua Slavonica, sed deberet uti tantum Latina, vel Græca. Idem statuit Gregorius VII. Alexandri successor *lib. 7. epist. 11.* data ad Uratislaum Bohemiz Ducem, in qua sic scribit: *Quianobilitas tua postulavit, quod secundum Slavonicam Linguam apud vos Divinum celebrari annuerimus Officium: scias nos huic petitioni tue nequaquam Gavant. Rus. Miss.*

posse favere: & paucis interjectis subdit: *Unde ne id fiat, auctoritate Beati Petri inhibemus, neque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanitate: ita viribus totis resistere precipimus.* In Provinciis tamen supranominatis, ut notat Card. Bona, dudum recepta consuetudo prævaluit.

XXX. MISSA TREVIRENSIS, SEU SANCTI SIMEONIS SYRACUSANI est illa, quæ Treviris conservatur, & idè Trevirensis nunc appellatur, prædicto tamen Divo Simeoni Syraculano adscribitur, & reputatur ante Annos minimum 200. descripta. Is enim Religiosus vir unà cum Reverendissimo Domino Poppone Trevirensi Episcopo, ex Palestina, quam Religionis cause cum ipso inviserat, in Galliam, & Trevirim advēnit; cui post Reditum, idem Dominus Archiepiscopus Poppo in suo Episcopatu, si vellet, manendi facultatem præbuit, & libentissimè concessit. Ex Revelatione autem Dei prospectans sibi locum, idem famulus Christi, ubi solus posset vacare orationi, in Turri, quæ antea nigra Porta vocabatur, parvulum tugurium expetiit, ubi Dominus Præsul præfente Clero, & Populo, in Festivitate S. Andree illum inclusit, & quasi mortuum, ut verè erat Seculo, devotissimè sepelivit. Reclusus igitur vir Dei silentio, & Jejuniiis attenuavit corpus; in primis aliquando solo pane, aliquando autem reficiebatur aqua infuso legumine; ibique tandem contemplationi, & summa abstinentiæ addictus Sanctissimè obiit, ut refert Evervinus Abbas Monasterii Dolejensis in vita, quam de eo scripsit, demandante supradicto Archiepiscopo Poppone; in qua tamen de prædicta Liturgia tributa D. Simeoni nullam mentionem facit; sicut poriter Octavius Cajetanus Soc. Jesu in suis animadversionibus ad prædictam vitam S. Simeonis Syraculani nullum verbum de eadem Liturgia profert. Nihilominus quia Treviris ostendebatur hæc cum summa veneratione, & eam refert Wilhelmus Lindanus Episcopus Gandavenlis in Calce suarum Adnotationum



tionum in Liturgiam D. Petri Apostoli; rursus quia de ea pariter mentionem facit Gavantus, & in Indice Auctorum, quos ipse novit scripsisse de sacris Ritibus verb. *Liturgia S. Petri & part. 1. tit. 13. in Rubr. n. 2. lit. R.* Idem quia eam memorat Johannes Antonius Pallotta in suo tract. *Rituum Sacrorum, & Myfteriorum cap. 23.* & Marcellus de Cavalleriis ordinis Prædicatorum in sua *statera Sacra Tit. 29. n. 71.* hinc de prædicta Liturgia non videtur dubitandi locus; sed solum in dubium verti potest ejusdem Liturgie antiquitas; ex quo enim præfatus S. Simeon Syracusanus diem suum clausit Kalendis Junii 1037. intelligere non possum, quomodo Lindanus, & Gavantus supracitati reputent dictam Liturgiam vetustiore ætate obtingentis annis, nisi dicatur, liturgiam illam non ab eo compositam, sed repertam, vel ab oriente delatam.

XXXI. MISSA ILLYRICIANA est illa, quam Matthias Flacius Illyricus, Cæsaratorum Magdeburgensium Princeps, & rigidorum Lutheranorum errorum forde inquinatus, in antiquo Codice MS. se reperisse tradit, eamque prælo commisit Argentine, Anno 1557. sub hoc Titulo: *Missæ Latine, qua olim ante Romanam circa 700. Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto, authenticoque codice descripta.* Sed Titulus mentitur; est enim ipsamet Missa Romana, sed mutila, & variis orationibus interpolata. Mutillam dixi, quia in ea desiderantur Introitus, Collectæ, Epistolæ, Graduale, Evangelium, Offertorium &c. Unde falsum est, quod ipsemet Illyricus opinatur in Epistola præliminari ad Principem Palatinum Rheni, nempe, eam liturgiam in usu fuisse in Occidente, præsertim in Gallia, & in Germania, antequam Romana Missæ ratio ubique recepta esset. Hujus Missæ ab Illyrico editæ varia fuit fortuna. Primò enim Triumphos de ea egerunt Lutherani, quasi per ipsam Catholica Dogmata convellerentur; unde Philippus II.

Hispaniarum Rex, ut bacchantium Hæreticorum subsannationes reprimeret, ejus lætione interdixit; & à Sac. Cong. pariter, in odium præsertim improbi editoris, qui perverso animo Ecclesiæ Catholice nocendi, eam evulgaverat, ejus lætio prohibita fuit. Verùm Lutherani, videntes tandem, Missam Illyricianam Catholicis dogmatibus favere, suisque erroribus adversari, omnem impenderunt operam, ut illam supprimerent. Tunc Catholici proficientes ex hæreticorum Palinodia, eandem Liturgiam attentius perlustrarunt, eamque ad confirmanda Eucharistiæ, Confessionis, & suffragiorum pro Mortuis Dogmata, perutilem invenerunt; & idcirco Catholice Ecclesiæ rem facere arbitrati sunt, si Missam Illyricianam, à Lutheranis suppressam, iterum Typis committerent; sicut fecerunt Carolus Le Coigne in tom. 2. suorum *annalium Ecclesiasticorum Francorum ad annum 601. n. 20.* cum variis notis, & observationibus; nec non Card. Bona in Calce sui præclarissimi operis de Rebus Liturgicis; & denique Edmundus Martene in *Lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus Cap. 4. Art. 12.* De hac Liturgia egregiè tractat mox laudatus Card. Bona *Lib. 1. Cap. 12. n. 2. & seqq.* ubi discurret de ejusdem Missæ antiquitate, usu, & auctoritate. Sermonem pariter eruditum super eadem Liturgia instituunt Græcolas de *Antiquis Liturgiis p. 360.* Martene *loc. cit.* & Mabillon *lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 3.*

XXXII. MISSA, SEU LITURGIA BOBIENSIS est illa, quam eruditissimus Johannes Mabillon reperit in Bibliotheca percelebris, & perantiqui Monasterii Bobiensis, & quam idem clarissimus Auctor in fine tom. 1. sui *Musæ Italici*, ex integro refert, eamque intitulavit -- *Liber Sacramentorum Ecclesiæ Gallicanæ* -- Cojus tituli reddidit rationem in Præfatione eidem Sacramentario præfixa n. x. quam infra dabimus. Codex prædictæ Liturgie scriptus apparet ante Annos 1000. & quidem literis majusculis, ut



ex appoſito ſpecimine in dicta Præſatione n. VIII. Periti intelligere poſſunt, Laudatus editor prædictæ Liturgiæ n. IX. quaerit, cujus Provinciæ potuerit eſſe hoc Miſſale; & quamvis fateatur, obvium non eſſe, decidere hanc quaëſtionem, opinatur tamen, fortè fuiſſe ad uſum maximæ Provinciæ Sequanorum, id eſt Veſontionenſis, in qua ſitum eſt Luxoviènſe Monafterium, unde Columbanus Bobium migravit. Et huic conjecturæ favere dicit Miſſam de Sancto Sigismundo Rege Burgundiorum. Proccedit ulterius ad aſſerendum, hunc codicem certè non fuiſſe ad uſum Monachorum Bobienſium, quia nihil in eo occurrit de SS. Bobienſibus Columbano, ejuſve Diſcipulis; nihil iterum de rebus monaſticis, non Benedicção Abbatis, non Benedicções pro Monafterii officiis, & alia huiusmodi. Num. verò X. fatetur, quòd hic codex poteſt dici *Liturgia Bobienſis*, & idcirco à nobis prædictæ Liturgiæ hic titulus præfixus eſt, quamvis præfatus Mabillon aſſerat, præferendum eſſe ti-

tulum, quem ille tali codici præfixit, nimirum -- *Liber Sacramentorum Eccleſie Gallicanae &c.* -- pro terea, quòd in fine codicis, ubi libri Sacri recenſentur, extremo loco ponitur *Sacramentorum uſus*. Quo nomine, ait Mabillon, librum de reſecta majores noſtri ſolebant designare, ut diximus etiam nos ſuperius, loquendo de Sacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano. Gallicanum verò appellat tale Sacramentarium, quia, ut ſuperius innuimus, ſupponit illud translata fuiſſe ex Provincia Veſontionenſi, & ex Monafterio Luxoviènſi, à S. Columbano ad Monafterium Bobienſe.

De prædictis Liturgiis occidentalibus hæc carptim delibavimus; ſed fuſiori ſermone de iſdem, aliſque fragmentis earundem Liturgiæ latinarum, diſſerendum promittimus in Collecciónẽ Liturgiæ omnium occidentalium, tam certarum, quam dubiarum, integrarum, & mutilarum &c. quam, Deo dante, in lucem emittemus.

Præter mox recenſitas Miſſas, ſeu Liturgiæ, quarum diſtinctio repetita fuit ex parte Auctorum, aut Nationum, à quibus frequentatæ fuerunt, & adhuc aliquæ frequentantur; nonnulla alia Miſſarum genera nunc dabimus, quarum diſtinctio repetitur ex variis Ritibus, & circumſtantiis accidentalibus, quibus eadem Miſſæ peractæ ſunt. Huic autem Miſſarum claſſi accenſeri poſſunt Miſſa Sollemnis, Dominica, Aurea, Cantata, Alta, Publica, Poplica, Communis, Conventualis, Secunda in Clero, Capitularis, Parochialis, Decenſita, Privata, Baſſa, Secreta, Familiaris, Peculiaris, Specialis, Singularis, Media, Solitaria, Occulta,

XXXIII. MIſſA SOLLEMNIS in communi ſenſu dicitur illa, quæ omnem ſollemnitatem habet, Cantus, Thuris, Miniſtrorum Sacrorum, earumque Ceremo-

niarum, quas præſcribunt Rubricæ Miſſalis commentatæ à Gavanto *part. 2. à tit. 2. uſque ad 12.* de quibus pariter diſcurrit Caſtaldus *Lib. 2. Sect. 9. Bauldry part. 3. tit. 3. Biſſus*



& alii passim. Sacrificii Eucharistici sollempnibus verbis, & Sacro Cantu, Rituque ab Apostolis celebrati meminit S. Proclus Archiepiscopus C. P. de traditione Divinae Missae, ubi ait: *erenim postquam Salvator noster in Caelum assumptus est, Apostoli, priusquam per omnem Terram dispergerentur, conspirantibus animis convenientes, ad tota die orandum convertebantur, & cum multam consolationem in Mystico illo Domini Corporis sacrificio postitam invenissent, suspirantibus, & longa Oratione Missam decantabant, hac enim divina Sacra una cum docendi ratione conjuncta ceteris Rebus anteposenda existimabant.* Quibus verbis (ait Antonius Caracciolus in suis eruditissimis notis ad nostras Constitutiones) & si Proclus non exprimit, quoto die Apostoli Missam sollempniter celebrarent; Lucas tamen significat *Actorum c. 2.* frequenter Sacrum fecisse, illis verbis: *erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & Communionem fractionis panis, & Orationibus.* Sanctus item Augustinus apud Ivonem Carnotensem *tom. 2. cap. 119.* tradit -- diebus Sollemnibus publica Missarum Sacra, coacto Clericorum Populique conventu, celebrata -- unde deducit praefatus Caracciolus, Ritum Dominicis, aut sollempnibus potissimum diebus sollempne Sacrum celebrandi, ab Apostolorum aeo deduci. Sub hoc genere Missae sollempnis continetur Missa Papalis, de cuius Ritibus, & Ceremoniis tractat Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis in suo Libro inscripto: *Rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum Ceremoniarum S. R. Ecclesiae.* Sub eodem genere continetur pariter Missa Pontificia Episcopalis, cuius Ritus, & Ceremoniae describuntur in Ceremoniali Episcoporum. De iis tractant pariter Castaldus, Bauldry, Bissus, Gerlacus Vinitor; nec non Paris de Grassis olim Apostolicarum Ceremoniarum Magister, & Episcopus Pisarenensis in lib. cui titulus: *de Ceremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diocesis:* In quo, ut ex praedicto tiulo apparet, etiam

de Ceremoniis, quae ad Cardinales spectant, doctè disserit. Denique sub hoc genere continentur Missae Pontificales Abbatiales, de cuius Ritibus, & Ceremoniis agunt praesertim Zaccharias à Mutina in *Ceremoniali Cassinensi*; Donatus Ramerius in *Rituale Monastico*, Romano ritui, ac Caelestiorum usui conformi; nec non Auctor Ceremonialis Canoniorum regularium Congregationis S. Salvatoris. Pro hac Missa Abbatiali, videndum est pariter Decretum Generale emissum à Sac. Rit. Congregatione, approbante eitam Alexandro VII. Anno 1659. 27. Septembris, datum in nostro Indice; & legenda pariter sunt alia Decreta sancita sub die 12. Junii 1660. spectantia ad eisdem Ritus Abbatiales, & Monasticos. Sub hoc genere Missae Sollemnis, continetur etiam Missa, quae dicitur Canonialis, nimiram illa, in qua Dignitate, vel Canonico Sollemniter celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono inserviunt.

XXXIV. MISSA DOMINICA significat Missam majorem sollempnem; in statutis enim MSS. Ecclesiae Lugdunensis haec habentur -- *Nullus Clericus de Terra debet intrare Chorum per se solum ad Missam Dominicam in festivis diebus; ex quo Angelicus Hymnus inceptus est.* Et in ejusdem Ecclesiae pariter statutis Anni 1251. in quibus describitur numerus Ministrorum, qui inservire debent Celebranti ad Missam Solempnem, haec leguntur: *Singulis diebus Dominicis festivi Sacerdoti Canonico Missam Dominicam celebranti debent assistere duo minores Sacerdotes, Ricarii duorum Canoniorum Sacerdotum, unus à dextra parte Altaris, & alius à sinistris, &c.* ex quibus patet Missam sollempnem, seu majorem appellari Missam Dominicam.

XXXV. MISSA AUREA. Quoniam mox egimus de Missa sollempni, quae apparatissima pompa conficitur, ideo congruum arbitramur, exponere hic Missam illam, quae Aurea ab aliquibus appellata fuit. De hac sermonem habuit Bulchius de Reformat.

Mon-



Monasterii apud Leibnit. Tom. 2. *Scriptorum Brunsvic. pag. 484. Hildesheim etiam Sabbato post Conciones (i. Communes, vide Communio) qua Conciones Dominica post Michaelis incipiunt, per hebdomadam perdurantes; Aurea Missa ab omnibus Canonicis totius Civitatis, & à cunctis Prælati, & Religiosis cujuscumque Ordinis, etiam Mendicantibus, per tres aut quatuor horas decantari solet de B. Maria Virgine in Organis. Unde cunctis præsentibus dantur notabiles præsentia Prælati, sicut mihi pullus caritatis, pretiosus conditus, pullus affatus, dimidia stopa vini, cuneus, sive albus panis, tam magnus, quam omnibus nobis ad mensam sufficeret, & quatuor solidi dantur. Singulis verò Fratribus dantur duo solidi Lubicensis pro præsentia. Ex quibus verbis colligitur, quare talis Missa Aurea appellatur, nimirum ob suam maximam magnificentiam, id quod confirmat Chronicum Sancti Godeh. Hildensh. ibidem pag. 408. ubi habetur -- Item Missam singulis Annis instruit de Beata semper Virgine Maria, quam ob suam magnificentiam Auream vocamus.*

XXXVI. MISSA CANTATA, prout distinguitur à sollemni, sicut eam distinguit Jos. ph. Vicecomes de *Missæ Ritibus lib. 5. cap. 7.* est illa, quam cum Sacerdote sine Ministris sacris celebrante, Cantores musico concentu alternant: patet igitur discrimen inter hoc Missæ genus, & aliud superius explicatum, nempe Missæ sollemnis, cujus nomine venit rig. rosè Missa illa, quæ apparatus pompa conficitur, cui Ministris sacri, & Clerici tum Ordines intervniunt. De hoc secundo Missæ genere iterum redibit sermo paulo infra, cum de Missa Media discurremus.

XXXVII. MISSA ALTA eadem ac Missæ sollemnis cum cantu: de hac fit mentio in Charta Anno 1377. apud Rymer. Tom. 7. pag. 139. usque summum Altare ad Altam Missam celebrandam accesseram.

XXXVIII. MISSA PUBLICA est illa,

cui interesse utrique sexui promiscue licet, & quæ coram Populo peragitur: hanc Missam Walafridus Strabo cap. 22. legitimam appellat: ab Amalario verò cap. 8. vocatur *Generalis*, & in Concilio Vationensi cap. 20. appellatur *Missæ publica*, quæ dicitur talis, non à loco publico, quia olim in cryptis, & abditis locis celebrabatur, & tamen publica appellabatur, sed ut mox dixi, à conventu Populi circumstantis, offerentis, & communicantis in tali Missa. Missas autem ejusmodi publicas ante horam diei tertiam non celebrari, statuit Telesphorus PP. ut refert Anastasius, sive alius libri Pontificalis Auctor; quod quidem Decretum referunt Amalarius lib. 3. cap. 42. & Strabo cap. 23. sed hos dec. pto. fuisse à Pseudo-Isidoro, qui primorum Pontificum Epistolas Decretales finxit, & consarcinavit, totique Ecclesiæ tanquam legitimas merces obtrulit, asserunt alii nonnulli eruditissimi viri, inter quos Cardinalis Bona, qui lib. 1. *Rerum Liturgicarum cap. 21. num. 5.* loquens de prædicto Telesphori constituto, ait: *Quid magis alienum à conditione illius Seculi, quo Christiani, furentium Imperatorum gladiis declinantes, summo studio latrabant, quam hujus legis editio, qua nullo modo poterat observari? Noctu, & in occultissimis locis convenisse Fideles ad Synaxim, Tertullianus in lib. de fuga in persecutione, & alibi nos docet, qui aliquot Annis post Telesphorum scribere cepit, imperante Severo; Telesphorus autem Martyr occubuit Hadriano imperante, Anno Christi 137. Probabilis igitur sententia est, & magis congrua, quam refert Baronius ad Annum 382. hanc tertie horæ præfixionem ad Missam publicam celebrandam fuisse sancitam à Sancto Damaso, ex præscripto, ut ajunt, Canonis N. cæni, qui tamen non extat. D. his plura alia tradit Cardinalis Bona loc. cit. Concilium etiam Aurelianense tertium Can. 14. B. acaranse Anno 372. Can. 9. idem præscribunt: & Gregorius Turonensis de Vitis Patrum ait: *Festa quoque hora tertia, cum Populus ad Missarum sollemnia conve-**



conveniret &c. Denique Theodolphus Aurelian. in Capitulis cap. 45. hæc habet -- ut *Missæ*, qua per dies sollemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas Populus à publicis Missarum sollempnibus, qua hora certia Canonice fiunt, abstrahatur. Ut sceminarum accessus in Monachorum Monasteria vitetur, habetur constitutum Gregorii Magni pro Monachis. apud Baronium, Anno 601. num. 15. & lib. 4. epist. 43. nimirum: *Missas quoque publicas ab eo (Episcopo) in Cœnobio omnino fieri prohibemus, ut in Servorum Dei recessibus, & eorum receptaculis nulla popularis præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum.* Idem Pontifex lib. 5. epist. 46. ad Episcopum Pisaurensem hæc scripsit: *Dum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum sit, ut locum ipsum absque Missis publicis dedicaret.* Eadem leguntur in aliis ejusdem Pontificis epistolis: & in Concilio Lateranensi 1. Anno 1122. Can. 17. ventantur Abbates, & Monachi, Missas publicas cantare.

XXXIX. MISSA POPULICA. Hoc nomine appellabatur secunda Missa, quæ in Festo S. Laurentii assignata reperitur in Sacramentario S. Gregorii ex Codice Gellonenfi apud Marten, de Ecclesiastica Disciplina in Divinis recitandis Officiis pag. 575. qui refert sic inscriptam esse: *Item ad Missam Poplicam in die ejusdem.* Prima verò sub hoc titulo prænotatur: *Natale S. Laurentii mane prima.* Monachi S. Mauri in suis eruditissimis Additionibus ad Glossarium Caroli Du-Fresne optimè adnotant, hoc loco manifestum contigisse errorem, ponendo *poplica* pro *publica*.

XL. MISSA COMMUNIS, eadem ac publica, ut colligitur ex Beaulio Cæsaraugustano in Epist. Vitæ S. Emiliani præfixa, ubi hæc habet: *De eadem quoque sollempnitate, ut Missa recitaretur communis, injunxi dilecto filio meo Eugenio Diacono, &c.*

XLI. MISSA CONVENTUALIS est

illa, quam Rectores Ecclesiarum Cathedralium, & Collegatarum quotidie celebrare facere tenentur sollempniter cum cantu, post Tertiam, juxta temporis conformitatem, & Divini Officii recitationem. De hac Missa sermo habetur in Concilio Toletano habito Anno 1565. inter Hispan. Tom. 4. pag. 76. ubi leguntur hæc verba: *Quoniam Missa Conventualis, ad quam omnes olim convenire solebant, magna celebritate peragenda est. . . . statuit Synodus, ne in diebus Dominicis, & Festis colendis à tempore decantata Epistola usque ad ipsam Communionem, Missa privata in Ecclesiis celebrentur.* Thomas Franciscus Rotarius in sua Theologia Regularium Tom. 3. lib. 1. cap. 2. punct. 4. n. 4. adnotat, quòd Missa Conventualis in variis Ordinibus Regularium diversum nomen sortitur: alii eam vocant Missam Canonicam, alii Missam Tertiam, alii Majorem, alii Publicam, & alii Communem. De obligatione celebrandi hanc Missam Conventualem, & de aliis ad eam spectantibus, agit Gavantus part. 3. tit. 12. n. 5. & nos suis etiam differemus in nostris Observationibus, & Additionibus eodem loco.

XLII. MISSA SECUNDA IN CLERO est illa, quam constituit Deusdedit Romanus Pontifex, qui initio septimi Seculi regerebat Ecclesiam. Ita tradit Auctor libri Pontificalis in Vita prædicti Pontificis, cujus loci explicatio multorum vexavit ingenia, Petrus Urbevetanus in suis Scholiis hanc Pontificalis constituti rationem assignat: quia tunc forsitan adinstar Græcorum non cantabatur in Ecclesia nisi una Missa, quod magis edificabat secundum antiquos. Urbevetani explicatio Cardinali Bona non placuit, quia, inquit ipse lib. 1. cap. 14. n. IV. ex Leonis Testimonio (quod legitur in epistola ad Dioscorum Alexandrinum) patet, morem iterandi Sacrificium multò ante in Romanam Ecclesiam inducendam fuisse. Baldinus, petita venia ab Eminentissimo Scriptore, Urbevetani sententiam amplectitur, in notis ad Anastasium



statum Bibliothecarium recentissimè impres-  
sum hic Romæ Tom. 4. in Vita præfati Ponti-  
ficis Deusdedit, contenditque constitutum  
ab eodem PP. ut in Clero post solemnem  
Missam, altera privata ab altero ex Clero ha-  
beretur; sive nova plebs in Basilicam con-  
veniret, sive non; sive una esset, sive plures  
Basilicæ; hac ratione permotus, quòd tunc  
certè primùm inductus in Ecclesia Latina vi-  
deatur Ritus, ut plures Missæ in eadem Ec-  
clesia celebrarentur, & plura Altaria pro iis  
celebrandis construerentur. Nos petita à  
Baldino venia, Cardinalis Bona opinioni ad-  
haremus, & putamus cum P. nostro Berl-  
n- di in sua erudita Dissert. de Oblationibus §.  
8. num. 4. pag. 98. & Christiano Lupo in Scho-  
liis ad Concilium Romanum Alexandri II. Pon-  
tificis Tom. 5. Veneta editionis pag. 153. De-  
cretum PP. Deusdedit dirigi ad Cathedralis  
Ecclesias, & ab ipso imponi præceptum, ut  
incerta, aut Festorum inter se, aut ipsorum  
cum Dominicis, aut quibusdam Feriis con-  
currentia, obligentur ad duas sollemnes Mis-  
sas celebrandas, quòd fortasse jam antea per-  
agebatur, sed ex sola consuetudine, non ta-  
men ex præcepto, quòd postmodum à Pon-  
tificis Deusdedit impositum fuit. Neque li-  
bri Pontificalis verba, de privata Missa in-  
telligi posse videntur; nam cum ait, hunc  
Pontificem constituisse secundam Missam in  
Clero, satis innuit, huic Missæ Clerum in-  
teresse debuissè ac proinde solemnem fuisse,  
non verò privatam; quæ confirmari possunt  
ex iis, quæ diximus in Missa Poplica. Quòd  
verò ait eruditissimus Baldinus, hujus Papæ  
temporibus, tunc primùm inventum esse Ri-  
tum in Ecclesia Romana, ut plures Missæ in  
eadem Ecclesia celebrarentur, non ita fac-  
iles damus, etenim plures ante præfatum Pon-  
tificem Missis, uno eodemque die in eadem  
Ecclesia celebratas fuisse, etsi cætera dees-  
sent, id invictè probaret Leonis Sacramen-  
tarium à Josepho Blanchino vulgatam, in  
quo juxta majorem, minoremque Festorum  
solemnitatem, plures, aut pauciores assi-

gnantur Missæ dicendæ; has verò Missas ab  
uno Presbytero celebratas fuisse, nemo mi-  
hi persuadebit. Etsi verò unius Ecclesiæ  
quondam unum erat Altare, plures tamen  
in eo Missas unoquoque die celebrare fas erat,  
ait doctissimus Mabillon Præfatione prima  
in Seculum tertium Ordinis Sancti Benedicti  
*observat. 12. sub n. 77.* idque probat ex Con-  
silio Antissiodorensi, quòd Anno 578. cele-  
bratum fuit, & in ejus *cap. 10* habentur hæc  
verba: *Non licet super uno Altario in una die  
duas Missas dicere, nec in Altario, ubi Epi-  
scopus Missam dixerit, ut Presbyter in illa die  
Missas dicat.* Quibus sanè verbis præoga-  
tiva quædam Episcopo supra cæteros Presby-  
teros tribuitur, ut scilicet in illo Altari, in  
quo Missam dixisset Episcopus, non liceret  
ea die Presbytero Sacrificium offerre: ergo  
(argutè infert Mabillon) Presbyteris aliis  
post alios Missas in eodem Altari celebrare  
licebat, aliàs frustranea esset Concilii additio  
de Episcopis. Hoc assumptum illustratur  
facto Gregorii Turonici Episcopi, qui, cum  
ab æmulis apud Chilpericum esset accusatus  
maledicentia in Fredegundem, apud Bramma-  
cum Villam restitit, ad hoc causâ, ut dictis  
Missis in tribus Altaribus se de his verbis exue-  
ret Sacramento. Ad quid enim non uno,  
sed in tribus Altaribus Gregorius celebravit  
Missas tres, nisi quia uni Sacerdoti id in uno  
Altari non licebat? Ex præfato *Cap. Concilii  
Antissiod.* deducitur etiam, in eadem Ec-  
clesia non solum unum, sed plura fuisse Altaria,  
quia si vetitum erat Presbytero dicere Missam  
in Altari, in quo celebrarat Episcopus, in  
alio igitur celebrare licebat. Et quidem Se-  
culo sexto Burdigalæ in Ecclesia S. Petri du-  
plex erat Altare, ut scribit laudatus Grego-  
rius Turonensis *lib. 1. de Gloria Martyrum cap.  
33.* Illustre est etiam in hanc rem exem-  
plum Palladii Sanctonensis Episcopi in Gallia,  
qui referente Gregorio Magno *lib. 4. epist. 50.  
vet. edit.* tredecim collocarat Altaria in Ec-  
clesia, quam in honorem BB. Petri, & Pau-  
li, Laurentii, & Pancratii ipse construxerat.

Mosem



Mor in hunc non inchoasse Palladium, sed majorum exempla fuisse secutum, argumentis supra relatis ostenditur. Neque etiam credibile est; Gregorium probaturum fuisse Palladii factum, si vetus illa primorum Ecclesiarum temporum consuetudo adhuc in Gallia, & in Occidente viguisset. Caterum, si verum amamus, fatendum est, morem plures Aras erigendi in una, eademque Basilica, jam à Seculo quarto in usu fuisse apud quosdam Occidentis Ecclesias, quod gravissimo Ambrosii testimonio probatum imus. Sanctissimus enim Doctor *epist. 23.* earum, quæ in prima Classe continentur, ad Sororem suam, Anno 385, scripta, agens de Basilica, quam Ariani occupare tentaverant, & quam ipse ab eorum aggressionem defendebat: *Non ego, inquit, vallabor circumfusione populorum, nec Altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro Altaribus gratius immolabor.* Et in fine Epistolæ ait --- *Nec mora, nunciatur, Imperatorem, iussisse, ut recederent Milites de Basilica . . . qua tunc plebis lætitia fuit . . . . ieraticum hoc nunciare Milites irruentes in Altaria; osculis significare pacis infere: quem locum de pluribus in una Basilica Altaribus intelligendam esse nemo non videt; nec ipsi Heretici dissentent: quamvis Basnagius celebris inter Heterodoxos ad Annum Christi 226. peculiarem hanc Mediolanensium consuetudinem fuisse contendit.*

XLIII. MISSA CAPITULARIS dicitur illa, quæ celebratur diebus festis solemniter cum Ministris paratis, & cum cantu in his Ecclesiis, ubi est sufficiens numerus Cappellanorum, seu Presbyterorum, & congruè fieri potest: de hac Missa mentionem facit Corseus *tract. 1. part. 4. cap. 25. sect. 4. num. 17.*

XLIV. MISSA PAROCHIALIS est conventus Fidelium, in quo preces publicas, & Sacrificium offerunt Ministerio Pastoris, discuntque ab eo, quæ vitare, quæve præstare debeant, ad propriam salutem, & ad

proximi ædificationem. De hac Missa Parochiali Concilium Tridentinum *Sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in Missæ celebratione*, declarat obligationem, qua tenentur Parochiani prædictæ Missæ Parochialis inter se, at enim: *Assistant etiam (Episcopi) eundem Populum, ut frequenter ad sua Parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus Festis accedant.* Ex quibus verbis colligitur, quod Fideles tenentur Missæ Parochiali dicti diebus intervenire, nisi ratio honesta excuset. De hac Missa Parochiali tractat Bonaventura Besean Prædicator Cappuccinus in suo opere inscripto: *Parochophilus, seu de quadruplici debito in Parochia propria persolvendo*: alius etiam Auctor linguæ Gallicæ, Anno 1679. Tractatum edidit de Missa Parochiali.

XLV. MISSA DECENSITÆ. In Charta, Anno 760. apud Baluz. in append. ad Capitul. col. 1392. duas portiones tam de terra vineis . . . vobis visus sui condense, ut omni tempore Missa ibidem Decensita esse debeant. Quid veniat nomine Missæ Decensitæ, valde obscurum est: Monachi præfati Benedictini opinantur illud verbum significare Missas quæ decenti cultu celebrari debent.

XLVI. MISSA PRIVATA, prout distinguitur à Missa sollempni, est illa, quæ privatim, & peculiari ter, sine cantu, uno duntaxat Clerico ministrante, sive in Ecclesia, sive in Oratorio privato celebratur. Quapropter hæc Missa, de bene advertit Bocquillot *lib. 2. cap. 7.* potest esse publica, quando fit cum conventu Populi offerentis, & communicantis, &c. De huiusmodi Missis privatis eruditè disserunt Martene *de antiquis Monachorum Ritibus cap. 6.* nec non mox laudatus Bocquillot *toto cap. 7. & 8. lib. 2. in Tractat. Historico de Liturgia.* Missa verò privata, prout distinguitur à publica, est illa, in qua solus Sacerdos sacramentaliter communicat. Hæretici Misoliturgi utramque Missam privatam prohibitam esse comminiscuntur. Verùm uniusque generis privatas Missas,



Missas, tanquam licitas, probandas esse, & commendandas, Ca holicæ Doctrina est, eamque demonstrat Card. Bona lib. 1. cap. 14 ubi pariter refert varios veteres Auctores, quibus ostendit, perpetuum Missarum privatarum usum. Concilium verò Tridentinum sess. 22. cap. 6. docet, quòd nullæ Missæ sint omnino privatz, partim quòd omnes à publico Ecclesiæ Ministro, non pro letantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrantur; partim quòd in omnibus communicare possint Fideles: saltem spiritualiter; partim, quòd omnes fiant in gratiarum actionem pro morte Christi, quæ est commune beneficium. Usus tamen invaluit, ut quæ fiunt absque publico conventu, privatz, seu peculiare dicantur, ut liquet ex Cap. & hoc attendendum de consec. distinct. 1. vel quæ celebrantur solo Sacerdote sacramentaliter communicante; quæ tamen, ut dixi, non reprobantur, sed commendantur ab Ecclesia Catholica, quia Missæ celebratio potissimum fit ad Sacrificium Deo offerendum, eumque sic laudandum, honorandum, ac Populo propitiandum; non autem necessario ad Populum Sacramento reficiendum; unde quando præter Celebrantem nullus alius communicat, non fit frustra Sacrificium, quia semper obtinetur finis principaliter intentus in Sacrificio, quod offertur.

XLVII. MISSA BASSA eadem, quæ privata, seu quæ submissa voce celebratur, ut legitur apud Lobinellum Tom. 2. Hist. Britan. p. 1604. hoc est sine cantu; & in Charta Ferrici de Cluniaco apud Mirzium Tom. 2. pag. 1345. legitur: *Alii verò quinque Beneficiati non hebdomadarii celebrabunt per turnum singulis hebdomadis viginti bassas Missas.* In aliis etiam Monumentis, quamvis reperitur prædicta vox Bassa pro indicanda Missa privata, quæ submissa voce dicitur; nihilominus, ut adnotant eruditissimi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri in novis suis Additionibus ad Glossarium

Gavant. Rubr. Miss.

Cangianum, seu Caroli Du-Fresne Tom. 4. col. 814. etiam de Missis privatis frequens est hæc formula *cantare Missam*, præsertim in Sancti Willemi Constat. Hirsaug. lib. 1. cap. 86. ubi habetur -- *Sacerdos si privatam Missam cantare voluerit, innuit converso cum signo Crucis, quod est signum cantandæ Missæ.* Rursus eadem Missa privata dicitur etiam *Plana*: sic eam appellat Ceremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. num. IX. *Celebrans in eo sive sollempnes, sive planas Missas.*

XLVIII. MISSA SECRETA est eadem ac Privata, seu Bassa, & hoc nomine appellatur in Actis Episcop. Cenoman. pag. 72. ubi habetur -- *Nunquam à diè ordinationis sue cognoverunt diem præterire, ut non Missam, aut publicam, aut secretam celebrarent.*

XLIX. MISSA FAMILIARIS est etiam ex genere privatarum, & est eadem, quæ pro Familiaribus inscribitur in libro Sacramentorum Gregorii Magni pag. 256. edit. Menardi; vel est eadem omnino ac Missa privata, cui opponitur Missa publica. In hoc sensu facit mentionem de hac Missa Eadmer. lib. 1. Vitæ S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis cap. 14. *Si aliquando à celebratione ipsius Sacramenti impediatur, eos, qui Missam Familiarem debebant, suam pro Anima Fratris Missam dicere faciebat.* Vide etiam Ordinarium Canonicorum Regularium Sancti Landi Rotomag. apud Johannem Abrinc. Episc. de Ecclesiast. Offic. pag. 291. *Excepto, quòd Missas Familiares non dicant, nimirum privatas: vide denique Udalricum l. 1. Consuetudinum Cluniacensium cap. 7.*

L. MISSA PECULIARIS pariter idem significat ac Missa privata: hæc notione exprimitur in Capitulis Theodulphi Aurelianensis cap. 45. *Ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiare à Sacerdotibus fiunt, non ita publicè fiant, us per eas Populus à publicis Missarum sollempnibus, quæ hora tertia Canonice fiunt, abstrahatur.* Et in Concilio Lambethensi, Anno 1282. cap. 2. *Sacerdotes insuper caveant universi, ne Missarum peculiarium, seu sa-*

H milia-



militarium se celebrationi obligent, quo minus valeant Canonice commissam sibi Ecclesiam officiare, ut tenentur. In Concilio ve. o Sa'engunstadiensi, Anno 1022. cap. 10. & in Capitulari Anglicano incerti Auctoris cap. 4. super e stitionis cujusdam mentio fit, qua quidam laici; ac maximè Matronæ, Missas peculiare, hoc est de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaële, quotidie audiebant pro aliqua divinatione, quæ ibi vetatur.

L. MISSA SPECIALIS est pariter Missa privata, de qua mentionem faciunt Capitul. Theodorici Cantuariensis cap. 10. edit. Jacobi Petrii, in quo legitur: *Centum viginti Missæ speciales, singule cum tribus psalteriis, & cum tercentum Palmatis, excusant annum, scilicet penitentia.* In epist. pariter Caroli Magni ad Fastradam Reginam de Victoria Avarica, hæc leguntur: *Et Sacerdos unusquisque Missam specialem fecisset, nisi infirmitas impedisset.* Et in Vita Alculni num. 26. ut refert Du-Fresne in suo Glossario verb. *Missæ specialis,* legitur: *Leviticè se preparans, suo cum Sigulfo Presbytero Missarum colebat sollempnia specialium usque ad horam tertiam.*

LII. MISSA SINGULARIS eadem quæ privata, seu specialis, de qua mox supra. Hoc nomine Missam privatam exprimit Eddius Stephanus in Sancto Wilfrido cap. 67. ubi habetur: *Nam omni die pro eo Missam singularem celebrare, &c.*

LIII. MISSA MEDIA dicitur illa, quæ participat de Missa privata, & sollempni; nam cum sollempni habet cantum; cum privata verò convenit in hoc, quòd celebratur sine Ministris sacris, sed cum uno tantum, vel duobus Acolythis: unde patet, hanc Missam non differre ab illa, quæ simpliciter cantata dicitur, de qua superius locuti sumus. De Ceremoniis, & Ritibus, quibus hæc Missa celebranda est, agunt Castaldus lib. 2. sect. 9. Bauldry part. 3. tit. 13. cap. 9. & segg. Gerlacus Vinitor part. 4. tit.

12. & 13. Totinius in Ceremoniali PP. Camaldulensium lib. 1. cap. 19. num. 15. Jo. Merinerus in Ceremoniali Fratrum Minorum part. 2. & alii; sed omnium optimè Benedictus XIII. qui ad cæteras præclarissimas dotes, quæ Pontificem summum ornabant, maximam Ecclesiasticorum Rituum peritiam adjecerat. Videatur opusculum ejus Italicè inscriptum: *Avvertenze Pratiche Ceremoniali &c.* cap. 2. ubi rem hanc exactissimè tractat. De Ritibus servandis in hac Missa etiam nos agimus in nostris Additionibus, & Observationibus ad tit. VII. part. 2. à n. XLII. usque ad XLVI. inclusivè.

LIV. MISSA SOLITARIA, prout à privata, & plana distinguitur, intelligitur illa, quæ à solo Sacerdote, nemine præsentè, & respondente fiebat olim in Monasteriis. Missæ hujusmodi solitariae olim, ut dixi, celebrabantur ex Indulgentia in Cænobiiis, ut loquitur Edvensis, sive ex privilegio Canoniarum Sanctionum. Verùm sublatis nunc hujusmodi privilegiis, districtè prohibitum fuit, ne quis Sacerdos solas sine ullo Ministro Sacrum Mysterium conficiat. Hujusmodi autem Sanctiones Missam Solitariam prohibentes, asseruntur à Josepho Vicecomite lib. 5. de Missæ Ritibus cap. 4. nec non à Card. Bona lib. 1. cap. 15. n. 5.

LV. MISSA SEU SACRIFICIUM OCCULTUM est Sacrificium Schismaticorum, qui se ab Ecclesia segregant, & in suis Conventiculis Sacrificia offerre præsumunt. Ita explicat Eckius Divum Basilium in Psal. 115, prope finem, ubi ait: *Non in latebris delitescens Sacrificabo, sed publicam exhibebo tibi Sacrificium;* nempe ad differentiam Sacrificii Schismaticorum, quod, ut dixi, appellabatur occultum. De hoc Sacrificio occulto Schismaticorum mentionem facit Bellarminus Lib. 6. de Missa cap. 10. in fine.

Tertis



Tertia Missarum diversitas desumitur ex iis, pro quibus Sacerdos Hostiam salutarem Deo offert; hujusmodi autem sunt: Missa Votiva, Adventitia, Nuptialis, pro Defunctis, Animarum, pro Vivis, Spontanea, Legata.

LVI. MISSA VOTIVA strictè accepta ea sola censenda est, quæ non convenit cum Officio dici, nec ab Ecclesia præscribitur dicenda; sed dicitur à Sacerdote juxta ipsius votum, seu voluntatem, putà de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Angelis, & de aliis, prout infra in nostris Observationibus ad Tit. IV. §. 1. Latè verò sumpta, Missa Votiva dicitur illa, quæ licet non sit ad arbitrium Sacerdotis: & non concordet cum Officio, præscribitur tamen dicenda tali die ab Ecclesia, non ratione Festi alicujus, sed voto, seu devotione ipsiusmet Ecclesiæ: talis est Missa B. M. dicenda in duobus prioribus Sabbatis Adventus, etiam si non dicatur Officium de B. M. sed Feriale. Hæc Missa non dicitur strictè Votiva, quia non dependet ex voto, & delectu Sacerdotis; dicitur autem latè Votiva, quia ejusmodi Missa licet non conveniat cum Officio, est tamen præscripta ab Ecclesia ex devotione ipsius Ecclesiæ erga B. V. Nequaquam verò est talis, necullo modo censenda est Votiva, Missa de Feria, seu de Vigilia, quæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis præter Missam Festi occurrentis dici debet; tum quia præscribitur ejusmodi Missa ab Ecclesia, nec pendet ex voluntate Sacerdotis; tum quia convenit etiam non Officio quidem, sed commemorationi dictæ Feriæ, seu Vigiliæ eo die factæ. Qua item ratione Missa pro Defunctis die secunda Novembris, sicut & prima die cujuslibet mensis non impedita, Votiva non est; cum & præscribitur ab Ecclesia, & Officio, quod ipsi sit idem sit, conveniat; aliàs semper est Votiva. Cæterum de hujusmodi Missarum Votivarum Origine, Ritu &c. eruditè tractant Joseph Vicecomes de Missæ Ritibus lib. 3. cap. 15. & seqq. Martene de Antiquis Monachorum Ritibus lib. 2.

cap. 6. n. 41. Card. Bona lib. 1. cap. 15. n. 3. Gracolas in 1. part. Antiqui Sacramentarii pag. 433. Liber Sacramentorum Sancti Gregorii Magni edit. Menardip. g. 255. Antiquæ Definitiones ordinis Cisterciensis distinct. 5. cap. 7. Carolus Guyetus in sua Heortologia lib. 4. toto cap. 21. Quarti part. 1. tor. tit. 4. Girvatus verò de hujusmodi Missis Votivis tractat part. 1. tit. 4. nec non Part. 4. tit. 17. cujus doctissimis Commentariis nos quoque ibidem aliqua adjiciemus: denique prædictarum Missarum Votivarum genera varia, pro diversitate personarum, vel pro diversis eventibus, & periculis celebrandarum, describuntur in antiquis Sacramentariis, nec non in nostris Recentibus Missalibus.

LVII. MISSA ADVENTITIA, eadem quæ Votiva, in Epitome constitutionum Ecclesiæ Valentiniæ tom. 4. Conciliorum Hispaniæ p. 171. inter alia agente de ordine, qui circa celebrationem Missarum tam Beneficiorum in Ecclesia fundatorum; . . . . quam etiam Votivarum, & ut dicunt, Adventitiarum haberi debet. Nunc autem Missa Adventitia eadem est ac Missa, quæ dicitur Manualis, nimirum quæ celebratur juxta mentem illorum, qui offerunt elemosinas pro Missa celebranda.

LVIII. MISSA NUPTIALIS est illa, quæ celebratur in benedictione Nuptiarum, de qua Concilium Toletanum, Anno 1323. inter Hispan. tom. 3. pag. 572. ubi hæc verba habentur: *Qui alieno Parochiano, absque alia testimoniali Sacerdotis proprii, Missam celebraverit Nuptialem, trecentos moropetinos nobis solvere teneatur.*

LIX. MISSA PRO DEFUNCTIS, SEU DEFUNCTORUM, est illa, quæ pro Fidelium mortuorum suffragio celebratur juxta Rubricas in

H 2

Missæ



Mā liti descriptas. De hujusmodi Missarum Origine, Divisione, & Ritibus eruditissime discurre Vicecomes de Antiquis Missæ Ritibus toto *lib. 4. à cap. 1. usque ad cap. 21.* Card. Bona *lib. 1. cap. 14. n. 2. & cap. 15. n. 4.* Grancel. in Antiquo Ecclesiæ Sacramentario *part. 1. à pag. 492. usque ad pag. 538.* Videndum est etiam Concilium Vahonense *2. cap. 43.* Vahense *3. cap. 3.* B. acarense habitum Anno 543. *Can. 16.* aliud Bracrense Anno 1502. *Can. 10.* Aleuin. *lib. de Divinis Offic. cap. de exequiis mortuorum.* Walafrid. *Strabo de rebus Eccles. cap. 21.* & Durand. *lib. 5. Rational. cap. 5. n. 18.* Noster verò Gavantus de Ritibus servandis in Missis Defunctorum agit in *part. 1. tit. 5. & part. 4. tit. 18.* cui inhærendo, etiam nos ibidem nonnulla addemus, & observabimus. Apud prædictos Auctores, necnon apud Codices Sacramentarios varia describuntur genera Missarum pro Defunctis, quæ ibi videri possunt.

LX. MISSA ANIMARUM eadem ac Missa, quæ cantatur pro Defunctis: de qua in Vita B. Metildis Reginæ *n. 9. 10.* & apud Durand. *lib. 5. Rational. cap. 5. n. 18.*

LXI. MISSA PRO VIVIS die tur illa, quæ pro hominibus adhuc viventibus celebratur.

Ratione autem circumstantiarum, quæ hominum vitam comitari solent, hæc Missa multifariam partitur, veluti cum pro gravi molestia affectis, vel pro iter agentibus, vel pro agonizantibus, vel pro remissione peccatorum &c. Sacrificium Deo offertur.

LXII. MISSA SPONTANEA vocatur illa, quæ sola dicentis Religione, & pietate celebratur, & offertur vel pro Vivis, vel pro Defunctis.

LXIII. MISSA LEGATA est illa, quam Testamento, vel alio Instrumento aliquis Fidelium instituit: tam hæc, quam superior nunc sunt in usu: & ut ait Vicecomes *lib. 1. cap. 7.* habent veterum firmamenta; sed Prima non indiget probationibus; Altera verò satis constat ex eo, quod S. Ambrosius pro Anima Valentiniani Imperatoris Sacrificium instituit. Sed amplius liquet hoc genus Missarum Legatarum, ex more introducto, dandi stipendium Sacerdoti propter Missæ celebrationem. De qua materia eruditissimum sermonem instituit in *2. part. 102.* Dissertationis Historico-Theologicæ de Oblationibus ad Altare, quam recentissime divulgavit Noster P. Franciscus Beilendi, Venetis, Anno 1733.

Alia præterea sunt genera Missarum, quarum distinctio desumitur vel ex tempore, vel ex loco, vel Sacris functionibus, vel ex aliis circumstantiis, in quibus tales Missæ celebrantur. Ad hoc Missarum genus reducuntur Missæ, quæ appellantur de Tempore, Quadragesimalis, Paschalis, de Jejunis, Lunatica, Dominicalis, Ferialis, Annualis, de Expectato, de Sanctis; Perfecta, Imperfecta, Catechumenorum, Sacramentorum, Fidelium, Præsanctificatorum, Sicca, Nautica, seu Navalis, Bifaciata, Trifaciata &c. de Luce, de Aguinaldo, Matutinalis, Cardinalis, Minor, Peregrinorum, Vespertina, Nocturna, de Galli



Galli Cantu, Diei, Nova, Novella, Scrutini, de Traditione Symboli, Chrismalis, ad prohibendum ab Idolis, pro Decimis, pro Requite Sanctorum, Revocata.

LXIV. MISSÆ DE TEMPORE vocantur illæ, quæ correspondent variis Anni Ecclesiastici temporibus, in quibus Vitæ, Passionis, & Doctrinæ Christi Myſteria, Fideique nostræ Sacramenta recolluntur.

LXV. MISSÆ QUADRAGESIMALES vocantur illæ, quæ in Quadragesima dicuntur. Ita appellantur in Concilio Vasionensi cap. 20. & Vafeni cap. 3.

LXVI. MISSA PASCHALIS dicitur illa, quæ in singulis/septimana Paschalis Feriis agitur, in Missali Gothico pag. 342. 343. & in Gallicano pag. 480.

LXVII. MISSA DE JEJUNIIS vocatur illa, quæ die Jejunii celebratur: de hac mentio habetur apud Martene tom. 4. *Anecdotorum* col. 706, ubi ex Statutis Ecclesiæ Cadur. eam colligit; in ipsis enim leguntur hæc verba -- *Missæ de Jejunii in hora nona poterunt celebrari, alia vero antea celebrentur* -- Hæc Missa Jejunii refertur etiam in Liturgia Gallicana, seu in Missali Gothico illustrato à Mabillon pag. 231. & seq.

LXVIII. MISSA LUNATICA est Missa, quæ celebratur die Lunæ: hæc memoratur in Statutis Confratriæ Clericorum apud Pontifaram.

LXIX. MISSA DOMINICALIS est illa, quæ Dominicis diebus cani solet: de qua fit mentio à Johanne Abricensi Episcopo lib. de *Eccles. Offic.* pag. 23, ita Du - Fresne supra. In Missali tamen Gothico à pag. 292. Missa Dominicalis dicitur illa, quæ cantabatur in Dominicis de Adventu; tunc enim Dominicæ Adventus septem numerabantur, quarum prima erat illa, quæ sequebatur Festum Sancti Martini. Qua ratione Doctissimus Mabillon asserit in suis notis, hujusmodi Missas assignatas fuisse pro Dominicis post Pentecosten, non de Adventu.

LXX. MISSÆ FERIALES dicuntur illæ, quæ singulis hebdomadæ Feriis capuntur; prisceis quippe temporibus, ait Beletus cap. 51. & ex eo Durandus lib. 4. *ration. cap. 1. n. 28. hæresibus pullulantibus, & Trinitatem impugnantibus, ex institutione Alcuini Magistri Caroli Magni, rogatu Bonifacii Archiepiscopi Moguntini statuentis; Prima Feria de Trinitate dicebatur, Secunda Feria de Sapientia, Tertia Feria de Spiritu Sancto, Quarta de Caritate, Quinta de Angelis, Sexta de Cruce, Septima de B. Virgine*: Cessante tamen tali causa nunc Missæ FERIALES non celebrantur juxta prædictam regulam; sed quando non dicitur Officium de aliquo Sancto, vel de aliqua Octava, sed de Feria corrente, tunc Missa Ferialis est, quæ correspondet Feriali Officio: unde si Feria non habet Missam propriam, sicut habent omnes FERIA Quadragesimæ, Vigiliarum &c. tunc pro Missa de Feria resumitur, & dicitur Missa de Dominica præcedenti; & hæc dicitur Missa Ferialis. Cur autem antiquitas in Septima Feria de B. M. V. Missa instituta fuerit, id initium habuisse tradit idem Beletus, & ex eo Durandus, à Miraculo, quod in quadam Ecclesia Constantinopolis singulis Sabbatis contingebat; de quo Du - Fresne fusè in suo Glossario prædicto. *Missæ FERIALES*. Alicubi verò, ut recenter adnotant ibidem Monachi Sancti Mauri, Missæ FERIALES sollemnes, & publicæ vocantur; FERIA enim interdum dicti sunt dies Festi.

LXXI. MISSA ANNUALIS vocatur illa, quæ singulis diebus per Annum dicitur: & talis denominatio colligitur ex statutis Cisterciensibus apud Martene tom. 4. *Anecd.* col. 1265, in quibus legitur -- *Nulli Abbatum liceat amodo, alicui persone quotidianam Missam concedere, vel annualem.*



LXXII. MISSA DE EXPECTATO habetur in Missali Ambrosiano; in quo inscribitur de *Expectato*, & est illa, quæ celebratur sollempniter in die, vigiliam Nativitatis Domini præcedente: cui Missæ in Missali Gothico, seu Gallicano, respondet præparatio ad Vesperam Natalis Domini, ut notat Mabillon *lib. 2. de Liturgia Gallicana cap. 4.* optimè corrigendo verbum *Præfatio*, sicuti habetur in prædicto Missali Gallicano, loco dicendi *Præparatio ad Vesperum Natalis Domini.*

LXXIII. MISSA DE SANCTIS dicuntur illæ, quæ in honorem Sanctorum agi solent, cum illorum memoria annua sollempnitate recolitur. Etiam de his videri potest Vicecomes de Missæ Ritibus *lib. 1. cap. 4. & seqq.* necnon Card. Bona *l. 1. cap. 15.* & Carolus Du-Fresne in suo *Glossario V. Missa pro Festo Sancti alicujus.*

LXXIV. MISSA PERFECTA est illa, in qua perfectum conficitur Sacrificium, nempe quando Sacerdos consecrat, & sumit Corpus, & Sanguinem Christi Domini.

LXXV. MISSA VERÒ IMPERFECTA dicitur illa, in qua Corpus, & Sanguis Christi non conficiuntur, ut est *Missæ Præsanctificationum*, & alix, de quibus infra.

LXXVI. MISSA CATECHUMENORUM est sub genere imperfectarum, cum sit illa pars Missæ, quæ constabat iis tantum Ritibus, qui peraguntur ab Introitu usque ad Offeritorium exclusivè; & dicebatur talis, quia absoluto sermone post Evangelium, dimittebantur Catechumeni ab Ecclesia.

In varias tamen Classes dividebantur Catechumeni: quidam enim ab infidelitate ad Fidem converti desiderantes, audiebant in Ecclesia verbum Dei; & isti dicebantur *Audientes*. Alii audito sermone procumbant in genua, & vocabantur *Substrati*, seu *genua stercientes*. Alii in Fide rectè instructi Baptismum petebant, & appellabantur *Competentes*, nempe simul petentes. Qui verò ex istis in albo Baptizandorum descripti

erant, nuncupabantur *Electi*. Verùm à Sanctis PP. duæ Classes tantùm, nempe Catechumenorum, & Competentium commemorantur; quia nomine Catechumeni, Audientes, & Substratos intelligunt; & Electos à Competentibus, ut plurimum non distinguunt. Et equidem S. Isidorus *lib. 2. de Divinis Officiis cap. 21.* ait: *competentes sunt, qui jam post Doctrinam Fidei, post Continentiam vitam, ad gratiam Christi percipiendam festinant, ideoque appellantur Competentes, id est gratiam Christi petentes; nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt; sic etiam Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus in Libro de Sacramenta Baptismi ad Carolum Magnum cap. 1.* utrorumque prædictorum Catechumenorum discrimen sic proponit: *Differt sanè inter Catechumenos, & Competentes: Catechumeni itaque sunt, qui primum de Gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Christo, audiunt Verbum Fidei, sed nondum appellantur Fideles, Competentes autem sunt, qui jam post Doctrinam Fidei, post Continentiam vitam, gratiam Christi percipere festinant. Ideoque appellantur Competentes, id est gratiam Christi petentes.* Carolus tamen Du-Fresne in suo *Glossario* tres eorum ordines distinguit, scilicet Catechumenorum; Genustercientium, & Competentium; de quarto nullam mentionem facit, nempe *Electorum*; sed hunc ultimum ordinem memorat Martene de *antiq. Eccl. Rit. part. 1. lib. 1. Art. 6.* qui ex prædicto numero detrahendos esse arbitrat, *Genustercientes*, quia specialem ordinem non constituebant, sed erant Catechumeni simpliciter dicti, qui in penam commissi alicujus peccati, verbum Dei genuflexi audire cogebantur. Itaque juxta eundem, tres tantum distinguendi sunt Catechumenorum gradus, scilicet *Audientium, Competentium, & Electorum*, quos supra explicavimus.

Catechumeni simpliciter dicti compellantur ab Ecclesia exire statim post dictum Evangelium, vel peractum sermonem; Competentes vero dimittebantur ab Ecclesia solum

immedi-



immediatè ante Consecrationem, cum pro ipsis aliquantum à F. delibus preces fundentur: unde ad orationem, quæ sit super Catechumenos, expectantes genua fledebant: quando autem pronuntiatum fuerat à Diacono: *Catechumeni procedite*; tunc & ipsi exibant. Hæc asserit Macrius in suo *Hieroglyphico v. Catechumenus*, asserendo in comprobationem sui assumpti Canonem V. Synodi Neocesariensis: in quo tamen non habetur sermo, nisi de penitentia danda Catechumenis pro delictis commissis in articulo Catechumenatus. Verùm de hac multiplici expulsionem Catechumenorum sermo habetur pariter in lib. 5. Constitut. Apostolicarum. Rursus de eadem mentionem faciunt Claudius de Vert tom. 1. cap. 1. pag. 21. necnon Card. Bona lib. 1. ubi ait: *Primi omnium, voce Diaconi post Evangelium, & sermonem admoniti, exibant infideles, & post illos Catechumeni primi generis, & penitentes secundæ: his egressis, monebat Diaconus Populum, quid pereret à Deo pro Catechumenis secundæ classis, qui Substrati dicebantur, quibus etiam indicabat, ut capita inclinarent orationibus Sacerdotum, quibus super illos recitatis, & ipsi exibant. Idem Ritus, his egressis, erga Energumenos servabatur; & his post preces dimissis, vocati aderant Competentes, & Electi; & postquam isti, oratione item super eos porrecta, recesserant, idem Diaconus &c.* De hac Missa Catechumenorum eruditissimè discurreit mox laudatus Card. Bona lib. 3. cap. 10. Emanuel à Schelestrate in suo celebri opere de *Disciplina Arcani* cap. 6. ubi tractat de tempore, quo cæpit, & desinit Disciplina sollempniter dimittendi Catechumenos ab Ecclesia: denique agunt etiam pereruditè de hac Missa Catechumenorum Antonius Bellotte in suis observationibus Ecclesiæ Laudunensis pag. 366. & alibi; suprâ laudatus Macrius in suo *Hieroglyphico v. Catechumenus*; Du-Fresne *v. Missa Catechumenorum*; Claudius de Vert *loc. cit.* & Jo. Grancolas in 2. part. *Antiqui Ecclesiæ Sacramentarii* pag. 1. & seqq. multa congerit,

quæ spectant ad antiquam Catechumenorum Disciplinam; in 1. verò part. pag. 571. agit etiam expressè de Missa Catechumenorum: & pag. 574. breviter tractat de Missa penitentium, & Energumenum, de qua nos distinctè non egimus, quia confunditur cum Missa Catechumenorum; Energumeni enim expellebantur ab Ecclesia post Evangelium, sicut Catechumeni. Tertii autem generis penitentes, qui Substrati dicebantur, etiam ipsi cum Energumenis, & Catechumenis dimittebantur; ad penitentes verò primi, & secundi generis nihil pertinebat Missa Catechumenorum: primi enim extra Ecclesiam commorabantur; secundi verò, licet intra fores Ecclesiæ in propylæo manerent, ibique lectionem Scripturarum audirent; quia tamen nullæ erant super eos manuum impositiones, nullæ orationes, idcirco ante Catechumenos expellebantur. Porro de variis penitentium gradibus v. Bona lib. 1. cap. 17. n. 3. & Bellotte in suis Observationibus pag. 69. & seqq.

LXXVII. MISSA SACRAMENTORUM est illa, quam Missæ Catechumenorum opponit Ivo Carnotensis episc. 219. in qua scilicet sacra Mysteria peraguntur, à quibus arcebantur Catechumeni, ut mox observavimus. Hoc nomine vocatur hæc Missa (de qua iterum infra sub nomine Missæ Fidelium) in vita Gregorii VII. PP. Seculo sexto Benedictino part. 2. pag. 455. Unde conigit, ut ipse Salvator horrenda eum visione deterreret, eum forè post inchoatam Missam Catechumenorum resideret . . . . inter hæc urgente hora surgendi ad lectionem Evangelii multi Fratres immerunt, ut excitaretur . . . . Itaque ventum est ad Missam Sacramentorum, & tunc necessariò expurgatus, celebrandi causa Mysterii.

LXXVIII. MISSA FIDELIUM est Missa perfecta, & eadem cum Missa Sacramentorum dicta, de qua suprâ; & ita dicebatur illa Liturgiæ pars, cui Fideles, & penitentes, qui *Consistentes* appellabantur, inter-



intererant, & complectebatur Offertorium, Præfationem, Hymnum Cherubicum, Canonem, Orationem Dominicam, Communionem, & Post-Communionem. De hac pariter fuscè, & eruditè sermonem instituit mox laudatus Card. Bona lib. 1. cap. 16. Utriusque Missæ, Catechumenorum videlicet, & Fidelium meminit, ut dixi supra, Ivo Carnotensis epist. 219. quarum priorem vocat Catechumenorum, alteram verò Sacramentorum, quia in hac sacra Mytheria peraguntur. Sermonem resumendo de Missis imperfectis, ultra Missam Catechumenorum, sub earum genere continentur pariter sequentes Missæ: Præsanctificatorum, Sicca, Nautica, Bifaciata, Trifaciata, &c.

LXXIX. MISSA PRÆSANCTIFICATORUM, quæ continetur sub genere imperfectarum, vocabatur illa, in qua Sacerdos communicabat, sed non consecravit, & cum careret consecratione, dicebatur Missa Præsanctificatorum, & Missa Imperfecta. Origo hujus Missæ repetenda est à Synodo Laodicæna, quam Baronius Annis 114. Nicænum Concilium præcessisse ostendit. Sancitum enim in dicta Synodo fuit *Can. 49. Non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominica tantum.* In Synodo verò Trullana *Can. 52.* sancitum est: *Quod in omnibus Sanctæ Quadragesime jejuniis diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat Sacrum Præsanctificatorum.* In Ecclesia Orientali adhuc servatur hic mos præscriptus in Trullano Concilio. Occidentalis autem Ecclesia non utitur Præsanctificatorum ministerio, nisi Feria 6. Parasceves. De Ritu, ac modo hujus Missæ Præsanctificatorum celebrandæ, latè, & eruditè discurret Leo Allatus in epist. ad Naudæum, quæ reperitur in calce operis sui eruditissimi *de Ecclesia Occidentalis, atque Orientalis perpetua consensione.* Consistit autem Ritus hujus Missæ Præsanctificatorum præsertim in hoc, quòd die Dominica præter illius diei Oblationem, alii quinque panes consecrantur, seu Hostiæ pro totidem sequenti-

bus Feriis, usque ad Sabbatum. Tunc singulis diebus sub Vesperam conveniunt Sacerdotes in Ecclesia, & in ipsa, vespertinarum precum Officio, panis particulam in Dominica præcedenti consecratam, sumunt, præmissis quibusdam Psalmis, Lectionibus, & Orationibus, quas refert doctissimus P. Goar in suo Græcorum Eucharologio. Mox laudatus Allatus alio modo describit hunc Ritus, dicendo -- *Dominico die quilibet Sacerdos ventura hebdomada dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat: inde tot particulas panis in Oblatione absindit, quot Missas dicurus est; eas cum particula eo die sumenda consecrat, & consecratas, Sanguineque Dominico inunctas, uti moris est, conservat in Pyxide; ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit, & disco reponit, & in Altare majus advectam consumit --* hæc Allatus; sed Martene *part. 1. lib. 1. de Antiquis Ecclesie Ritibus Cap. 3. num. 15.* optimè adnotat, quòd ea, quæ dicit Allatus de particulis consecratis in Sacra Pyxide conservandis, pretioso Sanguine intingendis, non observantur in omni Ecclesia Orientali, maximè verò Constantinopoli, ubi particule sicæ in Pyxide reconduntur. De prædicta Missa Præsanctificatorum latè, & eruditè juxta morem suum differit Card. Bona lib. 1. cap. 15. & Grancolas *Tom. 2. antiquarum Liturgiarum, seu 1. part. antiqui Sacramentarii pag. 427.* Claudius de Vert *Tom. 1. pag. 80. seq.*

LXXX. MISSA SICCA vocatur illa, quæ caret non solum consecratione, sed etiam sumptione Corporis Christi Domini: unde non est nisi larva, & simulatio quædam veræ Missæ; & idcirco optimè appellatur *Missæ Sicca, & Jejuna*, loco Missæ veræ, & perfectæ, à privata quorundam devotione introducta in gratiam infirmorum, eorumque, qui domo exire, & Missæ publicæ interesse nequibant, Ordo hujus Missæ describitur à Pru-



à Prudentio Trecentia Episcopo, qui floruit ante Annos octingentos, in suo MS. Pontificali post Missam inscriptam: *Pro infirmo, qui proximus est morti.* Describit etiam ordinem hujus Missæ Guillelmus Durandus in *Ration. Divinorum Officiorum lib. 4. cap. 1. n. 23.* necnon liber Sacerdotalis *cap. 34.* à Leone X. approbatus, & Anno 1523. sub Hadriano VI. Venetiis impressus, & iterum Anno 1560. Venetiis recusus apud Johannem Variscum, & socios. Denique describit etiam ordinem hujus Missæ Johannes Burchardus in suo libro, cui titulus: *Ordo Missæ, &c.* Romæ impresso apud Antonium Pladum Impressorem Cameralem, Anno 1559. *Rubr. 16. pag. 40. à tergo, & seq.* Ejusmodi Missa maxime locum habuit in Regno Galliarum, ut tradit Guido de Monte Rocherii in *Enchiridion Sacerdotum tract. 4. cap. 7.* Quod spectat ad hujus Missæ antiquitatem, de ea fit mentio juxta aliquorum sententiam apud Socratem *Historia Ecclesiastica lib. 5. cap. 22. & Concilium Carthaginense 3. Can. 29.* eam videtur innuere, decernens: *Ut Sacramentum Altaris non nisi à jejunis hominibus celebretur; Defunctorum vero commendatio solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Caterum de Ritibus, & antiquitate hujus Missæ præter Auctores supra allegatos, disserit etiam Bocquillot *lib. 2. cap. 7.* dicendo cum Martene, quod Cartusenses adhuc frequentant in Cellis sæpius Missas Siccas, quarum unam de Beata Maria videre est in eorum Breviario edito Anno 1587. ut refert laudatus Martene *lib. 1. cap. 3. art. 1. num. 18.* Hanc Missam tamen Siccam in Concilio Parisiensi, Anno 1212. *cap. 12.* prohibitam nonnulli censent his verbis: *De Sacerdotibus, qui Missarum multitudine onerati conductitios alios Sacerdotes habent, vel Siccas Missas faciunt, . . . propter quæ ipsos oportet conductitios habere Sacerdotes, vel alia eis vendere facienda, ut à prædictis se exonerent, Siccas Missas faciunt pro Defunctis, sub eadem distributione prohibentur, &c.* Mihi tamen videntur. *Rubr. Miss.*

detur prædictum Concilium non absolute prohibere hanc Missam, sed solum declarare, hujus Missæ recitatione non satisfieri oneribus celebrandi Missas. Ante prædictum Concilium vetantur Presbyteri ejusmodi Missas celebrare absque Communicatione in *Capitul. Caroli XI. lib. 1. cap. 6.* ex qua prohibitione colligitur, Missam Siccam non nuperam, sed antiquam fuisse. Hæc referuntur in *Glossario Cangiano v. Missa Sicca.* De Canone prædicti Concilii Parisiensis mentionem etiam facit Martene loca supra cit. *num. 19.* Improbant etiam hanc Missam Siccam Guillelmus Estius *Orat. 13. Theologica,* & Laurentius Laudmeterus *lib. 1. de veteri Clerico, & Monacho cap. 84.* Sylvius in *3. part. quest. 83. art. 2. quest. 2.* Mercerus in *tract. de Sacrific. & alii.* Eam tamen econtra laudat, & commendat Genebrardus in *lib. de Liturgia Apostolica Gallicæ conscripto cap. 30.* qui etiam testatur, se An. 1587. Taurini in Exequiis viri cujusdam nobilis, qui vespere sepeliebatur, hujusmodi Missæ cum Sacris Ministris sollempniter celebratæ interfuisse: cui profecto dissentiri non auisim, cum de tali Missa Sicca habeatur Ordo descriptus in laudato libro Sacerdotali, in quo exhibetur totus Ordo celebrandi Missam Johannis Burchardi Doctoris Argent. & Cappellæ Pontificiæ Ceremoniarum Magistri: & cum talis Missa ibi constet, quod non solum secretè, sed etiam publicè fuerit recitata, videtur non dubitandum, quod tunc fuerit permissa, & nondum prohibita. Quarta etiam *part. 1. tit. 14. dub. 4.* tenet, per se loquendo, non videri illicitum Missam Siccam recitari coram infirmo, vel alio diu impedito ab auditione Sacri, ob auctoritates supra allegatas: sed quia hoc tempore in deuetudinem abiit hæc Ceremonia, censet, recitari non debere absque licentia Episcopi, ad quem pertinet cura legitima usus Sacrorum Rituum. Idem tamen Auctor procedit ad asserendum, non videri licitum, nec permittendum, recitari Missam Siccam in Ec-



clesiis, vel Oratoriis destinatis ad Sacrum faciendum, & ad verum Sacrificium offerendum, ne rudioribus detur occasio erroris, & confundendi Missam veram cum apparenti; & ne similiter detur occasio iniquis Sacerdotibus, celebrandi loco veræ Missæ, Missam cum fictione, & absque Consecratione, quod est grave sacrilegium: quæ absurda, (inquit ipse) cessant in navi, ubi scitur, non posse dici veram Missam. Hæc autem Missa Sicca in navi celebrata, vocatur

LXXXI. MISSA NAVALIS, SEU NAUTICA, & dicitur talis, quia est Missa Sicca aliquando à Sacerdotibus recitata in loco fluctuante, & vacillante, ut in mari, & fluminibus, in quibus per continuam navium vacillationem adest periculum effusionis pretiosi Sanguinis è Calice; & idcirco loco Missæ Perfectæ, & integræ, ad satisfaciendum devotioni navigantium recitari solebat hæc Missa Sicca, cujus ordinem pariter describit Quarti loc. supracit. Hanc Missam Sanctus Ludovicus Galliarum Rex quotidie celebrare faciebat, quando à partibus transmarinis in Galliam redibat. De hac Missa Nautica, seu Navali, & ejusdem Ritibus sermo habetur, & ordo describitur in laudato libro Sacerdotali à Leone X. approbato, in quo pariter continetur ordo Missæ Siccæ recitandæ coram infirmo. Ad prædictam Missam Navalem quod attinet, videri possunt ea, quæ tradit Card. Bona lib. 1. *Rerum Liturgicarum cap. 15. num. 6. & 7.* & quæ adnotata sunt in Glossario Cangiano recentissimè edito cum novis eruditissimis additionibus ad Joinvillam pag. 38. 39. Caterùm Missas Perfectas etiam in ipsis navibus celebratas fuisse, tradunt Scriptores, inter quos Johannes Monachus in Vita S. Wulfrani num. 4. & Eusebius Priolus in Oratione funebri Petri Delphini apud Martene Tom. 3. *ampliss. Collecti. col. 1224.* Hujusmodi tamen usus celebrandi Perfectas Missas in navi, plenè non probatur per ea, quæ tradit Matthæus Paris, An-

no 1247. ubi de Card. Legato Apostolico scribit: *Cùm navim ascensus esset . . . . . jussit euidam Fratri de Ordine Predicatorum ipsa Missam celebrare, quod & factum est, non sine multorum, qui hoc non præviderant, admiratione.* Sed de prædictis Missis Perfectis in navibus minimè celebrandis sermonem fusiozem habebimus cum Gavanto hac part. 1. tit. 20. lit. f.

LXXXII. MISSA BIFACIATA, ET TRIFACIATA, &c. sunt pariter ex genere illarum, quæ omnino imperfectæ, & æquivocæ tantùm Missæ dici possunt. Pro harum intelligentia sciendum est, quod Sacerdotes olim à variis Missis celebrandis se exonerabant, plures scilicet sub uno Canone Missas peragendo. Et ita in quadam compositione inter Priorem de Ghisfortio, & Romanum Presbyterum Sancti Gervasii de Ghisfortio, Anno 1181. facta, prædictus Prior de consensu Abbatis majoris Monasterii, approbante Mauritio Parisiensi Episcopo, conventionis Arbitro, & Judice, confirmante Rotrodo Rothomagensi Archiepiscopo, licentiam celebrandi duas Missas sub uno Canone concessit Sacerdoti; quæ quidem compositio (ut refert Martene loc. supracit. n. XX.) conservatur in Archivo majoris Monasterii. Ita etiam Eremita quidam Sanctitate conspicuus in Diocesi Belvacensi, Anno 1191. quatuor Missas sub uno Canone, divinitus jussus, celebrasse dicitur apud Thomam Cantipratensem lib. 1. de *Actibus cap. 3. num. 9.* De hujusmodi Missis Georgius Cassander in præfatione ad Ordinem Romanum hæc habet: *ante pauca quoque Secula in Gallis multum usitata fuerunt Missæ vulgò dictæ Bifaciata, Trifaciata, Quadrifaciata, videlicet cum plures Missæ diversi argumenti usque ad Offertorium sæpius iterata, tandem uno Canone concluderentur: adversus quas stultosè scribit Petrus Cantor in verbo Abb eviato. Eas omnino obsolescentis existimo.* Hucusque citatus Cassander Originem hujus abusus adferbit, & refert mox laudatus Petrus Cantor Sacerdotum avaritiam,



ritiæ, qui eùm scirent vetitum esse plures Missas in die celebrare, has plurimum Missarum mutilationes invenerunt, ut devotioni plurimum petentium Missæ Oblationem, hoc modo satisfacerent sub unica tantum Consecratione, & Canone, repetendo alias Missæ preces, ut plura pro uno Sacrificio stipendia hac fraude lucrarentur. Ejusmodi Missas barbaro vocabulo Bifaciatas, Trifaciatas, &c. Petrus Cantor appellavit, quia veluti duplicem, vel triplicem faciem habebant, easque, ceu monstruosas, & contrarias Divinæ Institutioni, & Ecclesiæ consuetudini, jure improbat, & detestatur. Hujusmodi autem Missæ in superius citato Concilio Parisiensi Anni 1212. quod in MS. Codice reperisse se fatetur Martene *loc. supracit. num. 19.* probabiliter reprobata fuerunt; & forsitan non approbando supra expositam compositionem, quam Martene refert *loc. cit.*

Hoc addendum superest circa ejusmodi Missas celebrandi rationem: quod plures aliquando uno tantum concludebantur Canone; sed interdum una etiam illarum duobus Canonibus peragebatur, reservata usque ad ultimum Canonem Communione. Hunc abusum acriter perstrinxit Synodus Toletana XII. *Can. 5.* his verbis: *Relatum est nobis, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis Sanctæ gratiam percipere, quot Sacrificia in una die videntur offerre, sed in uno die, si plurima per se Deo offerant Sacrificia, in omnibus se Oblationibus à Communione suspendunt, & in sola tantum extremi Sacrificii Oblatione Communionis Sanctæ gratiam sumunt: nam quale est Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans participasse dignoscitur? Ergo hoc modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque Sacrificans Corpus, & Sanguinem Jesu Christi in Altario immolat, toties perceptioni Corporis, & Sanguinis Christi, se participem prabeat.* Celebrationem etiam Sacrificii, omiſsa Communione, apertè damnavit Canon nonus Apostolorum. Utraque autem hæc Missa Seculo 13, reprobata fuit ab Augerio Epi-

scopo Conseran. nam in suis MSS. statutis, Anno 1280. exaratis, hæc ait: *Nullus plures Missas sub uno Canone, vel cum uno Sacrificio, vel unam cum duobus Canonibus, vel Sacrificiis celebrare presumat; quavis sub uno Canone possint plures Hostia consecrari. Reprobandi ergo sunt, qui incepta Missa de die, vel alia, procedentes in ea usque ad Offertorium, & tunc incipiunt aliam sortè de Spiritu Sancto.* De prædictis Missis Bifaciatas, & Trifaciatas agunt Card. Bona *lib. 1. cap. 15. §. 7.* Bocquillot *lib. 2. cap. 7.* & Du-Fresne in suo Glossario.

LXXXIII. MISSA DE LUCE eadem ac Missa in Aurora: vide infra Missam de Galli Cantu.

LXXXIV. MISSA DE AGUINALDO: de ea Concilium Mexicanum, Anno 1585. inter Hispan. *tom. 4. pag. 356.* ait: *Missæ verò, quas Hispanicè de Aguinaldo vocant, antequàm dies illuxerit, ut celebrentur, &c.* Sic autem dicta hæc Missa videtur, quòd summo mane, quasi diei primitiæ, Deo offerretur.

LXXXV. MISSA MATUTINA, SEU MATUTINALIS vocabatur illa, quæ celebrabatur sollempniter, vel post Primam æstate; vel hyeme post Tertiam: ideò autem dicebatur *Matutinalis*, eò quòd mane decantaretur, ut passim testantur Monasteriorum Benedictinorum tum editæ, tum manuscriptæ consuetudines, statuta Landfranci, & Concordia Dunstani, ad differentiam alterius Missæ Sollemnis, quam Conventualem appellabant, & quæ meridie celebrabatur. Hujus rei luculentum testimonium exhibet Charta Sancti Angilberti pro Monasterio Centulensi in ejusdem Monasterii Chronico *lib. 2. cap. 11.* ab Hariulpho relata, & habetur *tom. 4. Spicil. Dacher. pag. 470.* ubi hæc inter alia leguntur -- Illud etiam observari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque Sacrarum Missarum decantatione, videlicet, ut si non plus, vel XXX. à Fratibus diverſorum Chorum



per diversa Altaria Missæ quotidiè agantur, exceptis illis duabus de Conventu, quæ mane, & meridie sollemnissimè celebrantur -- In Bobiensi Monasterio Seculo X. hæc Missa dicebatur post Matutinos, ut colligitur ex libro Miraculorum S. Columbanii Abbatis cap. 7. Seculo 2. Benedictino pag. 44. Ejusdem Missæ mentionem facit Venerabilis Beda in Vita S. Benedicti Biscopii num. 17. lib. 2. & habetur in Seculo 2. Benedictino, ubi refert, Ceolfridam Abbatem, qui Anno 716. obiit -- primo mane Missam in Ecclesia Beate Dei Genitricis . . . quinta Feria communicantibus, qui aderant -- cantasse. Hæc Missa in quamplurimis Monasteriis quotidiè cantabatur, in aliis verò nunquam; & idcirco nulla Missæ Matutinalis mentio fit in Rituali, sive Ordinario Cassinensium, tempore Oderisii Abbatis descripto. Cistercienses, ut habetur in lib. usum Cisterciensium cap. 60. Dominicis tantum, certisque Sollemnitatibus duas in Conventu Missas celebrabant, & idem nonnullis diebus faciebant quoque Bursfeldenses, ut habetur in eorum Ordinario cap. 47. Cluniacenses verò, & alii communiter Nigri Monachi quotidiè dicebatur autem hæc Missa vel pro Monasterii Benefactoribus, vel pro necessitatibus, personisque publicis: unde S. Angilbertus in sua pro Centulensibus Monachis Charta jubet, ut in duabus de Conventu Missis, quæ mane, & meridie sollemnissimè celebrantur -- Quotidiè in memoria Sanctissimi Papa Hadriani, & gloriosi Domini mei Augusti Caroli, conjugis, & prolis ejus teneatur. Prædicta Charta habetur Spicil. Dacher. tom. 4. pag. 470. & Sanctus Dunstanus in Concordia Regulari Monachorum, Sanctimonialiumque Angliæ præscribit cap. 1. ut -- Eadem Matutinalis Missa pro Rege, vel quacumque necessitate imminente celebretur -- In libro verò Miraculorum S. Bercharii Abbatis num. 13, qui liber habetur in Seculo 2. Benedictino, legitur, quod Adso Dervensis Monasterii Abbas jussit celebrari Missam Matutinalem pro

Heriberto Comite gravi morbo laborante. De hujusmodi Missarum Matutinalium origine, usu, atque Ritibus videndi sunt Martene, ex quo supradicta collegimus, tom. 1. de Monachorum Ritibus lib. 2. cap. 5. Vicecomes de antiquis Missæ Ritibus lib. 3. cap. 27. necnon Cardinalis Bona lib. 1. cap. 22.

LXXXVI. MISSA CARDINALIS. De hac Missa hoc loco agimus, quia erat Missa Matutinalis celebrari solita in Ara, quæ Cardinalis appellabatur. De hac Missa fit mentio in Seculo 3. Benedictino part. 1. pag. 132. ubi referuntur Miracula S. Bertini, & in prædicta pagina inseruntur hæc verba: Nam post Sanctum Paschalis Resurrectionis diem, transcursum duodecim diebus, die Dominico, hora, qua Cardinalis Missæ conventus publicè agebatur, &c. Quæ verba (ut optimè ponderant Monachi Congregationis S. Mauri in suis Additionibus ad Glossarium Cangianum tom. 4. col. 817. sub dicto verbo Missa Cardinalis) accipienda videntur de Publica, seu Sollemniori Missa: quæ quidem est etiam Caroli Du-Fresne Auctoris dicti Glossarii sententia in voce Cardinalis, ubi Altare Cardinale præcipuum interpretatur: haud gratis certè, cum ibidem Altare Capitaneum, & apud Bovonem Ara Principalis idem Altare vocetur. Censet tamen Jo. Mabillon (relatus ab iisdem Monachis) Seculo supracit. pag. 146. Altare Cardinale idem esse, quod primum Altare in Apside, seu in fronte Basilicæ ponè majorem Aram locatum (quæ Ara ita locatæ in Apside Basilicæ ponè majorem Aram adhuc reperiuntur in quatuor Romanis Patriarchalibus Basilicis) in quo Missa Matutinalis celebrari solebat: id firmat cit. Mabillonius, necnon Martene loc. suprà cit. num. 3.

LXXXVII. MISSA MINOR eadem pariter quæ Matutinalis, & refertur à prædictis Monachis S. Mauri loc. supracit. & eadem col. 821. de qua etiam fit mentio in Seculo 2. Benedictino pag. 44. ubi sermo habetur de Miraculis S. Columbanii, & sequentia legun-



guntur -- Finitis verd Matutinis, & ad minorem Missam venientibus ipse advenit: Diaconus verd in ambrosium ascendens Evangelium pronuncians, &c. Martene quoque loc. supracit. vocat Missam Matutinalem Sollemnem Minorem, quia cantabatur sine Ministris, ad differentiam alterius Missae Conventualis sub meridie decantatae, quam appellat Missam Sollemnem Majorem.

LXXXVIII. MISSA PEREGRINORUM erat pariter Missa Matutinalis, ita probabiliter desinominata, quia pro commoditate pauperum, & peregrinorum celebrabatur, & oblata eis tribuebantur. De hac Missa Gatid. *Disciplina Fars. cap. 2.* mentionem facit dicendo: Post Capiulum aliquantulum interval- lum factum, sonant signum ad Matutinalem Missam pro adunatione pauperum, & Sacerdos, qui alia hebdomada Majorem Missam cantaverat, Missam Peregrinorum dicit, & oblata tribuat. Hanc etiam Missam referunt laudati Monachi loc. supracit.

LXXXIX. MISSA VESPERTINA, seu Serotina, quae etiam Quadragesimalis dicta est, erat illa, quae sub Vesperam celebrabatur, videlicet circa quintam, aut sextam horam post meridiem, ut observat Johannes Prævotius in suis notis ad librum de Officiis Ecclesiasticis Johannis Abrincensis Episcopi n. 273. De hujusmodi Missis erudite juxta morem suum disserit Vicecomes loc. supracit. *cap. 8 & seqq.* in quibus diligenter inquirat: unde Missarum Vespertinarum usus originem duxerit; quibus diebus praedicta Missa dicerentur; & utrum post sumptum cibum, vel à jejuniis celebrarentur. Casalius pariter de veteribus Christianorum Ritibus *cap. 9. pag. mibi 96. & seqq.* agit de hac Missa Vespertina. Macrius in suo *Hierolixico v. Missa sicca pag. mibi 367.* censet Missam Vespertinam, seu Vespertinalem non fuisse veram Missam, sed tantum Siccam; quia in ea, ait ipse, à Sacerdotibus ante solutionem jejunii, consecrata Hostia Dominicae praecedentis sumebatur, adeoque con-

veniebat cum Missa Sicca, quia non consecrabatur Hostia; & ab eadem Sicca diseminabatur, quia in Vespertinali sumebatur Hostia consecrata; in Missa vero Sicca nulla habetur Hostiae Consecratio, neque Hostiae consecratae ulla habetur sumptio. Sed melius diceretur, positò quòd in Missa Vespertina solum sumatur Hostia antecesserit consecrata, ejusmodi Missas Vespertinales convenire omnino cum Missis Praesantificationum. Praeterire non debeo, quòd praedictae Missae tam Matutinae, quam Vespertinae censebantur Privatae, non verò Publicae à Concilio Vasen. celebrato Anno 329. propterea quòd nulla Lex praecipiebat, quòd iis Missis Fideles interesse deberent. De Missis quoque Matutinis, & Vespertinis reperiuntur Sanctiones in Concil. Agathensi c. 30. & in Concil. Aurelianensi III. *cap. 28.* Rursus de Missis Vespertinis mentio facta est etiam in Concilio Matisconensi *Can. 9.* ubi dicitur, has Missas ordine Quadragesimali celebrari; quia nimirum in Quadragesima Feriis ad vesperam differebantur; Concilium verò Bracarense II. *Can. 9.* iisdem Missis Vespertinis assignat horam nonam, vel decimam.

XC. MISSA NOCTURNA erat illa, quae noctis tempore celebrabatur. Plures olim fuisse Missas Nocturnas, antiqua Monumenta declarant; at ex his ea sola permanit, quae in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Reliquae Missae Nocturnae prohibitae sunt, & in desuetudinem omnino abierunt, quarum praecipua erat Missa Sabbati Sancti, pertinens ad diei sequentis noctem, in qua Christum resurrexisse creditur. Johannes Prævotius superius allegatus n. 272. asserit in Sabbatis quatuor Temporum celebratas fuisse Missas Nocturnas: ait enim, quòd ob Officii prolixitatem, & Sacram Ordinationem, Missa saepe usque ad noctem Dominicae protendebatur. De his Missis Nocturnis videri potest Cardinalis Bona *lib. 1. cap. 21. §. 4.*



XCI. MISSA DE GALLI CANTU est eadem, quæ de Aurora hodie dicitur: de hac sermonem habet Gaufridus Voliensis in Chronico part. 1. cap. 27. tom. 2. Bibliotheca Labbeana, ubi habentur hæc verba -- *Missam de Galli Cantu Dominica Nativitatis in Ecclesia puellarum Sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Regulam, decantavit* (Urbanus II. PP.) *Missam de Luce in Basilica Regali apud Sanctum Martialem celebravit: inde triumphaliter coronatus ad Sedem Apostolicam Episcopalem.* Hinc Jo. Mabillon *Missam de Galli Cantu tom. 5. Annal. Benedictinorum pag. 361.* interpretatus est esse primam Dominicæ Nativ. quæ celebratur in nocte, & *Missam de Luce* opinatus est eam, quæ dicitur in Aurora.

XCII. MISSA DIEI erat illa, quæ dicebatur post Missam Matutinalem, orto jam die, de qua mentionem facit Johannes Episcopus Abrincensis *de Officiis Ecclesiasticis pag. 36.* allegatus à Carolo Du-Fresne in suo Glossario v. *Missæ.*

XCIII. MISSA NOVA: ita denominatur illa, quæ à novo Sacerdote prima celebratur, in Concilio Vallisoletano, Anno 1322. inter Hispan. tom. 3. pag. 558. ubi habentur hæc verba -- *Missam novam post consecrationem infra sex menses solemniter celebrent, nisi legitime fuerint impediti.* Et Concilium Tarraconense, Anno 1591. ibidem tom. 4. pag. 564. ait -- *Atque etiam quæ in primo Sacerdotis cujuslibet Sacrificio, quas novas Missas vocant, &c.*

XCIV. MISSA NOVELLA eadem, ac prædicta Missa Nova, quæ sic *Novella* dicitur in epist. 125. Petri Delphini apud Martene tom. 3. ampliss. collect. col. 1071. *D. Benedictus Dominica proxima Missam Novellam celebraturus est, neque magno (ut moris est) apparatu.*

XCV. MISSA SCRUTINII erat illa, quæ in Feria IV. hebdomadis quartæ Quadragesimalis celebrabatur, & quæ ad Catechumenos directa intelligebatur; nam incipiendo ab Introitu de illis est sermo, in illis verbis

(cum sanctificatus fuero in vobis, effundam super vos aquam mundam) in eo pariter sensu legitur epistola, ac clarior Evangelium, in quo habetur cæci nati miraculum, in Nativitate Siloe visum recipientis; quod Symbolum reverè Catechumeni est, qui spirituale lumen in Sacro Baptismatis fonte recipit, ut in Homilia ejusdem diei explicat Divus Augustinus. De hac Missa mentionem facit Macrius in suo Hierolexico v. *S. rutinium* ubi etiam advertit, quòd in Ordine Romano prædicta Feria antonomasticè vocabatur, *Feria Scrutinii.* Scrutinia in Ecclesia Romana septem in Quadragesima celebrata fuisse consentiunt omnes Auctores, qui de Ritus Ecclesiasticis scripserunt; quæ quidem Scrutinia non erant nisi examina, & instructiones Catechumenorum, qui baptizari in proximo debebant. Primum ex dictis Scrutiniis fiebat in Feria IV. & secundum in Sabbato tertie Quadragesimalis hebdomadæ. Tertium verò, quartumque Scrutinium fiebat in iisdem diebus quartæ hebdomadæ sequentis: & quia tertium sollemnius erat cæteris, testante Amalario lib. 1. de *Ecl. Officiis cap. 8. de secunda varietate quarta hebdomadæ Quadragesima*, ubi loquendo de prædicta quarta Feria ait: *Eadem die agitur Scrutinium tertium, quod maximum est inter septem Scrutinia;* Idcirco illa Feria appellabatur, ut diximus, antonomasticè, *Feria Scrutinii.* Quintum autem, & sextum Scrutinium convocabatur in iisdem diebus quartæ, & quintæ Quadragesimalis hebdomadæ. Ultimum tandem erat in quarta Feria sexta hebdomadæ. Verùm juxta sententiam Vicecomitis lib. 3. de *Baptism. cap. 23.* quartum, quintum, & sextum Scrutinium nullum tempus certum, sed vario Episcopi arbitratu habuerunt. Juxta autem sententiam Edmundi Martene lib. 1. de *Ecclesia Ritibus art. 11. num. 3.* quartum, & quintum Scrutinium habebantur hebdomada quinta; sextum verò, & septimum hebdomada sexta. Sed in epistola Jesse Ambianensis



nenſis Epifcopi ab eodem Martene citata, ſextum, & ſeptimum Scrutinium in aliis diebus fiebant. Denique juxta ſententiam Card. Bona ſeptimum Scrutinium habebatur in Vig. Paſchæ, & pro prædictis examinibus in qualibet præcedenti Dominica, vel alio die invitabatur univerſus Fidelium cœtus, & in Dominica Palmarum, ut mox dicemus, tradebatur Symbolum Competentibus; à quibus repoſcebatur reddendum, vel in Feria quinta majoris hebdomadæ, quæ vocatur in Cœna Domini, ut in Canone Laodicensi Concilii continetur; vel in Sabbato Sancto, juxta Ordinem Romanum, ut teſtatur Amalarius ſupracit. cap. 12. De hujusmodi Scrutiniis, quæ præmittebantur Baptiſino conferendo Catechumenis Competentibus, præter citatos Auctores, longum, & eruditum ſermonem inſtituit Menardus in ſuis commendatiſſimis notis, & obſervationibus in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 118. ubi affert Libellum Theodulphi de Ordine Baptiſmi, & deinde pag. 136. & ſeqq. in quibus ſuis notis, & obſervationibus textam præfati Auctoris illuſtrat.

Prædicta tamen Scrutinia in Sola Romana Eccleſia, aut in Eccleſiis, quæ Ritum Romanum ſequuntur, celebrata fuiſſe contendit Vicecomes in lib. 3. de Baptiſmi Ritibus cap. 21. Sed Martene loc. ſuperius cit. art. 11. num. 2. obſervat, quod ſua ipſius Eccleſiæ oblitus fuiſſe videtur Doctiſſimus vir; nam Mediolanenſis, uti & Africana, Hispanica, Gallicana, atque etiam Græca, quæ proprium, non Romanum Ordinem obſervabant, ſua æquè habuere Scrutinia. De Mediolanenſi prædictus Martene locupletiſſimum dicit ſe perhibere teſtem Divum Ambroſium in lib. de Myſteriis cap. 1. ubi ſic loquitur: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inbalatum vobis munere Sacramentorum carpiſſe, quod vobis ſignificavimus, cum apertionis celebrantes Myſterium, diceremus, Ephrata, quod eſt, adſpirare, ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cogno-*

*ſciet, quid reſponderet, meminiffe deberet: quibus verbis ſollemniſſimum omnium Scrutinium, quod dicitur in aperitione aurium, deſignat. De Africana, & de Hispanica, teſtes pariter locupletes producit laud. Martene. Ad Gallicanam verò Eccleſiam quod ſpectat, nullum dubitandi locum permittit vetus Miſſale Gallicanum à V. Cardinali Thomafio editum, cujus cap. 9. inſcribitur: *Ad faciendum Scrutinium: & hæc ſunt ſatis de hac Miſſa Scrutini. Qui plura ſcire cuperet de hac materia, adire poterit ſuperius allegatos Sapientiſſimos Auctores.**

XCVI. MIſſA IN TRADITIONE SYMBOLI erat illa, quæ adhuc habetur in Miſſali Gothico Gallicano pag. 318. & eſt ſeptima Quadrageſimæ. Ita verò inſcribitur, quia illo die, nempe in Dominica Palmarum, tradebatur Symbolum Competentibus. Hi enim dicta Dominica ſe conferebant in Eccleſiam humiliata cervice, ſubtrato cilicio, nudis pedibus, inſufflabantur, exorcizabantur, Satanæ renunciabant, ejuſque pompis, & operibus, & Symbolum eis tradebatur, nimirum exponebatur; jejunia eis indicebantur, quæ uſque ad Baptiſmi diem ſervare deberent cum abſtinentia ab uxoribus; quæ omnia plana ſunt à S. Auguſtino lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. & lib. de Fid. & Operibus cap. 6. Et Sanctus Ambroſius lib. 5. Epiſt. 33. ait: *Sequenti die (erat autem Dominica) poſt Lectiones, atque Tractatum, dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſteriis tradebam Baſilica.*

Divo Auguſtino ſubſcribit S. Iſidorus lib. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 27. de die Palmarum, ubi ait: *Hoc die Symbolum Competentibus traditur propter conſinem Dominica Paſchæ Sollemnitatem; ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam ſeſtinant, Fidem, quam conſecraverunt, agnoſcant. Hoc idem colligitur ex Concilio Agathenſi apud Gratianum diſtinct. 4. de Conſecrat. Can. 56. in quo ſancitur: Symbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis una die, id eſt ante*



ante octo dies Dominica Resurrectionis publicè in Ecclesia Competentibus prædicari.

Asseverat Martene *loc. superius cit. num. XI.* eam fuisse consuetudinem Gallicanæ, Hispanicæ, & Mediolanensis Ecclesiæ, tradere nempe Symbolum prædicta Dominica in Ramis Palmarum; sed *num. XII.* idem ait, longè alium fuisse Ecclesiæ Romanæ morem, idemque colligit ex Ordine Romano, traditum scilicet fuisse Symbolum, & etiam Orationem Dominicam, Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ, in sollempnissimo omnium Scrutinio in aperitione aurium dicto. Alius etiam extitit usus Africanæ Ecclesiæ, in qua Symbolum tribus ante Pascha hebdomadis, scilicet Sabbato ante Dominicam quartam Quadragesimæ, tradebatur, reddendum octo post diebus, scilicet Sabbato ante Dominicam quintam, in qua tradebatur Oratio Dominica; & ipsa octavo post die reddenda, nimirum Sabbato ante Dominicam Palmarum; ac demum Sabbato Sancto redditum fuisse secundò Symbolum propter eos, qui prima vice illad memoriæ minùs tenaciter retinuerant. Ita idem Martene *loc. cit. num. 13.* qui ulterius procedit *num. XIV.* ad asserendum, aliam fuisse Ecclesiæ Bethlehemitanæ, & aliam Ecclesiæ Constantinopolitanæ consuetudinem, quoad dies tradendi Symbolum.

Modus autem, qui servabatur in traditione Symboli, accuratè describitur à Martene ibidem *n. 16.* Rursus optimè etiam describitur in Ordine Romano, qui habetur in Collectione Hittorp. in denunciatione Scrutinii ad Electos, & refertur à Card. Bona *lib. 1. cap. 16. §. 2.* his verbis: *Pramissi exorcismi, lectisque initiis quatuor Evangeliorum, Symbolum ipsis recitabatur, primum Græcè, deinde Latine, addi à Præfatione Parænetica, & subjuncta Appendice in ejusdem Symboli commendationem. Orationem quoque Dominicam, nefas erit Catechumenis discere, vel recitare; sed eam audiebant post Symboli traditionem, adje-*

*ta singulis petitionibus, brevi, & solida expositione, quam perhibet mox laudatus Card. Bona lib. 2. cap. 15. & habetur etiam talis expositio in Codice Gelasiano à Cardinali Thomasio edito pag. 18. & seqq. In Missali autem Gallicano veteri, Romæ edito, curante eodem Cardinali Thomasio, & iterum recuso Parisiis, opera, & studio Johannis Mabillon *num. XI.* datur expositio, vel traditio Symboli, & *num. XII.* datur expositio Evangeliorum in aurium aperitione ad electos.*

Ad dies verò reddendi Symbolum quod attinet, certum est in Ecclesia Romana assignatum fuisse Sabbatum Sanctum, ut liquido constat ex S. Gregorii Papæ *lib. Sacramentorum à Pamelio edito*, in quo prædicta die legitur Oratio *Ad redd. nter* cum hac Rubrica: *Dicit Dominus Papa post: Pistereis? ΠΙΣΤΕΥΕΙΣ*, id est *credis?* qua interrogatione Symbolum reddentibus facta incipiebant. In Ecclesia autem Africanæ octavo (ut superius innuimus) post illius traditionem die, Symbolum reddebatur: ut præter Augustinum docet Ferrandus Diaconus in *epist. ad S. Fulgentium*, quæ inter Fulgentianas est undecima. In Concilio verò Laodicæno *Can. 46.* decernitur, ut baptizandi Fidei Symbolum discant; & quinta Feria ultimæ septimanæ Episcopo, vel Presbytero Competentes reddere debeant. Ita etiam Martinus Bracarenis *cap. 49.* idem statuit his verbis: *Oportet autem in ipsis diebus, ut ii, qui baptizandi sunt, Symbolum discant; & quinta Feria novissima septimanæ Episcopo, vel Presbytero reddant.* Sed ex Ordine Gelasiano id tantum præstabant Sabbatorum die manè. Gelasio consentiunt antiqui Codices MSS. Gellonenfis, Rhementis, S. Remigii, Noviomensis, Regius Gallicanus, & alii. De hujusmodi Missa in Symboli traditione, breviter loquitur superius laudatus Johannes Mabillon *lib. de Liturgia Gallicana in suis notis, & observationibus*, quæ habentur §. XXXII. post legenda in Dominica Palmarum.

Circa



Circa præfati Symboli traditionem quaestio esse posset: utrum baptizandis tradere-  
tur Symbolum Nicænum, an verò Constan-  
tinopolitanum. Edmundus Martene *lib. 1. de antiq. Rit. Eccl. cap. 1. art. 11. num. 10.* existimat, post Concilium Constantinopolitanum primum Catechumenis, antequam baptizarentur, traditum esse Symbolum Nicænum; & suam opinionem probat auctoritate Concilii Constantinopolitani sub Men-  
na, Anno quingentesimo trigesimo sexto celebrati, ubi actione 6, hæc leguntur: *Nam specialiter Symbolum trecentorum decem, & octo SS. Patrum, in quo baptizantur, ipse tres sanctæ Synodi consensu confirmavit.* Sed cum Symbolum Constantinopolitanum in Nicæni locum susceptum fuerit, nomine non mutato; unde omnes Constantinopolitana posteriorum Synodi, & Patres, quoties de Nicæno Symbolo loquuntur, passim intelligunt Constantinopolitanum, neque tamen Constantinopolitanum, sed Nicænum vocant; & etiam hodie nos, quod ad Missarum sollempnia cantamus, Nicænum dicimus, cum tamen sit Constantinopolitanum, ut observavit Lupus *tom. 1. Concil. cap. 4.* eum, inquam, Constantinopolitanum Symbolum, Nicænum appellatum fuerit, suspicandi locus datur, in prædicto loco, & aliis locis à Martene citatis, sermonem esse de Symbolo Constantinopolitano, quod, ut adnotavi, dicitur Nicænum; quia in illo Nicæna Fides magis exposita fuit, & confirmata: hinc ipsemet Martene fatetur, in vulgato Ordine Romano, in Ordine Gelasiano, in Pontificali Salisburgensi, in vetustissimo Codice Rhemenfi Annorum 900. & in primo Ordine Scrutinii Codicis Gellonenfis, notari Constantinopolitanum Symbolum, non Nicænum: & sanè convenientius videtur, ut optimè etiam observat Franciscus Pagius in suo Breviario Historico Seculo IV. num. 18. Constantinopolitanum Catechumenis traditum fuisse, ut de Divinitate Spiritus Sancti edocerentur, quæ in Symbolo Nicæno clarè  
*Gavant. Rubr. Miss.*

expressa non erat, ut fuit in Constantinopolitano.

XCVII. *MISSA CHRISMALIS* erat illa, quæ dicebatur, quando conficiebatur Sacrum Chrisma: de qua fit mentio in lib. Sacramentorum S. Gregorii Magni in Codice Rhemenfi, & à Menardo in suis notis, & observationibus *pag. 77.* necnon à Carolo Du-Fresne in suo Glossario v. *Missæ.* Talis Missa sic inscripta habetur etiam in supracit. Codice Gelasiano *pag. 68.*

XCVIII. *MISSA AD PROHIBENDUM AB IDOLIS*, de qua fit mentio in Codice Rhemenfi apud Menardum, est illa, quæ celebrabatur in die Circumcisionis Domini, ad evellendas, quæ olim Kalendis Januarii ab ipsis Christianis observabantur, Paganorum superstitiones. De hac pariter mentionem facit mox allegatus Du-Fresne, in suo Glossario v. *Missæ*, & de qua nos etiam locuti sumus superius, ubi egimus de pluralitate Missarum in eadem die. Hæc pariter Missa sic inscripta reperitur in supracit. Codice Gelasiano *pag. 19.*

XCIX. *MISSA PRO DECIMIS SOLVENDIS* erat illa, in qua Episcopus prædicare debebat, ut Plebs Decimas redderet. De hac Missa habetur Sermo 277. in nova Appendice Sermonum S. Augustini Casario adscriptus: & habitus est paulò ante Nativitatem S. Johannis Baptistæ. Quibus ex rebus darentur Decimæ, patet ex *num. 1. Decima tributa sunt egentium Animarum: redde ergo tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus: quod si Decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet Agricola; quodcumque te pascit, ingenium Dei est: & inde Decimas expetit, unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde Decimas.* Huc spectant epistolæ Episcoporum Provinciæ Turonicæ ad Plebem scriptæ in Concilio Turonensi 2. & *Can. 5.* secundæ Synodi Matisconenfis: videri etiam potest liber Cypriani de Lapsis, editionis Oxoniensis sub finem libri. Hujus Missæ fit mentio in antiquissimo Lectionario Gallicano.



licano, edito à præclarissimo Mabillon in lib. 2. de Liturgia Gallicana sub n. LXXVII. ex cuius notis, & observationibus collegi ea, quæ mox exposui.

C. MISSA PRO REQUIE SANCTORUM OBLATA est illa, quæ habetur in Missali Mozarabico, intitulata: *Pro Spiritibus Pausantium, seu Confessorum*: fiebat enim antiquitus Missa oblatio, etiam pro requie eorum, qui Sancti credebantur, nimirum, ut pro eorum requie gratia Deo redderentur. Huc faciunt omnia ea, quæ adnotat Pamelius in librum Tertulliani ad Martyres num. 22. ubi refert verba S. Cypriani, quæ habentur in epist. 16. ad Confessores, & Martyres, & ea quæ habentur in epist. 6. num. 7. nunc 37. in hunc modum scribentis: (loquendo de aliquibus Martyribus) *Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus, & devotissimus frater noster . . . . . scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere Beati fratris nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt, ut & celebentur hic à nobis Oblationes, & Sacrificia, ob Commemorationes eorum, qua ceteris vobiscum, Domino prosperante, celebrabimus.* Rursum epist. 34. *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies, Anniversaria Commemoratione celebramus.*

Præterea laudatus Pamelius ibidem allegat Divi Augustini Textum (qui tamen Augustini non est) ex libro de Virginibus excerptum, in quo indicatur Ecclesiæ consuetudo Sacrificium pro Martyribus offerendi, his verbis: *Perhibet præclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in qua Fidelibus notum*

*est, quo loco Martyres, & quo defuncte Simoniales ad Altaris Sacramenta recitentur.* Post quæ verba S. Doctoris subdit Pamelius cit. loc. *Gratulatoria ergo preces erant, quibus cum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignitatis contulisset; tum simile donum cælitus sibi dari concordius votum flagitabant, ceu adhuc canit Ecclesia: Gaudemus in Domino, & reliqua.* Ita pariter Tertullianus in lib. de Corona Militis, ait: *Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis Annua die facimus*: quæ posteriora verba Pamelius, in suis eruditissimis adnotationibus, pro Natalitiis Martyrum intelligit, & eodem modo explanat, quo paulò antè, nimirum quod celebrabantur Sacrificia ad reddendas Deo grates pro Martyrum Corona illis concessa, quorum Annua Natalitia recolebantur. Ex quibus omnibus liquet, in quo sensu antiquitus offerebatur Missa etiam pro Requie Sanctorum. De qua Missa mentionem pariter fecit superius laudatus Mabillon eodem loco.

Cl. MISSA REVOCATA dicebatur illa, in qua Populus antea dimissus, denuò ad Sacrificium revocabatur. Favet huic interpretationi Gregorius Turonensis in lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 51. ubi eodem loquenti modo utitur: *Vade, & vigila istam noctem in honore, ac revoca Missas, & liberaberis à Plaga.* Id est (ut notat Doctissimus Mabillon lib. 1. de Liturgia Gallicana §. 4.) celebra Missas; nam familiare est Gregorio, ut Missæ etiam à laicis celebrari dicantur. De hæc Missa Revocata mentionem facit Fortunatus in libello de Vita S. Germani Parisiorum Episcopi cap. 60. itemque in lib. 1. de Vita S. Radegundis, cujus verba referuntur à Mabillon loc. super us citato.

Ultimo loco recensēbimus genus illarum Missarum, quæ prohibita, & proscrip̄ta fuerunt ab Ecclesia, quarum aliquas jam sup̄rà exposuimus, inter quas numerari possunt Missa Solitaria, Occulta, Bifaciata &c, Vespertina, Noctur-



Nocturna (non autem illa, quæ celebratur nocte Nativitatis) Nunc verò descendimus ad paucas sequentes explicandas, quales sunt Missa Revelata, Judicii, & pro Morte Inimicorum.

CII. MISSA REVELATA erat quædam Missa superstitiosa, quæ sequenti Canone proscripta fuit in Concilio Valentino, An. 1565. inter Hispan. tom. 4. pag. 73. Synodus præcipit superstitiosum cultum Missarum, quæ dicuntur Revelata, & S. Amatoris, & aliarum quarum unque similium aboleri: certum etiam Candelarum numerum, qui speciem superstitionis habet, rescindendum esse duxit.

CIII. MISSA JUDICII erat illa, quæ celebrari olim consueverat cum aquæ fervidæ, seu ferventis, vel etiam ferri candentis examine, & judicio, quando veritas ab aliquo erat eruenda; qui Ritus sollemnis erat etiam Seculo XI. Sancta enim Cunegunda, Sancti Henrici II. Cæsaris Coniux, hoc improbo examine ferri candentis purgata fuit: sed talis Missa postea fuit abrogata, & proscripta. Ritus hujus Missæ in eum, qui ad purgationem damnatus erat, describitur à Dunstano Archiepiscopo Dorobernenis Ecclesiæ his verbis: *Cum homines vis mittere ad iudicium aquæ frigida ob comprobationem, i a facere debes: accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis, cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam efferre.* Totus Ordo hujus Missæ refertur à Doctissimo P. nostro Aloysio Novarino in libro 5. Sacrorum Elektorum cap. 40 pag. 255. necnon à Macrio in suo Hierolexico v. Missa Judicii pag. mihi 364. Plures etiam ejusdem Judicii Missas,

ex variis Codicibus MSS. collegit, & evulgavit Edmundus Martene tom. 3. lib. 2. de antiquis Eccl. Rit.

CIV. MISSA PRO MORTE INIMICORUM erat illa, de qua in Canone quicumque Sacerdotum, Distinct. 26. quest. 1. sic habetur: *Plerique etiam Sacerdotum sauciati inimicitia dolo, Missam pro Requite Defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus, ut is, pro quo ipsum offerunt Sacrificium, mortis incurrat periculum.* Hæc Missa antiquitus frequentabatur in Hispania: sed jure merito, tanquam superstitiosa, & vindicativa, condemnata & prohibita fuit sub gravissimis pœnis, Anno 694. in Concilio Tolerano Can. 5. De hac pariter Missa mentionem facit Macrius in suo Hierolexico v. Missa pro morte inimicorum, pag. mihi 366.

Ecce præcipua, & diversa Liturgiarum, & Missarum genera, quæ summo labore ex variis Ecclesiasticis Monumentis, necnon ex selectis Auctoribus colligere potui, ut nihil desideretur ad Coronidem harum Prænotionum. Fateri compellor, me quidem in his Liturgicis Prænotionibus, & veluti Preliminaribus Observationibus nimium diu moratum esse: sed erudito Lectori hoc, ut spero, gratum accidet: cui tamen, ne molestus sim, in sequentibus Observationibus, & Additionibus, contractiorem stylum, & concisiorem methodum me adhibitarum promitto.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. I. De Duplici.

I. Rubr. pag. 3: *Missa dicitur de duplici illis diebus, &c.* Missa regulariter respondet Officio: unde illis diebus, in quibus recita-

tur Officium duplex, sive sub Ritu duplici, debet respondere Missa pariter de duplici: idem dicendum est de Dominica, quæ in hac



re æquiparatur duplicibus. Exceptiones ab hac regula dabimus infra in titulo de Feria, & Vigilia, & etiam in titulis de Missis Votis, & Defunctorum. Hoc loco tamen observandum est, quod Sacerdos, dicto licet Officio de duplici, vel de Dominica, si celebret ex obligatione, vel de devotione in Ecclesia aliena, ubi colitur Festum aliquod sollemne v.g. Patroni vel Dedicationis, &c. vel aliud quodque Festum cum sollemnitate, conformare se debet in Missa celebranda tali Ecclesie; adeoque Missam dicere de tali Festo, sed ex Missali Romano, & quæ generaliter pro omnibus est approbata; alioquin de Comuni, & cum Ritu illius Ecclesie dicere *Gloria, & Credo*, & unicam tantum Orationem sine Commemoratione Officii à se recitati, nisi sit dies Dominica, vel Feria major, de quibus semper fit Commemoratio. Hæc eruuntur ex Decretis S. R. C. sub die 11. Junii 1701. & quæ dantur in nostro Indice sub num. 558. & se. 9. & sub num. 434. ex quibus etiam colligitur, quod si quis celebret in Dominica infra Octavam talis Festi in ea Ecclesia, celebrato Officio de Dominica, dicere quidem debet Missam de ea, sed cum colore Paramentorum convenienti Octavæ; & si velit cum Commemoratione de Octava, omittat tunc Orationem tertiam: quod constat ex Decreto dato in nostro Indice sub num. 560. Eruuntur pariter hæc omnia etiam ex Pisart in sua expositione supra prædictum titulum, qui num. 5. proponit hoc dubium -- Quid debeat facere Sacerdos, si habens Officium aequè sollemne, inveniat se foris in Ecclesia aliena, ubi v.g. agitur de Dedicatione, vel alio simili Festo? -- Et respondet, quod quamvis se pariter huic Ecclesie conformare possit in celebranda Missa, faciendo Commemorationem Officii sui; communius tamen videtur, ut de suo v.g. Patrono, Missam dicat absque Commemoratione Festi ibidem celebrati: In colore tamen Paramentorum debet se conformare Ecclesie in qua celebrat: & allegat auctoritatem cujusdam S. R.

C. Consultoris, & Primarii SS. D. N. Clementis XI. Ceremoniarum Magistri, qui ad prædictum quaesitum ita respondit.

II. Rubr. pag. 3. & Gavantus ibid. col. 1. lit. f. *Una tantum Oratio &c.* Quarti part. 1. tit. 1. de duplici assignat duplicem rationem literalem, cur in duplicibus una tantum Oratio dicatur, nisi facienda sit aliqua Commemoratio. Prima est singulare meritum Sanctorum, quos Ecclesia veneratur sub Ritu duplici, quorum singularem virtutem, & Sanctitatem unica, & singulari designat Oratione. Altera ratio est, ut prædictos Sanctos majori attentione, & fervore devotionis colant Fideles unica Oratione, ne distraherentur ad plura.

Festa duplicia, de quibus agitur in Rubrica hujus tituli pag. 3. quedam dicuntur primæ Classis, quædam secundæ: rursus aliqua sunt, quæ majora dicuntur, & alia, quæ minora appellantur; ut patet ex Tabellis in Breviario Romano appositis post Rubricas generales, & explicat latè Castaldus lib. 1. sect. 1. cap. 1. & seqq. necnon Gavantus tom. 2. sui Thesauri sect. 3. cap. 3. ubi etiam nos aliqua adjiciemus.

Quarti supracit. part. 1. tit. 1. dub. 5. proponit quaestionem: utrum de Sancto Titulari alicujus Cappellæ possit in eadem Cappella, vel Altari celebrari Missa sub Ritu duplici: quæ quidem quaestio procedit præsertim de Sancto, de quo non fit Officium, & de die ipsius Festo. Huic dubio cum prædicto Quarti respondendum est negativè: quia cum Sanctus prædictus non sit descriptus in Calendario, non potest propria auctoritate, neque Ordinarii loci, celebrari Missa de die, quæ non est conformis Officio recitato: in Decretis enim Breviario Romano præfixis habetur: locorum Ordinarios addere non posse Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, & consequenter nec Missas, & docet id etiam Gavantus sect. 3. c. 12. n. 15. Quod si idem Sanctus sit descriptus in Calendario sub Ritu semiduplici, vel sim-



plici, sub eodem Ritu celebrandum de eo erit, & non sub altiori Ritu, quia hoc ipsum prohibetur in Decretis prædictis. Si tamen prædictus Titularis alicujus Cappella esset Sanctus canonizatus, vel in Martyrologio Romano descriptus, de eo, juxta ejusdem Quarti part. 1. tit. 4. dub. 7. sententiam, quæ est etiam communis inter Doctores, posset dici Missa Votiva: & quia celebraretur in die festivo ejusdem Sancti, talis Missa posset celebrari cum *Gloria in excelsis*: quia licet sit Missa Votiva, & non conveniat cum Officio diei, sitque ad arbitrium Sacerdotis; est tamen de Festo, seu de Sancto ipso, die ejus Natali: unde cum Gavanto part. 1. tit. 9. n. 16. lit. i. potest dici Missa ex utroque, vo-

tivo scilicet, & festivo mixta. Ita etiam docet Guyetus lib. 4. cap. 21. quest. 10. qui optime subnectit (& sequitur ex supra dictis à nobis) quòd si prædicta die occurrat Festum aliquod duplex, vel Dominica, vel alia dies impedita, non posset celebrari dicta Missa Sancti Titularis alicujus Cappella, quia, ut diximus, non potest dici sub Ritu duplici, sed solum tanquam Votiva. Utrum autem de Sanctis locorum Episcopis non descriptis in Calendario possit celebrari Missa cum Officio sub Ritu duplici, & sic etiam de Sanctis, quorum habetur Reliquia, resolventur à nobis hæc dubia cum Gavanto in 2. tom. ubi agemus de Rubricis Breviarii Romani.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. II. De Semiduplici & Simplici.

I. Rubr. pag. 3. *Præterea in Dominicis, &c.*) Inter Festivitates, quas Ecclesia celebrat sub Ritu semiduplici, nempe sub Ritu medio, inter Ritum duplicem, & simplicem, primum obtinent locum illæ, quæ magis immediatè ad Christum Deum, ac ad ejus vitæ Mysteria pertinent: unde ab Ecclesiæ exordio specialiter dicata fuit in ejus cultum prima dies hebdomadæ, quæ per antonomasiam dicitur dies Domini, seu Dominica: & rationes adducuntur in sexta Synodo Generali cap. 8. Prima, & potissima est, quia hanc diem ipse Christus sua Resurrectione consecravit: secunda, quia hac eadem die descendit Spiritus Sanctus in Apostolos: tertia, ob Creationis initium, & Mundi exordium; unde canit Ecclesia: *Primo die, quo Trinitas Feata Mundum condidit, vel quo resurgens Conceptor, &c.* de quibus Mysteriis diei Dominicæ tractant D. Augustinus serm. 154. & 251. de Tempore; & D. Leo epist. 8. ad Dioscorum cap. 2. unde etiam dedicata est hæc dies in honorem Sanctissimæ Trinitatis, ut patet ex cap. *Quoniam de Fetiis*; & ex Riti-

bus, Hymnis, & Responsoris, quibus utitur Ecclesia diebus Dominicis. Lege Durandum in Rationali lib. 6. cap. 114. Recollitur autem singulis Dominicis per Annum memoria prædictorum Mysteriorum sub Ritu semiduplici; in propriis verò Festivitatibus Paschæ, & Pentecostes &c. sub Ritu Duplici primæ Classis, ut dignum est.

II. Rubr. pag. 3. & Gavanti. ibid. col. 1. lit. g. *Infra Octavam &c.*) Octavarum usus est in Ecclesia antiquissimus, de quibus agit Durandus lib. 6. cap. 1. num. 45. & introductæ fuerunt ad majorem Solemnitatem præcipuarum Festivitatum. Hinc Radulphus Tungrensis prop. 19. ait: *Magnitudo Festi à No'is exigit, ut prius illud incipiamus, & tardius terminemus. Prævenimus Vigilia; protrogamus cum ad Octavarum diem Festum procedimus: præveniamus ergo, & proregemus, ut ardentius quòd debemus recolamus, quæve uno die minus possumus, reliquis diebus compensemus.* Ex Paulo Quarti part. 1. tit. 2. plura de Octavarum antiquitate, & origine dicemus in nostris Additionibus ad tom. 2. Gavanti sect. 3. cap. 8. K 3 III.



III. Rubr. pag. 3. *De Simpliciter dicitur Missa &c.*) Quarti *part. 1. tit. 14. d. b. 3.* instituit questionem: utrum possit dici Missa integra de Sancto Simplicio, quando juxta Rubricas Missalis fieri debet de eo sola Commemoratio, ratione v. g. occurrentis Festi Semiduplicis, seu alicujus Ferie majoris Adventus, vel Quadragesimae &c. vel diei infra aliquam Octavam non privilegiatam &c. & resolvit, in dicto casu Sacerdotem vel ex sua particulari devotione, vel ex alia causa, si voluerit, utique de Sancto illo Simplicio posse recitare Missam de suo Communi; si non habeat propriam sub Ritu Semiduplici cum Commemoratione Officii currentis, de quo legit Horas Canonicas. Ita eandem sententiam tenet Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 2. in Adnotationibus.* Juxta igitur hanc senten-

tiam potest dici Missa integra de Sancto Thecla in die Sancti Lini vigesima tertia Septembris; & ita pariter Missa SS. Tryphonis &c. Martyrum in die Sancti Andrea Avellini decima Novembris cum debitis Commemorationibus. In tali autem Missa Festi Simplicis concedit Quarti posse dici Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis &c.* qui est partim Festiva, partim Votiva, eamque appellari posse Semifestivam; asserit idem Auctor: quia neque omnino concordat cum Officio, neque omnino discordat; cum sit in Officio ejusdem Sancti Simplicis Commemoratio. Potest etiam dici talis Missa Semifestiva: quia celebratur in die Natali ejusdem Sancti Simplicis, juxta ea, quae dicitur in nostris Observationibus ad Tit. precedentem sub n. II.

## Novae Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. III. De Feria & Vigilia.

I. Rubr. n. 1. pag. 4. *Missae de Feria dicitur &c.*) Dies hebdomadae, Feriarum nomine distinguuntur ex antiquissimo usu Ecclesiae, quem S. Silvester Papa suo Decreto firmavit, ut notatur in Lectionibus Breviarii in Festo ejusdem Sancti; unde patet Feriam proprie dici à feriando. Durandus in *Rationali lib. 7. cap. 1. n. 12.* assignat rationem, propter quam etiam Dominica, prima Feria dici potest: quia dies immediate sequens, Feria secunda vocatur; estque nomen Sacrum, non ex Ritu Gentium, sed ex Sacra Scriptura desumptum. Durandus supra, & ex eo Quarti *part. 1. tit. 4. de Feria, & Vigilia.* De Feriarum nomine, & etymologia erudite discurret juxta morem suum Sapientissimus Joseph Vicecomes de Missae Ritibus *lib. 3. cap. 10.* ubi non approbat sententiam Rabbani, asserentis, Silvestrum Papam Auctorem fuisse Feriarum nomina diebus imponendi. Caetera apud eundem clarissimum Auctorem videri possunt.

II. Gavanti, pag. 4. col. 1. lit. i. *Non prescribuntur de Octava, & de Vigilia.*) Quamvis in Feriis Majoribus, scilicet Quadragesimae, in Feriis quatuor Temporum, & Vigiliarum, dicantur duae Missae, nempe Conventuales in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, cadente Festo, &c. ut in Rubrica & cadente die Octava: tamen hoc non verificatur in die infra Octavam, quia tunc juxta Gavantum *hic, & Quarti part. 1. tit. 1. n. 1. & n. 2.* Turrimum *part. 2. sect. 3. cap. 1.* & alios communiter, unica tantum dicitur Missa Conventualis, nempe de Vigilia.

Nec urget contra hanc praxim, & Doctrinam, quod eadem Missa, quae celebratur infra Octavam, celebretur etiam die Octava: ac proinde, sicut cadente Feria hujusmodi in die Octava, duae dicuntur Missae, sic etiam cadente in die infra Octavam, duae debeant Missae, non minus ac die Octava. Non urget, inquam, quia, ut paulo infra, magnum discrimen interest in hoc



casu, inter diem infra Octavam, & inter diem Octavae. Deinde etiam eadem sit Missa materialiter, id est, quoad Orationem, Evangelium, & alias sui partes; non est tamen eadem formaliter, & quoad Ritum: dies enim infra Octavam est sub Ritu Semiduplici; dies verò Octavae sub Duplici. Deinde quatenus haec ratio non sufficeret, totam profecto dirimit controversiam, ob identitatem rationis, Rubrica peculiaris superior in Vigilia Assumptionis, & in Vigilia SS. Petri, & Pauli cadente in Sabbato, quan-

do dies S. Leonis cadit in Dominica; quibus in casibus non praescribuntur duae Conventuales: quapropter idem dicendum de omnibus Vigiliis cadentibus infra Octavas.

III. Rubr. n. 1. pag. 4. & Gavant. ib. col. 2. lit. k *Cantantur duae Missae, &c.* De huiusmodi Missis Conventualibus agit fusiùs Gavantus *part. 3. de Defectibus tit. 11. n. 7.* quo loco etiam nos fusiùs, & commodius agemus, adducendo ibi varia Decreta spectantia, necnon Doctrinas pertinentes ad Missas Conventuales.

## RUBRICA

In recentiori Editione auctior inventa, ad pag. 4.

2. In Vigiliis autem, & Feriis quatuor Temporum, vel Feria secunda Rogationum, qua veniunt infra Octavam, 1 Missa dicitur de Vigilia, vel Feriis supradictis, cum Commemoratione Octavae: praequam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duae Missae, una de Octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam: in Missis autem Privatis dicitur Missa de Octava cum Commemoratione Vigiliae. Si autem in die Vigilia, vel praedictis Feriis fiat Officium de aliquo Festo, tunc dicitur Missa de Festo cum Commemoratione Octavae, & Vigiliae, vel Feriarum praedictarum. Quod si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primae Classis, in Missa non fit Commemoratio de ea, sicut nec in Officio.

## GAVANTUS

In eadem Editione recentiore in aliquibus mutatus, ad pag. 4. post Rubr. n. 2.

(1 Missa dicitur de Vigilia.) In his Casibus discordat Missa ab Officio: quia his Missis propriis convenit, ut cedat ea Missa, quae infra Octavam saepius repetitur: Populus etiam, quia ad Missam, non ad Officium convenire solet, cum Missa de his Feriis, ad lectum movetur, & animatur.

Dubitabatur de Vigilia S. Johannis Baptistae infra Octavam Corporis Christi, quae excludit Semiduplex Festa: sed hoc non obstabat, quia semiduplex transfertur cum Officio, & Missa; Vigilia verò non transfertur, & Missam tantum habens non tollit Officium de Octava, neque Missam de eadem, quae saepius infra Octavam dici solet.

Communior erat etiam haec sententia Anno 1628. ut patet ex Calendariis diversis ejusdem Anni, quo occurrerunt Vigilia S. Johannis, & SS. Apostolorum infra Octavam Corporis Christi, quod nimirum Missa de Vigilia dicenda esset cum Commemoratione Octavae juxta Rubricam antiquam, contra quam neque urgebant ea, quae asseriebantur: non auctoritas P. Ruiz, seu Alcozer, Missam de Octava cum Commemoratione Vigiliae, gratis, & sine majorum Decreto praescribentium: non aliorum congruentia: quia agebant deperdi Indulgentias concessas Octavae

Cor-



*Corporis Christi, omiffa de Sacramento Miffa: an deperduntur in Feflo Duplici infra eam Octavam occurrente? Neque quia concordare debebat cum Officio Miffas quod non est verum, cum infra eandem Octavam poffint dici Miffa Votiva, & de Requiem, quocunq; die non est Duplex. Neque quia Miffa de Sacramento magis excitaret ad pietatem Populos, quam Miffa de Vigilia, que certe ex Alcuino in Parafceve, excitat ad imitandas paffiones Martyrum.*

*Hec ex vi Rubricarum priorum: fed nova Rubrica opus fuit, ut legitime Miffa dñi poffet de Octava cum Commemoratione Vigilia: que nuper, ut fuprà, decreta fuit in recognitione Miffalis fub Urbano VIII, ubi dictum, ne infra Octavam Corporis Chrifti diceretur Miffa Votiva, vel de Requiem: item ne fieret infra ipfam de Duplici verè translato,*

*Queres ex præditiis: cur in Cathedralibus, & Collegiis non dicuntur due Miffæ, una de die infra Octavam, alia de Vigilia; ficut infra Octavam omnium Sanctorum, una dicitur de die infra Octavam, alia pro Defunctis in Commemoratione omnium Defunctorum? at ecce difparitas: potefi enim in Miffa Vigilia fieri Commemoratio de die infra Octavam, de qua non potefi fieri in Miffa Defunctorum.*

IV. Gavant. fuprà lit. I in his cafibus difcordat Miffa ab Officio, &c.) Optime hic docet Gavantus, quòd occurrente Vigilia, vel Feria aliqua majori infra aliquam Octavam, Miffæ non folùm Conventuales, fed etiam Privatae, debent dici de tali Vigilia cum Commemoratione Octavae. De Octava verò in tali cafu, nulla debet dici Miffa, tanquam propria illius diei, fed folùm potefi dici in gradu Miffæ Votivæ: unde veriffimum eft, quòd docet idem Gavantus, quòd tali die Miffa non eft conformis Officio; Officium enim eft de Octava, & Miffa eft de Vigilia, vel de illa Feria majori: fic v. g. die 14. Augufti, in qua occurrat dies quarta infra Octavam S. Laurentii, & Vigilia Affumptionis B. M. V. recitatur quidem Officium de Octava S. Laurentii; Miffa verò non debet dici de tali Octava, fed de Vigilia Affumptionis, cum Commemoratione Octavae: ita ut non folùm Miffa Conventualis, fed etiam Miffa Privatae talis diei, debeant eflè de Vigilia Affumptionis cum Commemoratione Octavae S. Laurentii. Cur autem difcordet in hoc cafu Miffa ab Officio, ratio eft, quia infra Octavam fapiùs repetitur eadem Miffa illius Fefli, de quo fit Octava: & ideo difpofitum fuit, ut cedat Miffa de Octava Miffæ propriæ de Vi-

gilia, vel de alia Feria majori, que in illa die dici debet tanquam propria illius diei. Deinde, ut Populus, qui frequentius ad Miffam convenire folet, quam ad Officium, moneatur obligationis jejunii per Miffam de Vigilia. Et eadem eft ratio, de Feriis quatuor Temporum, de Feria II. Rogationum, infra aliquam Octavam occurrentibus. Dilectus prolixè hanc quæftionem Lucas Jofephus Cerracchinus tom. I. fuorum Dubiorum fuper Rubricas Miffalis, & Breviarum dub. 7. & validè propugnat hanc communitatem, & certiffimam fententiam: verum non fubfiftit id quòd afferit pag. mihi 170. de Decreto edito à S. R. C. fub die 24. Januarii 1682. in quo fupponit concedi Monachis Caffinenfibus, ut tempore Quadragefimæ celebrantes ex privilegio Feflum S. Benedicti cum Octava, poffint diebus occurrentibus infra dictam Octavam dicere folam Miffam Conventualem de Feria; cæteras verò Miffas Privatas debeant celebrare de dicta Octava cum Gloria, & Credo: nam in Directorio Divini Officii perfolvendi juxta Ritum Monasticum ab omnibus fub Regula S. Benedicti militantibus, & præcipue Congregationi Caffinenfi fpecialiter accommodato, & Petavii edito, Anno Domini 1733. die 23. Martii, que eft dies infra Octavam prædi-



At Patriarchæ, præscribitur, quòd *Missæ Conventualis, necnon Privata (non exclusis Missis Votivis, & de Requiem) dicatur de Feria currenti.* En igitur quòd ipsimet PP. Callinenses fatentur non habere hoc privilegium celebrandi diebus infra dictam Octavam, quando occurrit in Quadragesima, Missas Privatas de Octava cum *Gloria, & Credo*: sed solum possunt dicere memoratas Missas Privatas in tali casu, & talibus diebus, in gradu Missæ Votivæ, nimirum sine *Gloria, & Credo*; cum Commemoratione Feriæ, & cum Evangelio Sancti Johannis in fine. Ex Decreto igitur dici 24. Januarii 1682. & dato in nostro Indice sub num. 460. in quo præscribitur, quòd dicti privilegiati, debent dicere *Missam Conventualem de Feria*; solum permittitur exinde, quòd possint dicere Missas Privatas de Sancto, cujus celebrant Octavam, Ritu votivo; nunquam verò præscribitur in tali Decreto, quòd dicant solum Missam Conventualem de Feria, & alias Privatas de S. Benedicto; sed innuitur, quòd reliquæ Missæ Privatae, vel debeant dici de Feria, vel possint dici de Requiem, vel Votivæ de aliquo Sancto. Hoc loco adnotandum est, quòd, juxta sententiam Caroli Guyeti lib. 4. suæ Heortologiae cap. 5. quæst. 5. in fine, in dicta Missa Vigiliæ occurrentis infra aliquam Octavam, debet dici *Credo* etiam extra Dominicam, si talis Octava illud habeat: non enim talis Vigilia est simplex, seu ferialis, ut sunt aliæ Vigiliæ communes; sed Festiva, & Dominicalis, adeoque capax Symboli aliunde debiti. Hæc Guyetus, cujus sententia est Gavanti contraria, ut videndum est part. 1. Titulo XI. de Symbolo lit. n. in fine: & Gavanti sententiam etiam nos amplectimur in nostris Observationibus ejusd. tit. num. XIV.

V. Gavant. ead. lit. I *Communior erat hæc sententia, &c.* Olim ante recognitionem Missalis Romani, auctoritate Urbani VIII. factam, non levis erat controversia inter Ru-  
Gavant. Rubr. Miss.

bricarum Interpretes: utrum occurrente Vigilia, ex. gr. S. Johannis Baptiste infra Octavam Corporis Christi, dici deberet Missa de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, vel è contra Missa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Gavantus hoc loco in prima editione sui præclarissimi operis, assererat, dicendam esse Missam de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, inherendo regulæ in superiori Rubrica traditæ. Castaldus verò in sua Praxi Ceremoniarum lib. 2. sect. 6. num. 9. edita ante Gavanti Thesaurum, sustinebat, dicendas esse Missas Privatas de Octava cum Commemoratione Vigiliæ, & in Collegiatis cantari debere duas Missas, unam de Octava, & alteram de Vigilia, &c. & sustinebat hanc sententiam ob privilegia particularia talis Octavæ Corporis Christi. Tandem sublata fuit omnis controversia, & lata sententia in favorem hujus secundæ opinionis, ut patet ex superiori Rubrica, in qua addita fuit hæc exceptio: *Præterquam infra Octavam Corporis Christi.*

Ex huc usque dictis sequitur, claram esse rationem, cur in prædictis Vigiliis occurrentibus infra aliquam Octavam, unica tantum debeat dici Missa Conventualis, nimirum de Vigilia, cum Commemoratione Octavæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis: si enim non potest dici Missa Privata de illo die infra Octavam, multo minus de eadem Octava poterit Missa Conventualis celebrari. Sed è contrà, si in diem infra Octavam, in qua simul cadit Vigilia, incidat Festum novem Lectionum, eo casu duæ Missæ Conventuales cantandæ sunt in Ecclesiis Cathedralibus; & Collegiatis; prima de Festo cum Commemoratione Octavæ, sed sine Commemoratione Vigiliæ; altera verò de Vigilia cum aliis duabus Orationibus juxta Rubricarum dispositiones. Huc optime facit, quòd in Calendariis Urbis, & in novo Missali edito Romæ, Anno 1714.



sic habetur die 14. Decembris. - Si hodie occurrat FERIA IV. quatuor Temporum, Missa dicuntur de FERIA cum Commemoratione OCTAVÆ, & tertia Oratio de Spiritu Sancto, cum Præfatione de OCTAVÆ. - Die verò 15. Decembris. - Si hodie occurrat FERIA IV. quatuor Temporum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, dicuntur due Missæ, una de OCTAVÆ, altera de FERIA cum Commemorationibus assignatis, & in hac Missa dicitur Præfatio communis. - En igitur semper magis confirmatum iri, quòd occurrente Vigilia, vel FERIA majori infra aliquam OCTAVAM, licet Officium recitetur de illa die infra OCTAVAM, Missæ tamen dicuntur de FERIA, & nulla dicitur de OCTAVÆ. E contra verò in die OCTAVÆ ejusdem Festi, Missæ quidem dicuntur de OCTAVÆ, & unica tantum de Vigilia: & idcirco in Cathedralibus, & Collegiatis in tali casu, cantantur due Missæ Conventuales in die OCTAVÆ; sed in die infra OCTAVAM, unica dicitur Missa Conventualis de Vigilia, vel FERIA illa majori cum Commemoratione OCTAVÆ.

Gerlacus Vinitor in suis adnotationibus super hanc Rubricam part. I. tit. 3. §. 3. adnotat, in Missa Vigiliarum, & Feriarum ma-

jorum infra OCTAVAM, nunquam dici Gloria in excelsis, neque Credo, & semper dici Præfationem communem, quæ cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus, præterquam in Missis Litaniarum majorum, quæ Paschalem Præfationem habent. Verum cum in supra dicta prima Rubrica Missalis editi Romæ Anno 1714. dispositum fuerit, quòd die 14. Decembris, quæ est infra OCTAVAM Conceptionis Immaculæ Virginis Mariæ, si occurrat FERIA IV. Temporum, Missa dici debeat de FERIA cum Commemoratione non solum, sed etiam cum Præfatione de OCTAVÆ Conceptionis; infertur, non subsistere doctrinam Vinitoris quoad Præfationem communem dicendam semper in talibus Missis Vigiliarum, & Feriarum majorum, quæ infra aliquam OCTAVAM dici debent, in quibus fit Commemoratio talis OCTAVÆ: contra verò subsistit talis Doctrina in Missis Conventualibus Vigiliarum, & Feriarum majorum (juxta dispositionem secundæ Rubricæ supra expositæ) quia in illis Missis, licet non fit Commemoratio OCTAVÆ, ita neque dicitur Præfatio ejusdem, si habeat propriam.

## GAVANTUS

In Editione recentiori auctior inventus, ad pag. 5. post Rubr. n. 4.

in Missa Vigilia.) Dicitur eadem ratione, quam supra diximus de Vig. infra OCTAVAM, quia propria Missa cedere debet minus propria diei.

Occurrit alicubi Festum novem Lectionum in Vigilia intra Adventum, & quaesitum est: quò ordine in Missa de Festo dicantur Orationes de Adventu, & Vigilia, & an Evangelium Vigilia legatur in fine? Respondi Orationem de Adventu dici ante Orationem Vigilia: quia licet de Missa Vigilia alius sit ordo, in Missa tamen alia dignior est Oratio, quæ dicitur in Officio: similem ferè casum habes in Festo Sancti Leonis 28. Junii, in ejus Missa Oratio de Vigilia posterior est, licet in Sabbato Missa Vigilia præferatur Missa de OCTAVÆ S. Johannis. Evangelium verò non legitur in fine: quia nec in Officio legitur, neque in Missa quatuor Temporum legitur de Vigilia, quæ occurrit in ea.

VI. Gavant. supra lit. m. Evangelium verò non legitur in fine.) Si occurrat alicubi Festum novem Lectionum in Vigilia intra Ad-

ventum, v. g. si Festum Sancti Saturnini alicubi celebretur sub Ritu Duplici, vel Semiduplici, & occurrat intra Adventum; cum eadem



eadem die occurrat etiam Vigilia Sancti Andree, quaeritur, an Evangelium dictae Vigiliae legi debeat in fine Missae; & huic quaesito respondet Gavantus supra negativè, dicendo: *Evangelium verò non legitur in fine*, adducendo hanc rationem: quia nec in Officio, neque in Missa quatuor Temporum legitur de Vigilia, quae occurrit in ea. Ceremoniale Monasticum *lib. 4. cap. 11. n. 10.* consentit Gavanto, asserendo: *quòd in dicto casu in Missa de Sancto, secunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia, quavis alioquin Missa Vigiliae praefertur Missa Adventus; in fine verò dicitur Evangelium Sancti Johannis, atque idem fiet in Vigilia Sancti Thome, nisi in quatuor Temporibus occurrat; tunc enim dicitur Missa de quatuor Temporibus cum Commemoratione Vigiliae, sed sine Evangelio ejusdem in fine.* Rationem suae sententiae asserit Gavantus etiam *tit. 13. lit. 1.* ubi asserit, in Feriis Quadragesimae, & quatuor Temporum, ideo in fine Missae non debere dici Evangelium Vigiliae, si quae occurrit in dictis Feriis, quia de ea lecta non est Homilia in Officio. Guyetus tamen *lib. 4. cap. 6. quest. 4.* sustinet, in casu supra exposito Festi occurrentis in aliqua Vigilia intra Adventum, &c. legendum esse Evangelium Vigiliae in fine Missae, hoc argumento ductus, nimirum, quia quavis ratio à Gavanto allata, quoad Ferias Quadragesimae, & quatuor Temporum, valere possit; haud tamen idem est in Casu proposito Festi occurrentis: nam ideo in Festo praedicto non legitur Homilia Vigiliae, quia de ea non fit Commemoratio ad Laudes; quae si fieret, haud dubiè legeretur Homilia ad Matutinum, cum nihil impediat: unde per accidens est, quòd non legitur. Ratio verò, cur occurrente Vigilia in Feriis Quadragesimae, & quatuor Temporum, non recitetur Evangelium in fine Missae, non est ea, quam tradit Gavantus non dissentiente Guyeto, nimirum, quia omisum fuit ad Matutinum; sed quia tunc

duae Missae Conventuales dici non praescribuntur, in quo tantum casu legitur Evangelium Vigiliae in fine Missae Privatae. In nostra autem hypothese non impedit tempus Adventus, quin dicantur duae Missae in Ecclesiis Cathedralibus, & Colleg. una de Festo, alia de Vigilia; ut praescribit hujus tituli Rubrica *n. 1. pag. 4.* quae sic habet: *In Feriis tamen Quadragesimae, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam si Duplex, vel Semiduplex Festum occurrat . . . . cantantur duae Missae, una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.* Idem etiam praescribitur in Rubrica *tit. 7. n. 2. pag. 13.* ex quibus omnibus inferitur, quòd etiam in Missis Privatis dici debet Evangelium Vigiliae in fine, par siquidem est utriusque ratio. Huic Guyeti Sententiae consonat etiam praxis Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, quae hac die 29. Novembris praesentis Anni 1734. quo haec scribo, celebrat Festum translatum Sancti Gregorii Tertii PP. sub Ritu Duplici, & post Nonam, Missam Solemnem Conventualem celebrat de Vigilia, & in Privatis Missis legit Evangelium Vigiliae Sancti Andree, ut in ejusdem Basilicae Calendario hac eadem die legere mihi occurrit, quòd etiam factum fuerat A. 1729. in Vigilia ejusdem S. Andree occurrente pariter infra Adventum, & cum Festo translato S. Nicolai PP. I. sub Ritu Duplici. In hoc solium casu Evangelium praedictae Vigiliae omitti deberet, quando Evangelium Feriae, vel Vigiliae idem omnino esset cum Evangelio Festi occurrentis, ut contingeret in Festo Expectationis B. Mariae Virginis, quando incideret in Feriam quartam quatuor Temporum: tunc enim Rubrica ejusdem Missae disertè praescribit, omittendum fore Evangelium Feriae in fine Missae. Praedictae Guyeti, & nostrae sententiae favet etiam Billus *lit. E. n. 157. §. 6.* ubi ait, cum Guyeto, quòd si in dicta Vigilia occurreret Festum aliquod Duplex, vel Semiduplex, in fine Missae de



tali Festo non debet legi Evangelium Ferie, quæ non habet proprium, sed Evangelium Vigiliæ; quamvis hoc Evangelium lectum non fuerit in Officio, in quo ideò lectum non fuit, quia neque ad Laudes facta est Commemoratio Vigiliæ: è contrà verò, sicut in Missa fieri debet post Feriam talis Commemoratio, ita in fine convenienter legitur ejusdem Vigiliæ Evangelium.

VII. Pro Coronide Observationum, & Additionum spectantium ad hunc Titulum de Ferie, & Vigiliæ, lubet colligere Decreta, quæ à S. R. C. emanarunt, pertinentia ad Vigilias Festorum in communi, & in particulari.

Vigilia S. Mathiæ Apostoli occurrens in Ferie 3. post Dominicam Quinquagesimæ non potest anticipari cum jejuniis: ita S. R. C. in Decreto dato in nostro Indice sub num. 508.

Quadragesimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, necnon in diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo Duplici, vel Semiduplici, non licet post Primam celebrare Missam prædictarum Feriarum, sed servanda sunt Rubricæ: ita eadem S. R. C. in Decreto dato à nobis sub n. 548.

Occurrente Vigilia S. Johannis Baptistæ in Festo Corporis Christi, licet jejunium anticipetur die 22. Junii; tamen in Missa, & Officio nihil fit de eadem Vigilia: ita S. R. C. in Decreto sub n. 602.

Vide etiam aliud Decretum sub n. 281.

In Vigilia Epiphaniæ Missæ Votive, & Defunctorum celebrari non possunt: ita in Decreto dato sub n. 635.

Vide etiam Decretum sub n. 514. Et aliud sub n. 607.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. IV. De Missis Votivis S. Mariæ & aliis.

I. Rubr. n. 2. pag. 6. *In Adventu autem, &c.* In Sabbatis Adventus non impeditis Officio, aut Festo novem Lctionum, quamvis non recitetur Officium de Sancta Maria in Sabbato, sed dicatur Officium de illa Ferie; Missa tamen Principalis dicitur de Beatissima V. M. (nempe Votiva illa, quæ est in Missali de Sancta Maria ab Adventu, usque ad Nativitatem Domini, quæ incipit: *Rorate*) unde etiam in hoc casu Missa discordat ab Officio, diciturque talis Missa in paramentis albis, cum Commemoratione Ferie de Adventu, &c. nisi tamen fuerint quatuor Tempora, vel Vigilia v. g. S. Andreæ, vel S. Thomæ Apostoli, & multo magis Vigilia Nativitatis Domini: his enim in ejusmodi Sabbato incidentibus, dicitur Missa Principalis non de S. Maria, sed de Sabbato quatuor Temporum, vel de Vigilia occurrente.

Porro in Missa hujusmodi S. Mariæ in Sabbato tempore Adventus, dicitur *Gloria* sicut *Credo*, Oratio secunda de Ferie Adventus, tertia de Sancto Spiritu; aut de Festo Simplicis, si tale occurrat, Præfatio consueta de S. Maria, nempe *Et te in Veneratione, &c.* In fine *Ite, &c.* & Evangelium S. Johannis. Quamvis autem in hujusmodi Sabbatis, in quibus Officium, & Missa discordant, color paramentorum Sacerdotalium debeat esse conformis Missæ Votive de S. Maria, nempe albus; color tamen Altaris, nempe interpendii correspondet Officio, saltem dum recitantur Horæ Canonice, atque adeo debet esse violaceus: sed dum cantatur Missa, inharendo nostro Gavanto *Ti. 18. prima pars* in fine, & praxi omnium Basilicarum Urbis, color debet esse albus. Ex prædictis colligitur etiam, quinam color adhiberi



beri debeat in Missis Vigiliarum, quae dicuntur in diebus infra aliquam Octavam occurrentibus, de quibus supra fuit sermo.

II. Gavant, pag. 6. col. 2. lit. n. *Non excludit tamen Privatas Missas, &c.* Ex quo Rubrica n. 2. hujus tit. praescribat in praedicto casu, quod Missa Principalis, seu Conventualis dicenda sit de Sancta Maria, videtur non excludere Missas Privatas de FERIA, ut etiam docet Gavantus *hic*; quae si dicantur, resumitur debet Missa Dominicae praecedentis sine Gloria, & Credo, ac sine Alleluja, & versu sequenti post Graduale; & in ea secunda Oratio erit: *Deus, qui de B. M. V. tertia Ecclesiae, vel pro Papa, nisi facienda sit Commemoratio Simplicis: tunc enim secunda est de Simplici, tertia Deus, qui de B. M. V. Praefatio communis, in fine Benedicamus, &c. & Evangelium S. Johannis.* Halden in Ephemerologio Ecclesiastico *part. 1. tit. 64.*

III. Gavant, pag. 7. col. 1. ead. lit. n. *Cum non respondeat Officio de Adventu, &c.* Ex

quo praedicta Missa de S. Maria in Sabbatis Adventus non correspondeat Officio; in hoc sensu Votiva dici potest, ut notat Gavantus hoc loco. Verum, quia talis Missa non est ad libitum, sed praecipua à Rubrica sup. cit. & quia debet cantari post Sextam, ut docet idem Gavantus *hic & tit. 15. num. 1.* non potest absolute, & strictè dici Votiva: Votivae enim cantantur post Nonam, ut infra videbimus.

IV. Rubr. n. 3. pag. 7. & Gavant. *ibid.* col. 2. lit. o. *Non est Duplex, &c.* Agunt hoc loco Rubrica, & Gavantus de Missis Votivis, de quibus vide ea, quae à nobis tradita sunt supra in nostris Praenotionibus Liturgicis n. LVI. sed de hujusmodi Missis Votivis, nos ut ibi innuimus, inhaerentes Gavanti vestigiis, nonnulla hic trademus: & quia multa sunt, quae pro earum praxi, & Ritu colliguntur ex Auctoribus; ideo operae pretium ducimus, clara, & distincta methodo procedere in hac materia. Sit igitur

## §. I.

## De Missarum Votivarum multiplici genere.

V. Missae Votivae sunt triplicis generis, Primi generis sunt illae, quae dicuntur de aliquo Sancto, vel de aliqua Sollemnitate, de qua juxta Rubricas Missalis per Anni circulum celebratur dies Festus. Quaequam autem Missae dicendae sint de praedictis Sanctis, & Sollemnitatibus, & quo Ritu sint celebrandae, dicemus infra suo loco.

Secundi generis Missae Votivae (sequendo ordinem à Castaldo descriptum *lib. 2. sed. 6. cap. 4.*) sunt illae, quae habentur in Missali Romano post Commune Sanctorum, & Dedicacionis Ecclesiae. Hujusmodi autem Missae singulis diebus per hebdomadam assignatae, octo recensentur, videlicet: Feria secunda de SS. Trinitate, Feria tertia de Angelis, Feria quarta de Apostolis, Feria quin-

ta de Spiritu Sancto, vel SS. Sacramento, Feria sexta de S. Cruce, vel de Passione, Sabbato de B. M. V.

VI. Hujusmodi autem Missae octo secundi generis possunt dici loco Missae Conventualis in diebus ferialibus, juxta dispositionem superioris Rubricae, quae habetur n. 3. Caterum in aliis diebus, & loquendo de aliis Missis Votivis, non potest Missa Votiva suffragari pro Conventuali: & hoc clarè constat ex Decretis à S. R. C. emissis, quae dantur in nostro Indice *sub n. 198. & sub n. 203.*

Adnotandum tamen est, quòd in Feria secunda pro Missa Conventuali, potest etiam dici Missa Defunctorum loco Missae Votivae SS. Trinitatis; ut habetur in Rubrica Missalis praefixa his octo Missis Votivis,



Tertii generis Missæ Votivæ, quæ olim erant tredecim, modò quatuordecim enumerantur, quæ habentur in fine Missalis Romani, videlicet: Prima pro eligendo summo Pontifice; Sede vacante; Secunda in die Creationis, & Coronationis Papæ, ejusdemque Anniversario; Tertia in Anniversario Consecrationis Episcopi; Quarta ad tollendum schisma; Quinta pro quacumque necessitate; Sexta pro remissione peccatorum; Septima ad postulandam gratiam benè moriendi; Octava contra Paganos; Nona tempore belli; Decima pro pace; Undecima

pro vitanda mortalitate, vel tempore pestilentie; Duodecima pro Infirmis; Decimatercia pro Peregrinantibus, vel iter agentibus; Decimaquarta pro Sponso, & Sponsa.

VII. Nuperrimè huic tertio Missarum generi addita fuit illa, quæ septimo loco posita est, nempe, ad postulandam gratiam benè moriendi, pro qua extat Decretum à R. C. editum die 20. Martii 1706. & datum est in nostro Indice sub num. 599. quæ eadem Missa composita fuit à Ven. Card. Tomasio, demandante Summo Pontifice Clemente XI. san. mema.

## §. II.

*De diebus, in quibus possunt, vel non possunt, celebrari Missæ Votivæ.*

VIII. Missarum Votivarum tertii generis, prima, secunda, tertia, & decimaquarta, dicuntur Votivæ, quia non sunt de die; non tamen dici possunt quocumque tempore: sed prima, sede vacante tantum: secunda, & tertia in Anniversaria die Creationis Papæ, vel Episcopi tantum; decimaquarta in Benedictione Nuptiarum. Prima quæ est de Electione, & secunda, quæ est pro Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, celebrari possunt etiam in Dominicis, & aliis Festivis diebus, ut tradit Castaldus *loc. cit.* & Gavantus *part. 4. tit. 17. num. 18.* Verùm quoad primam, nempe, quæ dicitur pro eligendo Summo Pontifice, Gerlacus Vinitor, qui *part. 1. tit. 4. in adnot. §. 1. & 12.* convenit cum Castaldo §. 13. loquitur cum aliqua exceptione, asserendo cum Gavanto, quod Missa pro eligendo Summo Pontifice, prima vice tantum dici potest etiam in Dominica, seu Festo Duplici.

Secunda pariter ex dictis Missis tertii generis, quæ est pro Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, etiam in Dominicis, & aliis Festivitatibus dici potest, ut tradit Castaldus *cit. loc. n. 5.* occurrentibus nempe

in die Anniversaria Creationis & Coronationis Papæ; quam sententiam tenet pariter Turrinus *part. 2. sect. 1. cap. 2.* citans pro Gavantum *part. 4. tit. 17. num. 18.* qui tamen subobscure loquitur, confundens veluti hanc Missam cum illa de eligendo Pontifice, quæ solum prima vice juxta ipsam potest celebrari in Dominica, seu aliis diebus Festivis. In Anniversario autem Episcopalis Consecrationis, quamvis Castaldo idem sentiat, nempe de tertia Missa præter tertii generis; nihilominus Turrinus *loc. cit.* contra Castaldum asseverat, inhaerens Gavanto *loc. cit.* non posse celebrari dictam Missam tertiis diebus Dominicis & Festivis, sed prædictis diebus dicendam esse Missam de Dominica, vel die Festivo, cum Commemoratione pro Episcopo, prout clarè disponit Ceremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 35.* & Concilium Provinciale Mediolanense *IV. de his quæ pertinent ad Sacrificium &c.* De quo videri etiam potest Decretum S. R. C. die 4. Aprilis 1705. & datum in nostro Indice sub num. 593.

IX. Utrum autem unica tantum Missa Sollemnis, vel etiam Privatæ Missæ dici debeant his diebus Coronationis, & Creatio-



nis Papae, & Consecrationis Episcopi, est dubium à praefato Turrino discendum; in cuius decisione resolvit, quod etiam Missae Privatae in Consecrationis Episcopi Anniversario dici debent: hac ratione motus, quia in Rubrica Missalis sic habetur: *in die &c. dicitur Missa*: ergo cum Rubrica non limitet, nec nos limitare debemus. Secundo quia in Missali habemus, quod in eadem Missa dicitur *Credo*; loquendo autem de Missa sollemni hoc videtur superfluum: ergo de Privatis intelligendum est, dicit Turrinus: nec approbat, quod docet Castaldus *lib. 1. sect. 10. num. 41.* nempe Sacerdotes tantum Cathedralis, non vero alios Dioecesis teneri ad praedictam Missam Anniversariam celebrandam; Concilium quippe Mediolanense IV. quod in margine citat pro se, hoc non exprimit; imò *cap. de his qua pertinent ad Sacrificium Missae*, contrarium sentit; ubi dicit, in Calendario notandam hanc diem, ut à Sacerdotibus, & reliquo Clero (& indefinite loquitur) Sacrificiis recolatur.

Procedit ulterius Turrinus, asserendo, quod in Anniversario Creationis, & Coronationis Papae, etiam Missae Privatae debeant dici de tali Creatione &c. ab omnibus Sacerdotibus, supponens quod in aliis Dioecibus celebraretur hoc modo ab omnibus Sacerdotibus Annivers. Consecrationis Episcopi; & reverà si subsisteret hac sententia, non posset rejici alia prior, cum Papa sit Episcopus universalis Ecclesiae. Verum circa hanc quaestionem, omne submovet dubium praesens Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, & aliarum Basilicarum Urbis, in quibus in Anniversaria die, tam Creationis, quam Coronationis Summi Pontificis, cantatur post Nonam, adeoque post Missam Conventualem, unica tantum Missa Sollemnis, quae est de Creatione, vel Coronatione &c. & allumitur illa, quae est in Cathedra Romana 18. Januarii, cum unica Oratione tan-

tum, quae est pro Papa, nempe *Deus omnium Fidelium Pastor &c.* cum Gloria, & Credo, & Praefatio de Apostolis, in colore albo. Praeter hanc Missam Sollemnem, dicendam etiam in diebus Festivis, ut supra; ab aliis Sacerdotibus, etiam earumdem Basilicarum, nulla dicitur Missa Privata, neque ulla sit Commemoratio de tali Anniversario Creationis, & Coronationis Papae: & puto, sic fieri respectivè in aliis Dioecibus in die Anniversario Consecrationis sui Episcopi; cum reverà nihil aliud praescribatur à *Ceremon. Ep. sc. loc. supra.* Pro Missa Anniversaria Consecrationis Episcopi, vide etiam, quae traduntur à Gavanto *part. 4. tit. 17. n. 20.* & ea quae ibidem sub *num. 4.* adnotantur à nobis.

X. Decima verò quarta Missarum Votivarum tertii generis, quae est pro Sponso, & Sponsa, his praesentibus, potest celebrari qualibet die, exceptis diebus Dominicis, & aliis Festivis de praescripto; ut colligit Gavanto *loc. cit. num. 22.* ex Rubr. tali Missae in Missali praefixa: imò Halden *part. 3. tit. 7. pag. mibi 254.* addit, exceptis etiam diebus Duplicibus; nam, si Benedictio Nuptiarum facienda sit die Dominico, vel Festo Duplici; tunc juxta Missale, & Rituale Romanum *tit. de Matrimonio*, dicitur Missa de Dominica, vel Festo, cum Gloria in excelsis, & Credo, si illa Missa id requirat, cum Commemoratione tamen Missae, pro Sponso & Sponsa, ac reliquis, quae pro eorum Communionem, & complemento Benedictionis, in eadem Missa habentur in Missali; quod inter alia monet, in fine Missae Dominicalis, aut Festivae dicendum tunc esse pro more Evangelium S. Johannis: color, qui ad Missam tunc adhibetur, Dominicae, vel Festo illi Duplici, aut diei privilegiato convenire debet. Quae autem porro sint observanda in praxi, circa Benedictionem Sponsorum, vide apud Gavanto *part. 4. tit. 17. à num. 23.* usque ad 26, inclusive.



XI. Decem verò Missæ, quæ remanent dicti tertii generis, & aliæ Missæ Votivæ primi, & secundi generis, dici possunt quacunque die, Dominica non occurrente, aut Duplici, vel Officio; quod Duplex excludat, v. g. occurrente Officio Vigilæ Nativitatis Domini, Feriæ IV. Cinerum, Vigilæ Pentecostes &c. Magis tamen convenire videntur Missæ Votivæ his diebus infra hebdomadam per Annum, habentibus Officium feriale, dummodò non sit resumenda Missa Dominica impedita: & ob paritatem rationis, ait Turrinus *part. 2. sect. 1. cap. 2.* etiam dummodò non sit anticipanda aliqua Dominica, cujus Sedes ab aliquo Festo, vel Dominica majori occupetur, puta secunda post Epiphaniam, cujus Officium fiat in Sabato, quando Septuagesima vindicat sibi diem proximum sequentem. Verùm cum Gavanto *titulo IV. lit. o. §. Dubitatum est*, advertimus, absolute loquendo, etiam prædictis diebus, in quibus resumitur Missa Dominica, posse dici Missam Votivam. Solùm igitur in illis Feriis, in quibus resumitur Missa Dominica, non potest cantari Missa Votiva, ex illis octo, quæ sunt secundi generis, correspondens tali Feriæ, quæ suffragetur pro Missa Conventuali: quia in dicto casu Missa Conventualis debet esse de illa Dominica, quæ fuit impedita.

XII. Ex his omnibus, & ex Rubrica Missalis præfixa Missis octo, quas nos secundi generis appellamus, liquet, quòd quamvis illæ Missæ assignentur, prima de Trinitate pro Feriâ 2. secundâ de Angelis pro Feriâ 3. &c. nihilominus pro Sacerdotis devotione, quacunque die dici possunt per hebdomadam, dummodò Festum Duplex non occurrat &c. Verùm si cantentur in diebus à Rubrica assignatis, possunt suffragari pro Missa Conventuali, ut patet ex superiori Rubrica, & ex Decretis Sac. Congreg. à nobis supra allegatis.

Quamvis Missæ Votivæ Privatæ dici non possint currente Officio Duplici, vel Domini-

ca &c. pro re tamen gravi, vel publica Ecclesiæ causa, Missa Sollemnis quacunque die, etiam Dominica, ac Duplici, cantari poterit, non tamen in majoribus Sollemnitatibus. Quanam autem sit res gravis pro licita Votivæ Missæ decantatione, exprimitur in Decreto S. R. C. sub die 19. Maji 1607, quod datur in nostro Indice sub n. 58. & explicabimus §. XI. in quo agemus de Missa Votiva Sollemni.

Ratio autem, ob quam Ecclesia inducatur ad tolerandas Missas Votivas Privatas, aliis infra hebdomadam per Annum habentibus Officium feriale, potius quàm in ferialibus diebus Adventus, Quadragesimæ, Vigilæ, vel in Festo Semiduplici, vel Simpliciter, est, ut tradit Turrinus supra *cap. 2.* immò, quia in ferialibus diebus extra Adventum, Quadragesimam &c. non assignatur Missa peculiaris, sed de præcedenti Dominica: ac proinde dicendo Missam Votivam, nulla Missa in libro Missali posita sic omittitur; omitteretur autem, si facile concederentur Votivæ in Feriis, quibus dicenda est Missa Dominica impedita, vel ferialis Adventus, Quadragesimæ, aut Vigilæ, vel Festis ex supradictis, quæ omisso non faceretur. Hæc Turrinus. Sed in eo, quod spectat ad Ferias Adventus, omnino fallitur: nam illæ non habent Missam propriam, sed in iis resumitur Missa Dominica præcedentis, sicut in aliis Feriis per Annum. Secunda Turrini ratio est, quia diebus ferialibus non impeditis per Annum, Missa Votiva ab Officio diei minus discordat, quàm eadem Votiva ab Officio feriali Quadragesimæ, Semiduplicium &c. quæ Officii discordantia maxime ab Ecclesia cavetur. Quapropter, etiam si in prædictis Feriis Quadragesimæ, & aliis diebus, in quibus Semiduplex Officium recitatur, absolute loquendo, Missæ Votivæ celebrari possint; tamen hæc dici non debent, nisi interveniente aliqua rationabili causa: unde qui, ut citò se expediant, vel simili-



aliqua levi occasione permoti, Missam currentem in Votivam permutarent, contra Rubricam dispositionem profectò operarentur.

De Missa autem Votiva alicujus Sancti eo die, quo ille obiit, vel quia Titulus est Altaris, seu Cappellæ; quomodo, & quando possit celebrari, dicemus infra in §. 7. de Ingressu ad Missam Votivam, & diximus supra tit. 1. n. 2. nostrarum Observationum.

XIII. Superest nunc, ut hoc loco colligamus Sac. Rit. Congreg. Decreta, declarantia, quibus diebus Missæ Votivæ Privatæ, vel Sollemnes non possunt, vel possunt celebrari.

Missæ Votivæ acceptatæ pro diebus Duplicibus, vel aliis privilegiatis, auctoritate Apostolica permittitur, ut possint transferri in alios dies non impeditos. S. R. C. 19. Maji 1614. Et datur in nostro Indice n. 143.

Missarum ob multitudinem jam acceptarum, & pro quibus satisfaciendis non sufficiunt dies non impediti; ex speciali gratia Sanctissimi conceditur, ut sufficiat applicare valorem Missæ currentis, & ordinariæ pro Viis, & Defunctis, qui postulaverunt Missas Votivas. S. R. C. 19. Maji 1614. Et datur in nostro Indice sub n. 144.

XIV. In diebus, in quibus non potest fieri de Festo Duplici, prohibentur Missæ Votivæ &c. Ita declaravit S. R. C. die 28. Augusti 1627. Et datur in nostro Indice sub n. 217.

Conceditur tamen privilegium Monachis Congr. Vallis Oletanæ canendi singulis diebus Missam Votivam de B. V. S. R. C. 19. Novembris 1633. Et datur in nostro Indice sub n. 273.

Missæ Votivæ, quas ex obligatione Capitulum tenetur per hebdomadas celebrare certis diebus præscriptis, in quibus multoties occurrit Festum de præcepto, debent transferri in alteram diem non impeditam de præcepto. S. R. C. 9. Decembris 1634. Et datur in nostro Indice sub n. 277.

Missæ Votivæ non possunt dici ullo modo  
Gavant. Rubr. Miss.

in Dominica Palmarum, S. R. C. 14. Aprilis 1646. Et datur in nostro Indice sub n. 289.

Missæ Votiva de B. V. in Vigilia Pentecostes non potest dici. S. R. C. 19. Augusti 1651. Et datur in nostro Indice sub n. 306.

Missæ Votiva de B. M. V. cum Gloria, & Credo potest celebrari ob publicam causam, & ratione concursus. S. R. C. 8. Junii 1658. Et datur in nostro Indice sub n. 328.

Missæ Votiva Sollemnis de B. M. V. potest celebrari in die Dominico ratione concursus Populi. S. R. C. 20. Novembris 1662. Et datur in nostro Indice sub n. 397.

Missæ Votiva Cantata de B. M. V. cum Gloria, & Credo potest celebrari in die Dominico causa voti, seu alia causa. S. R. C. 16. Junii 1663. Et datur in nostro Indice sub n. 401.

Missæ Immaculatæ Conceptionis qualibet die Sabbati non conceditur. S. R. C. 20. Julii 1669. Et datur in nostro Indice sub n. 437.

Non possunt celebrari Missæ Votivæ infra Oct. Corporis Christi, S. R. C. 21. Julii 1670. Et datur in nostro Indice sub n. 442. Et aliud 15. Septembris 1714. Et datur in nostro Indice sub n. 627.

Missæ Festivitatæ Conceptionis, non potest celebrari in Sabbato, ut Votiva. S. R. C. 30. Decembris 1679. Et datur in nostro Indice sub n. 453.

Religiosi, aut Religiosæ professio sub gravi numerari non potest, ita ut cani possit Missæ Votiva Sollemnis: & licet sit consuetudo cantandi in tali casu Missam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel Duplicibus; esse tamen abusum declaravit S. R. C. 24. Julii 1683. Et datur in nostro Indice sub n. 462.

Missæ Votivæ de Venerabili, vel de B. M. V. in cantu fundatæ, non possunt dici in Duplicibus, aliisque diebus Duplicia excludentibus; sed cantari debent Missæ de Festo currenti cum applicatione Sacrificii; sicque satisfieri, & Benefactorum mentem impleri, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quam abusum esse declaravit

M

S. R. C.



S. R. C. 24. Julii 1683. Et datur in nostro Indice sub n. 463.

Missæ Votivæ prohibentur infra Octavam Nativitatis Domini. S. R. C. 25. Septembris 1706. Et datur in nostro Indice sub n. 603.

Et iterum die 15. Septembris 1714. Et datur in nostro Indice sub n. 628.

In Vigilia Epiphaniæ Missæ Votivæ celebrari non possunt. S. R. C. 10. Decembris 1718. Et datur in nostro Indice sub n. 635.

Præterea occasione expositionis Sanctissimi Sacramenti, pro Oratione continua quadraginta Horarum Clemens XI. in Constitutione 9. quæ habetur in ejus particulari Bullario *part. 2.* & quæ incipit Italicè: *Esfendo statefate*, & c. §. 10. præscribit - Quòd ad Altare, ubi exponitur SS. Sacramentum, non celebretur alia Missa, quàm Sollemnis pro expositione, & repositione: & ultra Conventualem (in Ecclesiis, in quibus adest obligatio eam cantandi) celebretur post Nonam Missa SS. Sacramenti Votiva pro re gravi; exceptis tamen omnibus illis Dominicis, quæ

sunt primæ vel secundæ Classis, & omnibus diebus, quibus ratione Calendarii, tam universalis, quàm particularis illius Ecclesiæ, in qua fit expositio, fiat Officium itidem primæ, vel secundæ Classis; ac excepta etiam Feria 4. Cinerum, & Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ; item omnibus diebus infra Octavas Paschatis, & Pentecostes; Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, & die Octavæ Epiphaniæ; in quibus Dominicis, aliisque diebus, & Feriis exceptis, cantetur Missa Conventualis cum Oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione: & ita servari mandavimus omnibus Ecclesiis tam Secularium, quàm Regularium. Die verò media celebratur Missa Votiva Sollemnis de Pace; ut enunciat in dicta Constitutione, quæ datur etiam à nobis inter nostras Observationes ad tit. 14. secundæ Partis. Ex dispositione contenta in præfata instructione inferunt communiter recentiores, non posse celebrari Missam Sollemnem Votivam pro re gravi in diebus primæ, & secundæ Classis.

### §. III.

#### *De quibus Sanctis, vel Sollemnitatibus dici possint, vel non possint Missæ Votivæ.*

XV. De tempore, ex. gr. de Dominica, de Adventu, de Quadagesima, &c. item de Festis mobilibus, v. g. de Paschate, Ascensione Domini, &c. Missæ Votivæ certissimum est quòd non celebrantur. Verùm de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Passione Domini, de Sanctissimi Corporis Christi Sacramento, &c. Missæ Votivæ dici possunt: attamen non eæ, quæ in suis Festivitatibus habentur, ut videbimus infra; sed eæ, quæ in fine Missalis assignantur ut Votivæ de præfatis Mysteriis, & Sollemnitatibus: Castaldus *lib. 2. sect. 4. cap. 4. n. 2.* Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 4. §. 3.* Hagerer in Appendice de Missis Votivis *tit. 2. §. 1.* De supradictis Mysteriis Christi Do-

mini, Resurrectione, vel Ascensione, seu Nativitate, aut quovis alio; quamvis non habeatur Missa Votiva propria, sicut habetur de Trinitate, &c. nihilominus, si de præfatis Mysteriis exigatur Missa, cæteris *Guyetus lib. 4. cap. 21. quest. 2.* posse dici Votivam de SS. Trinitate, seu etiam, ut vult Ceremoniale Monasticum *lib. 3. c. 13. n. 6.* diei occurrentis, cum intentione venerandæ Festivitatem, seu Mysterium, cujus petitur Missa. Quæ enim incommoda Gavarrus *part. 4. tit. 17. n. 8.* sequi ait, ex mutationibus faciendis, si exigatur Missa de Assumptione, vel Nativitate B. V. v. g. in Introitu *Gaudeamus omnes in Domino*, vocis illius, *Annus Festum in Commemorationem*, & aliis similibus



ea longè plura, & incongruentiora occurrunt in Missis Mysteriorum Christi Domini, puta in omittendis *Alleluja* in Introitibus Paschæ, Ascensionis, &c. in substituendis Graduali, Tractu, aut duplici versu pro ratione Temporis, &c. Similiter si exigatur Missa Votiva de Reliquiis ejusdem Christi Domini, puta de *Fasciis*, de *Corona Spinea*, de *Lancea*, de *Clavis*, de *Sacra Sindone*, &c. item & de *Nomine Jesu*, dici potest Missa de *Cruce*, vel de *Passione*, vel diei occurrentis cum intentione venerandi prædictas Reliquias: nisi fortè de eisdem habeatur Missa propria legitimè approbata; sicuti in aliquibus Missalibus, & pro aliquibus locis reperitur *Missa de Lancea*, & *Clavis Domini*, approbata, & concessa à Bonifacio VI. & Innocentio VI. ut dicatur per Germaniam proxima Feria 6. post Octavam Paschæ non impedita Festo novem Lectionum; sic etiam reperitur particularis Missa de *Corona Spinea*, approbata pro toto Ordine Cisterciensi, & dicenda etiam in Ecclesiis Monialium ejusdem Ordinis utentium Breviario Romano, necnon in Ecclesia Canonissarum Lateranensium Viturclen. Diocesis Balneoregensis: rursus habetur quoque Missa peculiaris de *Sacra Sindone* ab Eminentissimo Cardinali Bona compacta, & concessa pro toto Serenissimo Sabaudia Dominio: & denique Missa SS. Nominis *Jesu* approbata, & dicenda nunc in tota Universali Ecclesia, Dominica II. post Epiphaniam.

De Sanctis verò non descriptis in Calendario, quamvis non possit celebrari Officium Divinum ad satisfaciendum propriæ obligationi, nisi adsit specialis concessio; & consequenter non possint dici Missæ propriæ eorumdem Sanctorum secundum ordinem Officii: possunt nihilominus dici Missæ Votivæ de quocunque Sancto, de cujus Canonizatione constat, vel ex Martyrologio, vel aliàs: cui sententiæ favere videtur Gavantus *part. 4. tit. 17. n. 13.* & Guyetus *lib. 4. cap. 21. quest. 2.* præsertim *Quarti part. 1. tit. 4.*

*dub. 7.* ubi citat pro sua sententiâ nonnullos Theologos, præsertim verò Bellarminum *tom. 1. Controv. lib. 1. cap. 7.* Ratio autem præter alias, quas adducit in comprobationem hujus communis sententiæ, est: quia juxta Rubricas possunt dici Missæ Votivæ de Sanctis, absque ulla exceptione. Hanc questionem tractat etiam noster Pasqualigus *tom. 1. de Sacrif. Missæ quest. 270.* Diximus posse dici Missam de quocunque Sancto, de cujus Canonizatione constat, &c. ex quo infertur, hoc nomine non venire Sanctos toleratos tantum, hoc est illos, de quorum Canonizatione, nec ex Martyrologio, nec aliàs constat; sed solummodo, vel ob miracula patrata, vel aliunde ab hominibus, sciente, & non contradicente Ecclesia, Sancti appellantur, & coluntur, privato, non verò publico, & universali cultu ab Ecclesia concessio.

XVI. Gravis agitur quæstio inter Theologos: utrum possint dici Missæ Votivæ de Beatis, nondum canonizatis. Prima sententia concedit, posse dici prædictas Missas Votivas de Beatis à quocunque, & quomodocunque, & quavis die, scilicet in qua sit permessa celebratio Missæ Votivæ: quia hoc ipso, quòd Sedes Apostolica Beatorum Factis aliquem adscripsit, & dignum, in cujus honorem semel celebrari possit Missa; quilibet recitans Missam, quacunque die, & in quacunque Ecclesia in honorem illius Beati, id facit auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ abstulit impedimentum, &c. Ita Pasqualigus *tom. 1. de Missæ Sacrificio quest. 277. n. 3. & seqq.* & alii Auctores, quos congerit *Quarti part. 1. tit. 4. dub. 6. v. Prima sententia, & seq.* Communior tamen sententia, & vera (quam sequitur idem *Quarti loc. cit. v. Secunda sententia*) negat, in honorem Beati nondum canonizati posse dici Missam extra diem assignatam, vel ab aliis personis, vel in aliis Ecclesiis, non expressis in diplomate Beatificationis: idque deducit ex *cap. 1. de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*, tum



ex Decreto S. R. C. die 16. Decembris 1652. & quod exhibetur in Appendice nostri Indicis Decretorum n. 717. ubi habetur: *Non posse tam Seculares, quam Regulares, cujuscunque Ordinis, & instituti, excedere limites verbales Sedis Apostolicae super Beatificationibus, praesertim in celebratione Missarum, Officii cum Octava, &c.* Præterea veritas hujus secundæ, & communis sententiæ confirmari etiam poterit ex aliis Decretis S. R. C. quæ dantur in nostro Indice sub n. 331. & sub num. 363. necnon 366. ex quibus omnibus eruitur, nemini licere aliquem venerari cultu publico absque licentia Sedis Apostolicæ. In casu autem nostro de Beatis, licentia non est concessa eos publicè colendi recitatione Divini Officii, & oblatione Sacrificii, nisi determinatis personis, & pro diebus, & locis determinatis; ergo non est licitum prædictos limites excedere, & quacunque die, in quacunque Ecclesia, pro cujuslibet devotione Missam Votivam alicujus Beati celebrare. Huic communi sententiæ subscribunt etiam Bissus *lit. m. num. 231. §. 26.* necnon Guyetus supracitatus.

Supereft nunc, ut mentionem faciamus Decreti S. R. C. sub die 8. Aprilis 1628. in una Urbis, & dati in nostro Indice sub n. 228. in quo prohibetur Missa specialis, de quindecim Auxiliatoribus, quæ impressa erat olim Venetiis: sic pariter in eodem Decreto rejecta fuit Missa de *Patre Eterno*, Matriri olim edita, nec non Missa S. Gregorii intindata pro *Vivis, & Defunctis*.

Convertendo verò sermonem ad Missam

de quatuordecim Auxiliatoribus, nempe de Sanctis Georgio, Vito, Blasio, Dionysio, Pantaleone, Erasmo, Cyriaco, Christophoro, Achatio, Eustachio, Egidio, Catharina, Margarita, Barbara; si celebretur Missa Votiva de istis Sanctis: quamvis non possit dici illa, quæ fuit proscripta à S. C. cujus mox innuimus Decretum: nihilominus, si specialis devotio petentium requirat Missam de his Sanctis, censet Lohner *part. 4. tit. 2. §. 2. n. 3.* posse dici Missam de pluribus Martyribus ex Communi Sanctorum: tum quia plures ex prædictis Sanctis Martyrii palmam adepti sunt; atque adeo major pars trahatur se minorem; tum quia, cum nullus in his Apostolus contineatur, proximi dignitates sunt ipsi Martyres; atque adeo ex hoc capite merito de ipsis potius quam Confessoribus, & de Virginibus Missa legitur; maxime cum pro pluribus Martyribus Missa in Missalibus descripta extet; non item pro pluribus Confessoribus in eo extantes reperiantur.

Pursus si quis habeat onus celebrandi Missam Votivam de Sanctissimo Rosario, vel S. M. de monte Carmelo, quamnam Missam Votivam celebrare debeat, agit Gavattus *part. 4. tit. XVII. n. 9.* & nos cum eodem ibidem sermonem habebimus in nostris Additionibus n. II. Interea recolantur Decreta data in nostro Indice sub n. 189. & sub n. 229. in quorum primo statuitur, Missam propriam Sanctissimi Rosarii non nisi PP. Prædicatoribus esse concessam; in secundo verò decernitur, Missam S. M. de monte Carmelo pariter non nisi à quibusdam Regularibus posse dici; ut paulò infra sub n. XXX.

#### §. IV.

*Quæ, & quales Missæ Votivæ dicenda, vel non dicenda sint de illis Sanctis, vel Sollemnitatibus, seu Mysteriis, de quibus concessum est ab Ecclesia Missas Votivas celebrari.*

XVII. Præmittimus ante omnia Decretum Sac. Rit. Congreg. in quo mandatur, non amplius dici debere, quasdam Missas

Votivas de aliquibus Sanctis, & de aliquibus Sollemnitatibus.

Sacra Rituum Congregatio de ordine Sacra-  
mentorum



etissimi mandat, non amplius dici quasdam Missas Votivas, in quibus Ritus, & veritas verborum violatur, proinde in sequenti Decreto, videlicet: Sanctissimus Dominus Noster Paulus Papa V. viva vocis oraculo, declaravit, & sancivit, amplius recipi aut dici non debere quasdam Missas Votivas, seu Collectas, quæ propriæ sunt Sollemnitatum, aut in Missali Romano designantur: ejusmodi sunt Missæ Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis D. N. J. C. Nativitatis, Purificationis, Assumptionis B. M. V. S. Johannis Baptistæ, & alia ejusmodi, quæ proprios habent Introitus, vel Collectas extra proprios dies, vel Octavas, absurdum esset dicere: quæ verò Missæ hujusmodi jam permixtæ essent, aut receptæ, idem Sanctissimus statuit, ut illis omnibus satisfaciatur dicendo Missam de tempore occurrenti.

Missæ autem Votivæ aliorum Fæstorum, aut Sollemnitatum, in quibus veritas, & Ritus verborum non violatur, nihil prohibet, quin dici possint; sed quantum fieri potest, curare debent Sacerdotes, ut omnes Missæ Votivæ, ad eas, quæ in Missali assignatæ sunt, reducantur; ne Ecclesiæ Ritus ad ejuslibet arbitrium, propriæ devotionis prætextu temerè mutantur.

XVIII. Lubet hic exhibere Indicem Missarum Votivarum, in quarum celebratione apprime servatur Ritus verborum, & veritas: qui quidem Index, tanquam à S. R. C. editus, refertur in Appendice prima Synodi Diocesana Balneoregensi habitæ Anno Domini 1710. & impressæ Viterbi pag. 84.

Egidii Abbatis 1. Septembris.  
Ambrosii Epif. & Doct. 7. Decembr.  
Antonii Abbatis 17. Januarii.  
Apparitio S. Michaëlis Archangeli 8. Maji.  
Augustini Epif. Doct. 28. Augusti.  
Bernardi Abbatis 20. Augusti.  
Barnabæ Apostoli 11. Junii.  
Callisti Papæ, & Mart. 14. Octobris.

Cypriani, & Justinae Mart. 26. Septembr.  
Damasi Papæ, & Conf. 11. Decembr.  
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli 29. Septembris.

Dominici Confels. 4. Augusti.  
Fabiani, & Sebastiani Martyrum 20. Januarii.  
Felicis, & Adacti Mart. 30. Augusti.  
Francisci Confels. 4. Octobris.  
Francisci de Paula 2. Aprilis.  
Gregorii Theol. Epif. 9. Maji.  
Grylogoni Mart. 29. Novembris.  
Hieronymi Conf. & Doct. 30. Sept.  
Hilarii Epif. & Conf. 14. Januarii.  
Hilarionis Abbatis 21. Octobris.  
Ignatii Epif. & Mart. 1. Februarii.  
Inventio S. Crucis 3. Maji.  
Johan. ante portam Latinam 6. Maji.  
Johan Chryf. Epif. & Conf. 27. Januarii.  
Luca Evang. 18. Octobris.  
Ludovici Regis Francorum Confels. 25. Augusti.  
Marci Papæ, & Confels. 7. Octobris.  
Mariæ Magdalena 22. Julii.  
Matthæi Apostoli 21. Septembris.  
Matthæi Apostoli 24. Februarii.  
Nazarii, & Sociorum Mart. 28. Julii.  
Petri Mart. 29. Aprilis.  
Pontiani Papæ & Mart. 19. Novembr.  
Quadragesima Martyrum 10. Martii.  
Septem Fratrum Mart. 10. Julii.  
Sergii, Bachi, & Sociorum Martyrum 20. Junii.

Stanislai Epif. & Mart. 7. Maji.  
Thomæ de Aquino Conf. 7. Martii.  
Timothei Epif. & Mart. 29. Januarii.  
Vincenzii, & Anastasii Mart. 22. Januarii.  
Viti, & Modesti Mart. 15. Junii.  
Zepherini Papæ, & Mart. 26. Augusti.

## EX COMMUNIBUS.

Unius Martyris Pont. Introit. *Statuit. Oratio Infirmis &c.*  
Martyris, tempore Paschali, Introitus *Prorex fti, &c.* Quando dicitur *Oratio Infirmis &c.*  
Doctores, Introit. *In medio Ecclesiæ, Oratio Deas qui Populo &c.*



Abbatis, Introitus *Os Iust.* Oratio *Intercessio*  
*&c.*

Virginis Martyris, Introitus *Me expectaverunt, &c.* Oratio *Indulgentia, &c.*

Post editionem hujus Indicis, & publicationem allegati Decreti editæ fuerunt alia Missæ, quæ pariter dici possunt etiam in gradu Missarum Votivarum, quin varietur veritas, & Ritus verborum, quæ in dictis Missis habentur.

Ex Decreto allegato à prædicta Synodo liquet, quòd loquendo de Missis Votivis primi generis, nempe de Missis Votiva alicujus Sancti, debet assumi Missa propria illius Sancti, si habeatur in Missali, vel in proprio illius loci, in quo Missa dicitur, dummodò tamen veritas, & Ritus verborum non violentur; & idèò excluduntur aliquæ Missæ aliquot Festivitatum à Classe Votivarum.

Si tamen possit variari v. *Hodie*, ubi reperitur, & mutari in Oratione vox *Natalitia, Festivitas, Solemnitas*, & alia hujusmodi in vocem *Commemoratio*, aut *Memoria*; tunc potest assumi Missa Festivitatis dicti Sancti; desumptis, si opus fuerit, vel Tractu, vel altero versu post Pascha, vel Graduali extra tempus Paschale, ex Missa de Communi: vel si non potest ob dictam rationem dici Missa de Festo talis Sancti, cujus celebrari debet Missa Votiva, tunc tota hæc Missa dicatur de suo Communi, proù ratio temporis, sive Paschalis, sive non Paschalis, exigit. Ita Gavantus *part. 4. tit. 17. Rubr. 1. num. 13.* Guyetus *lib. 4. capite 21. quest. 3.* Cerem. *Monast. lib. 3. cap. 3. n. 1.* Hagerer in *Appendice tit. 1. n. 19. & 20.* Sic autem dictum illud temperat Guyetus *loc. cit.* totam Missam de Communi posse accipi pro ratione temporis Paschalis, vel non Paschalis; ut tamen, quæ Sancti alicujus propriissima sunt, ea quocunque tempore dicantur, putà versus S. Andreæ, S. Martini, S. Francisci; Communio S. Ignatii, S. Agathæ, & similia. Missæ autem

quædam in quibusdam Missalibus ad calcem additæ aliquorum Sanctorum, quæ sunt vel proscriptæ, vel non legitime approbatæ, nunquam debent assumi pro dicendis Missis Votivis talium Sanctorum, de quibus tales Missæ titulum præferant.

Si petatur Missa Votiva alicujus Sancti infra Octavam ejusdem, si de eo fiat Octava, sed in die, in quo Officium non fiat de die infra Octavam, sed de alio Sancto Semiduplici, putà si infra Octavam S. Georgii, ubi celebratur cum Octava, peteretur Missa ejusdem Sancti, sed die 26. Aprilis, quo die cadit Festum Semiduplex Sanctorum Martyrum Cleti, & Marcellini; in eo casu debet dici Missa S. Georgii juxta Ritus Missæ Votivæ; non enim dicenda est Missa S. Georgii more diei infra Octavam: quia cum discordet ab officio, & dicatur pro libito, utique debet esse Missa Votiva; ut colligitur ex Decreto S. R. C. 2. *Decembris 1684.* dato in nostro Indice sub n. 479. Neque obstat, quòd Octava reputetur unum & idem Festum: id enim est verum, quando perseverat Officium Octavæ; secus verò, quando interruptur, eò quòd fiat Officium alicujus Festi: tunc enim pro ea die non perseverat Officium Octavæ. Rursus neque obstat, quòd fiat Commemoratio Octavæ, & etiam ratione Octavæ dicatur *Credo* in Missa de Festo Semiduplici, si talis Octava illud exigat: quia inde non sequitur; quòd Missa infra Octavam dicenda in gradu Missæ Votivæ, tunc concordet cum Officio: & idèò semper censenda est Missa Votiva; ex Billo *tom. 2. lit. M. n. 181. §. 12.* & ex Hagerer in *Appendice tit. 1. §. 2. n. 9. & §. 1. n. 10.* ubi adnotat, hoc idem dicendum de Missa Votiva B. M. V. celebranda infra aliquam Octavam ejusdem Beatissimæ Virginis, in die, in quo fit de aliquo Festo Semiduplici: quod etiam confirmatum remanet ex Decreto mox allegato, his verbis... *Qui celebrat Missam de B. M. V. eo die, quo fit de aliquo Festo Semiduplici infra Octavam ejusdem B. M. V. debet*



debet dicere Missam de Octava, sed more Votivo, sine Gloria, & sine Credo, nisi fuerit Sabbatum: quia tunc dicenda erit Gloria, sine Credo: cui concordat aliud ejusd. Congreg. Decretum datum in nostro Indice sub n. 474.

Non sequitur tamen ex hac usque dictis, quod occurrente aliqua Vigilia infra aliquam Octavam, v. g. Vigilia Assumptionis infra Octavam S. Laurentii, ut diximus supra in titulo de Feria, & Vigilia; si exigatur Missa Votiva S. Laurentii, non sequitur, inquam, tunc posse dici in tali Missa Votiva, Hymnum Angelicorum Gloria, &c. quia quamvis Officium recitatum fuerit de S. Laurentio; Missa tamen propria illius diei est Missa Vigiliae Assumptionis; non vero Missa infra Octavam S. Laurentii: unde licet Missa Votiva, quae dicitur de S. Laurentio, correspondeat Officio; attamen quia non est Missa praescripta à Rubrica, tanquam dicenda illa die, sed est Missa, quae dicitur pro libito Sacerdotis, semper est in gradu Missae Votivae, adeoque sine Gloria.

XIX. Si ab aliquo petatur Missa Votiva in honorem plurium Sanctorum Martyrum, vel Confessorum, vel Virginum, quorum quilibet, vel saltem aliqui habent aliam, vel propriam, vel de Communi sumptam Missam, vel saltem Orationem; tunc Missa videtur bene celebranda de Communi talium Sanctorum respectivè, & secundum tempus: ita ut, si petatur Missa in honorem Martyrum Pontificum, vel non Pontificum, &c. tunc sumenda sit Missa de Communi talium Martyrum tempore Paschali, vel extra illud, prout nempe tempus, & Sanctorum qualitas exigit. Et quandoquidem, ut supponitur, locus determinatus non sit, poterit eligi ex primo, vel secundo loco, prout placuerit, & devotio suggererit: nec quidquam in ipsa Missa mutatur, nisi quod ea, quae in Orationibus ponuntur in singulari, dicantur in plurali, sicut etiam praescribitur in Rubrica Breviarii, in *Comm. Pontif. & Confess.* Quod ultimum intelligendum est, si pe-

tatur Missa Votiva in honorem plurium Confessorum Pontificum, & non Pontificum; Virginum tantum, ac nec Virginum, nec Martyrum: nam cum in Missali habeatur Commune plurimorum Martyrum, Commune plurimarum Virginum, & Martyrum; non habetur tamen Commune plurimorum Confessorum, &c. Ita Hagerer *loc. cit. §. 2. num. 6.*

XX. Si dicenda sit Missa Votiva de Sanctis, quorum habentur Reliquiae insignes; si fuerint omnes ejusdem qualitatis, puta omnes Martyres, vel omnes Confessores; Missa dicatur de Communi Martyrum, vel Confessorum, ut supra. Si vero fuerint Martyres alii, alii vero Confessores, aut Virgines, Missa erit dicenda de Communi Martyrum; nisi quod in Orationibus tacenda erit qualitas Martyrum, vel sumenda erunt Orationes de Missa S. Callisti Papae, & Martyris 14. Octobris, Ita Guyetus *lib. 4. cap. 21. quest. 2.*

XXI. Tandem si sit celebranda Missa Votiva de omnibus Sanctis, erit dicenda Missa de Festo omnium Sanctorum, excepto quod loco introitus *Gaudemus*, &c. aptè satis reponi possit Introitus *Timere Dominum*, &c. ut in Festo S. Cyriaci, &c. Mart. 8. Augusti: Oratio vero erit *Concede quasumus*, &c. quae est prima inter Orationes diversas ad libitum. Quod si supradicta Missa Votiva de omnibus Sanctis sit celebranda tempore Paschali, poterit dici Missa, quae ponitur in Missali pro Communi plurimorum Martyrum tempore Paschali, idest *Sancti tui*, &c. cum Oratione *Concede quasumus*, &c. Ex Guyeto, & Billo locis citatis.

XXII. Pro Missa Votiva S. Johannis Baptistae poterit dici Missa, ut in Festo Nativitatis ejusdem: verum cum hac exceptione, quod Oratio, Secreta, & Postcommunio ex ejusdem Sancti Vigilia commodius assumi poterunt absque ulla mutatione; & sic servabitur Decretum Sac. Congregationis à nobis supra expositum. Tractus talis Missae post Septuagesimam erit *Desiderium*. Versus



ius alter tempore Paschali *Iustus germinabit*, ex Missa posita secundo loco in Communi Confessoris non Pontificis. De eisdem Sancti Præcursoris Decollatione, poterit dici Missa Votiva eadem, quæ est in ipsomet Festo: at tempore Paschali, Missa *Proterissi*, ut in Festo S. Marci, retentis Orationibus, Epistola, & Evangelio, &c. Ex Guyeto supra, &c.

XXIII. Si requiratur Missa Votiva in ho-

norem Sanctorum Innocentium tempore Paschali, poterit dici Missa, quæ habetur in Missali pro pluribus Martyribus tempore Paschali, cujus Introitus incipit *Sancti tui Domine*: sed Psalmus erit *Laudate pueri Dominum*, &c. retinendo tamen semper ea, quæ in Missa propria sunt peculiariter huic Festo, puta Orationem, & Verbum post Epistolam, omittis verbis *Hodie, Festivitate, Sollemnitatis*, &c. Billus tom. 2. lit. M. num. 181. §. 1.

§. V.

*Quæ Missæ Votivæ secundi generis dicenda sint, de quibus supra.*

XXIV. Postquam §. antecedenti exposuimus, quanam Missæ Votivæ dicenda sint de illis Sanctis, de quibus in primo Missarum genere celebrari possunt Missæ Votivæ: nunc procedimus ad proponendas Missas Votivas illorum Mysteriorum, Festivitatum, & Sanctorum, de quibus in secundo Missarum Votivarum genere brevis sermo à nobis habitus fuit.

Igitur, ut ad aliqua particularia de his Missis secundi generis descendamus, initium desumimus à Missa de Sanctissima Trinitate, quæ inter prædictas Missas secundi generis, primum locum sibi vindicat. Missa igitur Votiva de hoc Sacrosancto omnium primo, & incomprehensibili Mysterio, eadem dicenda est, quæ celebratur in Dominica, & Festo ejusdem Sanctissimæ Trinitatis, sed sine *Gloria*, & *Credo*. In ea Oratio secunda erit diei currentis; tertia verò illa, quæ alioquin esset secunda in Missa diei currentis; Præfatio ea, quæ est propria in Festo Sanctissimæ Trinitatis.

In Missa verò illa Votiva de Sanctissima Trinitate, quæ dicitur pro gratiarum actione, sub una eademque conclusione, cum Oratione prima dicitur alia Oratio tantum *Deus, cujus Misericordia*, &c. in Missis Sollemnibus cantatis pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa; in Missis verò Privatis, se-

cunda Oratio erit Officii de more, & tertia de gratiarum actione, quæ incipit, ut supra, *Deus, cujus Misericordia*, cum suis solis conclusionibus. Gavantus part. 1. tit. 7. §. 7. lit. n. Billus lit. M. n. 233. §. 2. Guyeto libr. 4. cap. 21. quest. 12. §. 2. Gerlacus Venerator part. 1. tit. 7. n. 7. §. 7. Hagerer loc. cit. n. 7. Halden part. 3. tit. 7. In Feria 2. cujuscunque hebdomadæ in qua Officium est de Feria, Missa Principalis, ut diximus, potest etiam esse Missa pro Defunctis, quæ dicenda est ut in quotidianis Defunctorum cum tribus Orationibus, ac sine Sequenti. Secundo loco describitur Missa Votiva de Sanctis Angelis in fine Missalis dicenda in Feria 4. sed semper cum *Gloria*, & sine *Credo*, quæcunque die dicatur secunda Oratio diei currentis; tertia verò illa, quæ alioquin esset secunda in Missa diei currentis; Præfatio communis.

Si petatur Missa Votiva S. Michaelis Archangeli, poterit dici Missa, servatis servandis, ut in ejus Dedicacione 29. Septembris. Sic etiam de Angelis Custodibus, poterit dici Missa Votiva, ea, quæ habetur in Missali die 2. Octobris in Festo dictorum Angelorum. Eodem modo discurrendum est de Missis SS. Archangelorum, Gabrielis, & Raphaelis, quæ sanctæ S. Romana Ecclesiæ approbate; in quibus omnibus Missis Præfatio erit de Communi.

XXV. Ter-



XXV. Tertia inter Missas Votivas secundi generis, quae assignatur dicenda in Feria 4. est de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo (quae extra tempus Paschale est dicenda, ut habetur in fine Missalis) semper sine *Gloria*, & *Credo*, & cum aliis duabus Orationibus, ut supra, & cum Praefatione Apostolorum. Illo autem tempore, quo dicitur Oratio *A cunctis*, dici debet in hac Votiva, loco *A cunctis*, alia Oratio de Sancta Maria, nempe *Concede*, &c. ne scilicet bis fiat explicita mentio in Orationibus Sanctorum Petri, & Pauli. Halden *loc. cit.* Si verò sit dicenda Missa Votiva dictionum Apostolorum tempore Paschali; tunc ea assumi debet, quae ponitur in Festo S. Marci occurrentis die 25. Aprilis; retentis tamen Oratione, Epistola, & Evangelio ex propria Missa Votiva supra dicta SS. Apostolorum Petri, & Pauli, quae est in fine Missalis, & incipit *Mihi autem*, &c. Si petatur Missa Votiva alterius Apostoli à SS. Petro, & Paulo, tunc erit dicenda Missa, quae habetur in proprio Festo talis Apostoli, juxta ea, quae diximus supra, mutato nomine *Nativitatis in Commemor.* & omisso verbo *Hodie*, si in Missa Festi habeatur, demptis etiam *Gloria*, & *Credo*.

XXVI. Si petatur Missa Votiva de omnibus simul Apostolis, cum de omnibus simul Apostolis, nulla sit Missa Communis, obvia est Votiva de SS. Petro, & Paulo, dempta prima Oratione, cujus loco dici poterit Oratio ex Festo SS. Simonis & Judae, 28. Octobris, omisso ly *Simonem*, & *Judam*, prout etiam in Secreta, & Postcommunione: vel omitenda sunt verba *Petri* & *Pauli*: vel his retentis, addenda sunt verba *et aliorum Apostolorum*, ut facit ipsa Ecclesia in Oratione *Protege*, quae habetur in Laudibus, & Vesperis Officii parvi B. V. M. ratio est, quia integra Missa Apostolorum Petri, & Pauli Votiva (Oratione dempta) convenire censetur etiam cæteris Apostolis, prout consideranti patet. Ita Hagerer *loc. cit.* §. 18. Veram Gavetus *loc. supracit.* asserit, in tali Missa

Gavant. Rubr. Miss.

sa Votiva de omnibus Apostolis posse sumi Epistolam de Festo S. Thomae; *Jan non estis hospites, & advena, &c.* tempore autem Paschali, quae aliunde supplenda sunt, sumantur ex Missa S. Marci, prout praescribit Rubrica Missalis post Missam SS. Petri, & Pauli Votivam. Et quod dictum est de omnibus Apostolis, si in honorem quorundam tantum Apostolorum Missa Votiva petatur, idem intellige, nisi iidem Missam habeant communem e. g. SS. Simon, & Taddaeus, vel SS. Philippus, & Jacobus, aut ratio manifesta aliud suadeat. Ex Hagerer *loc. cit.*

Si verò petatur Missa Votiva de S. Petro tantum, aut de S. Paulo solum, etiam tunc dicitur Missa Votiva communis utriusque Apostolo, cum intentione venerandi Apostolum, cujus Missa Votiva petitur: nunquam enim separandi sunt ii, quos Ecclesia conjungit. Gavantus *part. 4. tit. 17. n. 6.*

Si quis petat Missam Votivam in honorem Conversionis S. Pauli: vel dicatur Missa Votiva communis utriusque Apostolo, ut supra, & ut docet Gavantus supra eodem titulo, & r. vel si dicatur Missa Conversionis S. Pauli; fiat Commemoratio S. Petri, ut docet idem Gavantus supra, necnon Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 7. §. 9.* & Hagerer supra §. 15.

Denique advertimus, quòd si occurrat celebrari Missam Votivam post Septuagesimam in eo casu post Epistolam dicitur Tractus, ut notatur in Missa Votiva SS. Apostolorum Petri, & Pauli; vel *Desiderium*, ut in Festo S. Mathiae. Guyetus *lib. 4. cap. 21. quest. 3.*

XXVII. Quarta Missa Votiva secundi generis dicenda in Feria 5. extat in fine Missalis post tertiam precedentem, & est de *Spiritu Sancto*, in qua omittitur *Gloria*, & *Credo*; & secunda Oratio dicitur diei currentis; tertia, illa, quae alioquin foret secunda; Praefatio dicitur propria, ut in Pentecoste, omittis tamen extra tempus Pentecostes verbis illis *Hodierna die*. Porro circa Orationem

N nem



nem primam hujus Missæ, notandum occurrit; quod si Missa Votiva de *Spiritu Sancto* (seu Sollemnis, seu Privata) in ordine ad postulandam Sancti Spiritus gratiam dicatur; tunc loco Orationis *Deus qui corda Fidelium*, dicenda sit Oratio *Deus, cui omnes cor patet*, &c. quæ cum correspondente sibi Secreta, & Postcommunione, habetur in fine Missæ Votivæ de eodem Sancto Spiritu. Gavantus *supra cit.* part. 4. tit. 17. num. 16. Bissus *lit. M. num. 233 § 2.* qui inhærendo Rubricæ Missalis post Missam de S. Trinitate addit, quod Missa Votiva Spiritus Sancti dici etiam potest pro gratiarum actione; & tunc, ut ipsemet docet eadem *lit. M. n. 235*, in ea addenda est Oratio *Deus cujus misericordiae*, &c. In Missis quidem Sollemnibus sub unica conclusione cum prima Oratione; in Missis verò Privatissimis secunda Oratio dicenda erit Officii de more, & tertio loco, prædicta *Deus cujus misericordiae*, &c. sub conclusione separata à conclusione primæ Orationis, ut fit, si pro gratiarum actione celebretur Missa de Sanctissima Trinitate, sicut supra adnotavimus: & idem servari debet, quando pro gratiarum actione dicitur Missa de B. M. ut infra; quæ pariter, ut supra dicta Rubrica tradit, potest dici pro gratiarum actione.

XXVIII. Nonnulli existimant, quod in Missa Votiva de Spiritu Sancto dicenda sit secunda Oratio de *Sancta Maria*; quia in Missa Votiva de Sancta Maria, dicitur Oratio de *Spiritu Sancto*. sed ut ait Bissus *lit. O. num. 77. §. 3.* ex simplicitate, & ex ignorantia Rubricarum, præfati loquuntur: etenim Missa Votiva de Spiritu Sancto, quoad Orationes ab aliis non discrepat; ideoque in ea Oratio secunda erit de Officio diei, & tertia *A cunctis*, vel alia, quæ pro tempore occurrit; sicut rectè docet *Quart. part. 1. tit. 4. dub. 1. §. 4.* & Tonellius in *Miscellaneis ad Missam n. 17.*

XXIX. Quintum locum inter prædictas Missas secundi generis vindicat sibi Missa Vo-

tiva de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento dicenda in Feria 5. & reperitur in Missa post Missam Votivam præcedentem de Sancto Spiritu. Hæc pariter Missa Votiva, dicitur sine *Gloria*, & *Credo*; secunda Oratio diei currentis; tertia, illa, quæ alioquin esset secunda diei currentis; Præfatio eadem quæ in Festo Nativitatis Domini, sed sine hujus *Communicante*. Hoc loco notandum occurrit, quod qui ex indulto Apostolico, qualibet Feria 5. non impedita Officio novem Lectionum, recitant Officium SS. Corporis Christi, licet dicant Officium, ut in die Festo; Missam tamen debent celebrare non ut in die Festo, sed hanc Communionem seu Votivam, ut censuit S. R. C. in Decreto 12. Julii 1664. & in nostro Indice sub n. 418. Verum tunc hæc Missa non dicitur more Votivæ, sed tanquam correspondens Officio recitato, adeoque cum *Gloria in excelsis*. Rursus eadem S. R. C. die 4. Julii 1705. in Decreto dato in nostro Indice sub n. 593. declaravit, quod in hac Missa Votiva Sanctissimi Sacramenti, secundo loco dici debeat Oratio temporis occurrentis; non verò illa quæ assignatur infra Octavam Corporis Christi. Unicum superest advertendum, quod in hac Missa de V. Sacramento inclinandum est caput ad illa verba Collectæ *Deus qui nobis sub Sacramento*, &c. Ita apud P. Gobat *tratt. 3. n. 731. lit. e.* tradit Pater Didacus de Avendanno ob rationes ibi allatas.

Sicut pro Feria 5. habentur in Missalibus Missæ Votivæ, nempe de *Spiritu Sancto*, & de *Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento*; sic Feria 6. in eodem Missali exhibentur duæ pariter Missæ, nempe de *Cruce*, vel de *Passione Domini* dicendæ; pro quibus debent servari eadem Rubricæ, ac de aliis supra; sed ambæ hæc Missæ particularem habent Præfationem de *Cruce*, etiam tempore Paschali. Si dicantur verò hæc duæ Missæ Votivæ tempore Passionis, in his dicendis non omittatur Psalmus *Judica me Deus*, cum suo *Gloria Patri*.



tri, sicut omittitur in Missis de tali tempore Passionis: & hoc colligitur ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 440. edito die 31. Augusti 1669. Aliud enim Decretum, quod allegatur ab Hagerer supra §. 3. vulgatum die 10. Februarii 1647. à nobis non allegatur; quia in Regestis Sac. Rit. Cong. reperti non potuit. Caterum non esse omittendum præfatum Psalmum in Missis Votivis de Passione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Passionis, censent etiam Bilus *lit. P. n. 255 §. 1.* & Bauldry ab eodem allegatus: hac ratione ducti: quia tales Missæ sunt Votivæ, non verò de tempore Passionis; in quibus à Dominica Passionis inclusive, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, omittitur præfatus Psalmus juxta dispositionem Rubricarum.

Octavo loco inter Missas secundi generis, juxta ordinem à nobis expositum, ponuntur in Missali quinque Missæ Votivæ B. M. V. pro temporis diversitate. Orationes autem, quæ in hac Missa Votiva de B. M. V. dicuntur, sunt secunda Oratio de Officio diei, tertia verò de Spiritu Sancto; quæ tamen omittitur, si occurreret Commemoratio alicujus Simplificis, Vigiliæ, vel Feriæ majoris, quia completus est numerus ternarius Orationum: Guyetus *lib. 4. cap. 22. quest. 12.* nisi alias Orationes ad majorem numerum libeat addere, ut fieri potest in Festis Simplificibus, &c. In Sabbato autem, quando de S. Maria factum est Officium; tunc secunda Oratio erit de Spiritu Sancto; tertia Ecclesiæ, vel pro Papa. Si loco alicujus ex his Orationibus facienda esset aliqua Commemoratio, quæ fieri debet secundo loco; tunc tertia Oratio diceretur de Spiritu Sancto, aliis, nempe Ecclesiæ, vel pro Papa, omiſſis.

In Adventu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato (etiam in casu, quo Festum novem Lectionum non occurrit) sed de corrente Feria Adventus; dicitur tamen, ut supra adnotavimus, etiam tunc

Missæ Principalis de B. M. nempe ea, quæ inter ejus quinque Votivas primum locum sibi vindicat, cum Commemoratione Adventus, & cum tertia Oratione de Spiritu Sancto: nisi tamen fuerint quatuor Tempora, vel Vigilia, ut supra; quia tunc Missa Principalis non dicitur de S. Maria, sed de illa Feria 4. Temporum, aut Vigiliæ, ut suo loco dictum est.

Qui in Adventu celebrat Missam Votivam de B. V. v. g. Missam Votivam de Doloribus B. M. V. à Sede Apostolica pro universa Ecclesia approbatam; tunc secundam Orationem assumer de Officio diei currentis, de Festo, v. g. Semiduplici, si tale eo die occurrat: tertiam verò de Adventu. At si fuerit factum eo die Officium de Feriæ; tunc secunda Oratio in ejusmodi Missa Votiva de B. V. erit de Adventu, tertia de Spiritu Sancto, quarta, si dicatur, erit pro Ecclesia, vel pro Papa; quinta ad libitum Celebrantis. Halden *part. 3. tit. 7.* & Pisart ab eo allegatus in *Sacerd. Evangel. part. 4. tit. 1.*

XXX. Oritur dubium inter Rubricarum explanatores; quænam Missa sit legenda, quando petitur Missa Votiva de SS. Rosario, vel S. Mariæ de Monte Carmelo. Certissimum enim est, inhærendo Decretis S. C. quæ dantur in nostro Indice sub n. 189. & sub num. 229. non posse dici Missas proprias concessas Ordini Prædicatorum, & Carmelitis. Quænam ergo in casu posito dicenda sit pro Votiva SS. Rosarii, & S. Mariæ de Monte Carmelo, respondet noster Gavantus *part. 4. tit. 17. num. 9.* consulendam esse S. R. C. quæ aliquando pro dictis Missis concessit Missam Votivam, ut in Missali. Verum quoniam post hæc concessæ sunt pro universa Ecclesia Missæ SS. Rosarii pro prima Dominica Octobris, in qua ejus Festum celebratur; necnon Missa S. M. V. de Monte Carmelo die 16. Julii: videtur nunc prædictæ obligationi posse ab omnibus satisfieri, dicendo respectivè dictam Missam SS. Rosarii, & aliam S. Mariæ de Monte Carmelo, servatis



tis servandis pro solitis Ritibus Missæ Votivæ. De hujusmodi Missis sermonem etiam facimus in nostris Observationibus *ad tit. XVII. part. 4. n. 2.*

Præterire non debeo, Missam assignatam Festivitati Concept. B. M. V. non esse dicendam in Sabbatis, ut Votivam; ut liquet ex Decreto S. R. C. 30. Septembris 1679. & est in nostro Indice sub n. 453. Denique licet in his Ecclesijs, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam Votivam de B. V. singulis diebus Sabbatis, possit hic pius usus, seu Populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Festo Duplici impeditis: non est tamen omittenda Missa Conventualis; ut pariter colligitur ex Decreto ejusdem Congregat. 2. Decembris 1684. & dato in nostro Indice sub n. 468.

XXXI. In præfatis Missis Votivis B. V. tunc solum dicendus est Hymnus Angelicus *Gloria in excelsis* (attamen sine *Credo*, etiam in Missa Cantata Principali) quando ea dicuntur aut cantantur in Sabbato; non autem si dicantur, aut contentur extra Sabbatum: tunc enim secluso speciali privilegio, dicuntur sine *Gloria*, & *Credo*; nisi pro gravi, aut publica Ecclesiæ causa, contentur sollemniter cum unica Oratione per modum Missæ Votivæ Sollemnis: nam tunc, quocumque die cantentur, cantantur cum *Gloria*, & *Credo*, juxta inferius dicenda, & juxta Decretum S. R. C. 8. Junii 1658. & datum in nostro Indice sub n. 328. sicut etiam potest dici *Gloria*, & *Credo* in Missa Votiva B. V. cantata ex voto die Dominico, ut superius diximus, & constat ex Decreto à nobis dato, sub num. 401.

Quod autem Angelicus Hymnus recitandus sit in Missis Votivis etiam Privatis B. M. quæ dicuntur in Sabbato, discretè colligitur ex Rubr. VIII. Missalis n. 4. in qua hæc habentur -- *In Missis Votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, nisi in Missa B. M. in Sabbato.* Gravis tamen oritur difficultas inter Auctores, quomodo in-

telligendum sit illud *in Sabbato*; nimirum an de iis Sabbatis tantum, in quibus Officium ipsum, adeoque Missa dicitur de B. M.; an verò etiam de alijs, quibus non dicitur Officium B. M. Postremum à Gavanto defenditur *part. 1. tit. 8. n. 4. lit. 2.*: è contra Doctissimus Guyetus *lib. 4. c. 21. quest. 11.* Innocentii III. Pontificis auctoritate permotus contendit, Hymnum Angelicum in eorum tantum Sabbato esse dicendum, in quo B. M. V. recitandum esset Officium; aut in quo perinde Missa de ipsa dicitur, atque si factum fuisset Officium, quod contingit in duobus prioribus Sabbatis Adventus. Utriusque opinionis fundamenta Hierurgie sacrosanctæ Bissus inseruit *lit. G. n. 35. §. 1. 2. & 3.* et lectori examinanda relinquens, ut prudentem sententiam eligeret, licet se à Gavanti doctrina non recedere fateatur. Sed prudens & probus lector eligeret Gavanti sententiam quam & Rubricæ verba docuisse, & S. R. C. Decreta confirmasse, certò cognoscimus. Profectò si alia fuisset Rubricæ Auctoris sententia, ab illa regula, debuisset excipere Sabbata, in quibus non fieret Officium de B. M. ne nobis occasionem errandi præberet: at eum discretè præscribat, nulla Sabbatorum facta distinctione, Hymnum Angelicum in Missa Votiva B. V. esse dicendum satis ostendit, regulam illam ad quæcumque Sabbata referri debere. Atque ita intelligendam esse Rubricam, S. R. C. non unum Decreto probavit: Anno enim 1607. 19. Maji in *Palacina*, hæc statuit prædictæ Congregatio -- *Gloria in excelsis Deo dicitur in Missis Votivis B. V. tam in Sabbatis Feriatarum quam in Sabbatis Adventus, licet ipsa die Officium non fiat de B. V.* Quod Decretum habes in nostro Indice sub n. 67. Similia decrevit eadem Congregatio, Anno 1609. 29. Julii in *Segobion*. Hæc Decreta si Guyetus, & Bissus cognita fuissent; nec ille à Gavanti precepto recessisset; nec iste liberum lectori preceisset, quam vellet amplecti sententiam. Preterea si vera esset opinio Guyeti, non possent



quis in Sabbato infra aliquam Octavam B. M. V. recitans Officium de aliquo Sancto Semiduplici, celebrare Missam Votivam de B. V. cum *Gloria in excelsis*, cum de ea non fiat Officium: attamen S. R. C. contrarium aperte decrevit, Anno 1684. 2. Decembris. Vide nostrum Indicem sub n. 474. & 479. Ex quibus perspicuum est, Gavantum nostrum, jure optimum Rubricarum interpretem à Guyeto nuncupatum, optimè interpretatum fuisse prædictam Rubricam; ex quo ejusdem Gavanti interpretationem S. R. C. non uno tantum, sed multiplici Decreto confirmaverit. Innocentii autem III. quæ opponitur auctoritas à Guyeto allata, nihil profecto officii Gavanti, & communi sententiæ cogimur enim dicere, Ritus Innocentii ævo vigentem, à recentioribus Rubricæ dispositionibus, & S. R. C. iteratis Decretis fuisse mutatum.

Hoc loco observandum occurrit, quod si quis in Vigilia Assumptionis B. M. V. in Sabbatum incidente peteret Missam Votivam de B. M. V. Sacerdos celebrans satisfacere possit suo oneri, celebrando dictæ Vigiliæ Missam, non tamen cum *Gloria in excelsis*, ratione coloris violacei (quo in tali Missa uteretur) juxta Rubr. XVIII. Missalis n. 1. & juxta Decretum datum in nostro Indice sub n. 57. Quod si magis placeret Sacerdoti, celebrare tunc veram Missam Votivam de B. M. V. eidem tempore convenientem, possit utique eam celebrare, sed cum colore albo; & dicere Hymnum Angelicum, sed absque Commemoratione dictæ Vigiliæ; ne bina in eadem Missa B. M. V. diceretur Oratio: attamen primus modus satisfaciendi tali oneri magis arridet Josepho de Brend allegato ab Hagerer superius citato § 1. num. 11. In eadem sententia est Guyetus lib. 4. cap. 21. quæst. 9. dicendo, quod in prædicto casu, licet dicatur in Missa Vigiliæ Præfatio Communis; quia tamen tota illa Missa Vigiliæ est de B. V. alia perperam Votiva assumeretur.

XXXII. Item dicimus, quod infra ali-

quam Octavam B. V. M. qui debet Missam Votivam de eadem B. V. M. celebrare, eam dicat de illa Octava cum *Gloria*, & *Credo*, non autem Votivam; nec eam de Festo, more Votivo (ut diximus supra cum Gavanto ibi citato) supposito tamen, quod etiam diei Officium eo die sit de Octava, seu melius de die infra Octavam. Quod si celebretur Missa de B. V. M. eo die, quo fit de aliquo Festo Semiduplici infra Octavam ejusdem B. V. tunc, quamvis dicatur Missa de dicta Octava, tamen dicitur sine *Gloria*, & *Credo*, sed more votivo: nisi tamen fuerit Sabbatum; quia tunc ratione Sabbati dicitur *Gloria*, sed sine *Credo*, juxta Decretum S. R. C. 2. Decembris 1684. & datum in nostro Indice sub n. 474.

XXXIII. Præterea, tamen, quando Missæ Votivæ de B. V. Privatæ dicuntur in Sabbato, dicantur cum *Gloria*; non tamen dicitur etiam tunc in iis *Credo*, extra casum superius dictum, quod dicantur sollemniter pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, cum unica Oratione. Gobat *trakt. 3. n. 712.* & Halden *citato loco §. Notandum tertio.* Quando in Sabbato factum est Officium de S. Maria in Sabbato, licet Missa, quæ dicitur de S. Maria in ejusmodi Sabbato, sit una ex prædictis quinque Votivis de S. Maria tempore occurrenti conveniens; attamen, quia tunc non dicitur per modum Votivæ, utpote concordans cum Officio diei; ideo tunc Oratio secunda est *de Spiritu Sancto*; tertia verò *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, prout amba notantur in fine Votivarum de S. Maria in recentioribus Missalibus; nisi in hujusmodi Sabbato occurrat Festum Simplex, aut ratione Mensis, dicenda sit Oratio *Fidelium*; tunc enim secunda Oratio est *de Simplicibus*, aut *Fidelium*; tertia autem *de Spiritu Sancto*: nisi & hæc ob aliquam ulteriorem faciendam Commemorationem, omittatur; ut contingit, quando in Sabbato, quo fit de Sabbato, duo Festa Simplicia occurrunt; aut præter Commemorationem faciendam de Simplicibus, simul



ratione Mensis, dicenda sit Oratio *Fidelium*, de qua suo loco. Quando verò, sive in Sabbato, sive alio infra hebdomadam die, dicitur de B. V. una ex supradictis quinque Missis Votivis per modum Votivæ (v. g. in Festo Semiduplici, aut in aliqua Vigilia, &c.) tunc secunda Oratio semper dicitur de Officio illius diei, vel de Vigilia; tertia verò erit de *Spiritu Sancto*: nisi propter aliam Commemorationem faciendam loco hujus tertiæ, alia Oratio ponenda sit; ut fieri potest, si Missa Votiva B. V. dicatur in die, in quo occurrit Festum Semiduplex, & aliud Festum Simplex, vel aliqua Vigilia, seu Feria major. Hæc supra eodem loco.

XXXIV. Animadvertendum denique est, quòd in Missis tam propriè Votivis B. M. V. quàm non Votivis de eadem B. M. in Sabbato dictis, Præfatio est de B. V. *Et te in Veneratione*, &c. ac in earum fine, dicendum est *Ite Missa est*, & Evangelium S. Johannis,

&c. In Missis verò Votivis B. M. V. extra Sabbatum dictis, dicitur quidem eadem Præfatio, nec non in fine earum pariter Evangelium S. Johannis, sicuti in omnibus Missis Votivis; non tamen *Ite Missa est*: eò quòd extra Sabbatum, etiam illæ Votivæ, quæ dicuntur de B. M. dicuntur sine *Gloria*. De coloribus autem adhibendis in Missis Votivis B. M. & aliorum Sanctorum, seu Søllemnitatum, dicemus §. sequenti.

XXXV. Quæ Missæ Votivæ sint dicenda pro diversis rebus, & quæ spectant ad tertium Missarum genus, nullum verbum facimus; quia hæc describuntur satis in Missali, & quòd spectat ad earum Ritas, & partes, colligi potest, & ex iis, quæ superius diximus de talibus Missis tertii generis, necnon secundi, & primi; & ex iis, quæ dicemus infra agendo de coloribus, & partibus omnium Missarum Votivarum.

## §. VI.

### De coloribus adhibendis in Missis Votivis.

XXXVI. In Missis Votivis primi generis, nempe de Sanctis, aut Festivitatibus, quæ Anniversaria Celebritate recoluntur ab Ecclesia, idem adhibetur color, ac in die eorumdem Festorum, & Sanctorum. Quartæ *part. 1. tit. 4. dub. 4. v. 14.* & deducitur ex Rubrica XVIII. Missalis n. 1. & 3. *in fine*. Ab hac regula tamen excipi debet Missa Votiva de SS. Innocentibus, in qua, si ut Votiva dicatur, colore rubeo utendum est; quavis in die Festo, extra Dominicam, violaceus adhibeatur. Ita ex Rubrica Missalis citata n. 3. quæ absolutè docet: *Rubeo colore utitur in Missis Votivis supradictorum Festorum*: inter quæ numeratur etiam Festum SS. Innocentium. Quòd autem in Festo eorumdem Innocentium color violaceus adhibendus sit, rationem reddit Gavantus *in prima parte tit. 18. seu Rubrica n. 5.* dicens: quia

eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio: *Vox in Rama audita est*, &c.

In aliis Missis Votivis secundi, & tertii generis, juxta ordinem à nobis assumptum, quæ exhibentur circa finem Missalis, adhibendus est color, ut sequitur. In Missa de Cruce color rubeus; in Missa de Passione color violaceus. In Missis verò Votivis de Sanctissima Trinitate, de Angelis, de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & de B. M. color albus est adhibendus. At in Missa de Spiritu Sancto color rubeus; & de Apostolis, ut in eorum die Festivo.

Ad Missas Votivas tertii generis quòd attinet: pro eligendo Summo Pontifice, sive dicatur Missa de Spiritu Sancto, sive illa quæ exhibetur in fine Missalis pro dicta causa, color rubeus est adhibendus. Pro Cretione



tionem, & Coronationem Papae, albus; & similiter pro Anniversario Consecrationis Episcopi. Pro Missis ad tollendam Schismam, & aliis ibi in Missali contentis, usque ad Missam pro iter agentibus inclusive, color violaceus: ita colligitur ex Rubrica Missalis, & tradit *Quartiloc. cit.* Item in Missa pro felici morte impetranda, novissime concessa, color violaceus est adhibendus: & hoc patet etiam ex Decreto dato in nostro Indice sub *num. 599.* ex quo etiam habetur, quod praedicta Missa in Missali, debet inseri post Missam pro remissione peccatorum: unde decimum quartum locum talium Missarum occupabit Missa, quae est pro Sponso, & Sponsa; in qua celebranda, color albus est adhibendus. *Halden loc. cit. §. Reliquae decem Missae.*

## §. VII.

## De ingressu ad Missam Votivam, &amp; aliis usque ad Orationes.

XXXVIII. In omnibus Missis Votivis, quae non sunt de *Requiem*, dicitur Psalmus *Judica me Deus*, & terminatur cum *Gloria Patri*, tam ad Introitum, quam etiam in fine Psalmi *Lavabo*, etiam in Missis Votivis de *Passione*, vel de *Cruce*, vel aliis quibuscunque, quae dicuntur infra hebdomadam Passionis: & hoc deducitur ex Decreto à nobis supra allegato, & dato in nostro Indice sub *n. 440.* & in hoc etiam conveniunt omnes Sacrarum Rubricarum interpretes: quia, ut diximus, Psalmus *Judica*, & *Gloria Patri* ad Introitum, nec non ad finem Psalmi *Lavabo*, solum in Missis de tempore, hoc est illis, quae sunt de Dominica, aut Feria currente; non autem in Missis de Festis, aut Votivis, etiam si sint de Passione, tempore Passionis omittuntur.

Rursus in quacunque Missa Votiva tempore Paschali in fine Introitus, dicuntur duo *Alleluja*, & in fine Offertorii, & Communionis additur *Alleluja* ubi non habetur.

XXXIX. In Missis Votivis Privatis, et-

XXXVII. Etiam in Missa Votiva quae cantatur pro re gravi, debet ille color adhiberi, quo utimur in Festo, cujus Missa celebratur: & hoc constat ex Decreto, quod datur in nostro Indice sub *n. 431.* Ceterum, quamvis in Missis Votivis paramenta Celebrantis debeant esse convenientia Missis, quae celebrantur; nihilominus Altaris paramenta, debent correspondere Officio, quod recitatur in Choro; nisi forte Missa Votiva sit pro re gravi, & publica Ecclesiae causa, cum ea sollempniter celebretur: nam tunc, etiam Altaris paramenta, cum Missis convenire debent. *Castaldus lib. 2. sect. 6. cap. 4. num. 6.* & *Gerlacus Vinitor part. 1. tit. 18. in addnot. §. 1.*

iam tempore Paschali, vel infra Octavas, juxta Rubricam Missalis, hac *part. 1. tit. 8. n. 4.* etiam in Missa Votiva de Titulari, vel Patrono, juxta Decretum datum in nostro Indice sub *n. 323.* non est dicendus Hymnus Angelicus sive *Gloria in excelsis*, nisi fuerit Missa Votiva Angelorum: quo nomine veniunt etiam Missae propriae S. Michaelis, & S. Gabrielis &c. dicitur autem *Gloria* in Missis omnibus Votivis Angelorum: quia Angeli hunc Hymnum in medio pastorum cecinerunt; ut ait *Durandus lib. 5. cap. 13.*

Ita etiam idem Hymnus recitatur in Missa Votiva de B. V. M. in quolibet Sabbato, sicut diximus supra agendo de hujusmodi Missis Votivis B. M. V. & constat ex Decretis datis sub *n. 67.* & sub *n. 474.* & sub *n. 479.*

XL. Ita à praedicta regula excipiendae sunt Missae etiam Votivae Sollemnes, quae pro re gravi aut publica Ecclesiae causa cantantur: nam in his tam *Gloria*, quam *Credo* dicuntur: modo Missa Votiva non sit talis, quae debeat dici in paramentis violaceis: nam si talis Mis-



sa Votiva, etiam si Sollemnis, dicatur in violaceis paramentis, cujusmodi v. g. est illa, quæ inter Votivas tertii generis intitulatur pro quacunque necessitate; etiam in illa nec Gloria dicitur, nec Credo, nisi decantetur in Dominica; quia tunc ratione Dominicæ dicitur quidem Credo, non tamen Gloria in excelsis: uti habetur tum in propria Rubrica pro talibus Missis Votivis in fine Missalis præfixa; tum etiam in Rubrica generali Missalis in fine; nec non in Decretis datis in nostro Indice sub n. 57. & sub n. 431. Sic etiam in Missa Votiva de B. V. celebrata ob publicam causam, & ratione concursus, potest dici Gloria cum Credo, juxta Decretum datum in nostro Indice sub n. 328.

XLI. Denique quando dicitur Missa Vo-

tiva de aliquo Sancto eo die, quo idem obiit, vel quia Titulus est Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, potest dici ejus Missa Votiva cum Gloria: ita colligitur ex Gavanto hac prima part. tit. 9. in Rubr. n. 16 lit. i §. In Missa de Sancto. Ita pariter docet Quarti part. 1. tit. 14. dub. 3. qui vocat hanc Missam Semifestivam: quia, ut bene nota Gavantus, est partim Votiva, & partim Festiva, sive mixta ex votivo, & festivo: ex votivo, quia discordat ab Officio; ex Festivo, quia eo die obiit Sanctus, de quo dicitur Missa. Prædictam sententiam tenent etiam Ainaud part. 1. tit. 3. Lohner part. 4. tit. 2. §. 3. n. 1. Hagerer supra §. 3. & Mastrius Missa Votiva.

### §. VIII.

#### De Orationibus dicendis in Missis Votivis.

XLII. In Missis Votivis Privatis secunda Oratio ordinariè est de eo, de quo fit Officium, sive illud sit Festum, sive Feria; tertia verò, quæ aliunde secundo loco diceretur in Missa correspondente Officio diei: & ut diximus supra, aliquando ratione alicujus Octavæ, vel Feriæ majoris, & Sancti Simplicis, possunt, & debent dici etiam quatuor, vel quinque Orationes, &c. Non est tamen necesse in Missa Votiva, sicut etiam in Missa de Semiduplici, vel de Simplici, dicere plures Collectas semper impares numero, puta tres, quinque, vel septem: & hoc constat ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 476. unde non admittitur Doctrina Hagerer *suprac. loc. §. 4.* & nonnullorum aliorum, qui pro certo supponunt, semper in Missa Votiva, vel de Semiduplici, & Simplici, dicendas esse Collectas impares numero.

Dixi regulariter loquendo, secundam Orationem in Missa Votiva dicendam esse de eo, de quo factum est Officium, sive illud sit Festum, sive sit Feria. Sed ab hac regula excipienda est Missa Votiva de SS. Petro, vel Pau-

lo Apostolis: tunc enim secunda Oratio dicitur de alterutro dictorum, juxta qualitatem Missæ, quæ dicitur; tertia verò de die, & Festo corrente, &c. Bisius *lit. O. n. 77. §. 1.* & Hagerer *cit. loc. §. 4. n. 2.*

XLIII. Quænam Orationes sint dicendæ in Missa Votiva de B. M. V. ne eadem immo liter repetantur, legantur ea, quæ supra diximus agendo de talibus Missis Votivis B. M. V. de qua cum possit pariter celebrari Missa Sollemnis pro gratiarum actione, nec non Votiva; in his dicendæ sunt Orationes eo modo, & numero, quæ dicuntur, quando pro gratiarum actione celebratur Missa de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto.

Cæterum in illa regula generali supra tradita, quod tertia Oratio Missæ Votivæ Private debeat esse, quæ secundo loco diceretur in Missa correspondente Officio diei currentis, hæc explicatur, quæ Orationes sint dicendæ in Missis Votivis, quæ dicuntur ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, ab Octava Epiphaniæ usque ad Festum Purificationis B. M. V. a Festo



predicto Purificat. B. M. V. usque ad Dominicam Passionis, &c. unde ne in longum protrahamus sermonem, omittimus omnia ea, quae prolixè tradit Hagerer *loc. cit. à n. 3. usque ad n. 10.* qui semper discurrit cum falso supposito. quòd in Missis Votivis, sicut in aliis de Semiduplici, necessariò Orationes debeant semper esse numero disparas.

XLIV. Hoc unum tantum advertimus, quòd tempore Passionis, nempe à Dominica Passionis, &c. si dicatur Missa Votiva; tunc in ea, secunda Oratio erit de Feria; tertia verò *Ecclesie*, vel *pro Papa*: possunt enim absolute dici etiam eo tempore tres Orationes, aut plures, ut videbimus infra in Missis, quae non sunt de tempore Passionis, sed Votivae, vel de aliquo Festo Semiduplici: & in hoc convenit etiam Halden *loc. cit. §. Si tempore.*

Quamvis in Missa Privata Votiva, tres saltem debeant esse Orationes; in Missa tamen Votiva Sollemni, quae celebratur *pro re gravi*, vel *publica Ecclesia causa*, unica tantum Oratio est dicenda. Billus *supra cit. loc. §. 5.* Sed in Missa *pro gratiarum actione* ad-

ditur alia Oratio, ut supra etiam diximus, & ambae dicuntur sub unica conclusione. Observat Billus cum Guyeto *loc. cit.* quòd in Missis Sollemnibus *pro re gravi*, vel *pro publica Ecclesia causa*, à Rubrica non precipitur Oratio de Officio diei: quia supponitur hanc Missam esse cantandam præter Missam Conventualem, quae cantanda est de Officio diei. Ceterum si sola Missa *pro re gravi* cantaretur, satis probabiliter idem Guyetus Ceremoniali Monast. in *hærens lib. 1. cap. 13. n. 8.* ait: quòd in dicta Missa Votiva *pro re gravi*, in dicto casu faciendae esset Commemoratio diei currentis, & aliae Commemorationes, quae fierent in Festo Sollemni, nempe de Dominica, de Octava privilegiata, de Feria majori occurrente, &c. Billus supra. Sequitur etiam ex hoc, ut observat Billus ibidem, quòd in Missa Votiva, quae cantatur pro expositione, & repositione SS. Sacramenti in Oratione quadraginta Horarum; si cantetur sola Missa de eodem, & non cantetur alia Missa de Officio: tunc præter Orationem Votivam de Sacramento, addenda esset Oratio de Officio illius diei currentis.

## §. IX.

## De Graduali, Tractu, &amp; Credo dicendis, vel non dicendis in Missis Votivis.

XLV. Tempore Adventus, quando in Missis ferialibus omittitur *Alleluja* in Graduali cum suo versu; in Missis tamen Votivis quibuscunque, etiam in colore violaceo dictis, illud non omittitur. Gavantus *part. 4. tit. 17. n. 11.* Hagerer *supra §. 15. &c.* & Halden *loc. cit. nempe part. 3. tit. 7. de Missa Votiva pag. mibi 229.* Idem intellige, si extra Septuagesimam dicendae sint Missae Votivae diebus quatuor Temporum, & Vigiliarum, quae jejuntur: ita desumitur ex Gavanto, ex Hagerer *locis citatis*, & ex Halden *locis cit.* quia Missae Votivae non sunt Missae de tempore, & participant aliquid de Festis, quorum sunt Votivae: in his autem post Gavant, *Rubr. Miss.*

*Graduale* decet extra Septuagesimam audiri *Alleluja*, ad exprimendam aliqualem lætiti- am. Gavantus, & Halden *loc. cit.*

A Septuagesima usque ad Pascha in Votivis semper dicitur *Tractus*, etiam his diebus, quibus non dicitur in Missa Feriae. Lohner *part. 4. tit. 2. §. 3. n. 4.* & Hagerer *supra §. 5. n. 2.* Exemplum habetur in Missis Votivis B. M. V. quae positae sunt in fine Missalis.

Unde autem in Votivis *Alleluja*, cum suo versu, tempore Paschali, vel extra illud, *Tractus* in Septuagesima, in defectu desumendi sunt, tradit Gavantus *part. 4. tit. 17. Rubr. 1. n. 10.* Notat Halden *cit. loc.* quòd si Missa

O Voti-



Votiva alicujus Sancti dicatur eo tempore, quo alioquin post Epistolam, seu Lectionem dicendum est in Missa *Graduale*, vel post *Graduale Tractus*, vel omisso *Graduali duo versus cum quatuor Alleluja*, & Missa illa *Votiva*, quæ dicenda est, horum aliquo careat; tunc *Graduale*, vel *Tractus*, vel *versus illi cum quatuor Alleluja* desumi pro ea debent de Communi illorum Sanctorum, de quibus Missa *Votiva* celebratur.

Ex eodem Halden *loc. cit.* habetur, quod si infra Octavam Paschæ pro *re gravi*, aut *publica Ecclesie causa* cantanda sit Missa Sollemnis, non est in ea dicendum *Graduale*, sed quatuor *Alleluja cum duobus versibus*: eò quod *Graduale* conveniat quidem Missis illius *Octave Paschalis*; non tamen Missæ *Votivæ Paschalis*, quæ infra illam dicitur. Hæc Halden ex Ruiz. & ex Gavanto, qui addit, neque in fine talis Missæ *Votivæ* dicendum esse ad *Ita Missa est duplex Alleluja*.

XLVI. Quoad Symbolum, sive *Credo*.

dicendum in Missis *Votivis*, certissimum est apud omnes, quod in Missis *Votivis Privatis* nunquam dicitur *Credo*, etiam si celebrentur infra aliquam Octavam: & patet hoc ex Rubrica Missalis, quæ habetur *part. 1. tit. 11.* In Missis vero *Votivis Sollemnibus pro re gravi*, vel pro *publica causa*, dicitur *Credo*, etiam si dicantur in paramentis violaceis, sed in Dominica: & hoc constat ex supradicta Rubrica. Potest etiam dici *Credo* in Missa Cantata de B. V. M. in die Dominico, ratione voti: ita ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 401. Sicetiam in Missa *Votiva* de eadem B. M. V. cantata ob publicam causam, vel ratione concursus, potest dici *Credo*: ita ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 328. Cæterum ex aliis Decretis datis in nostro Indice sub n. 323. & sub n. 470. nec non sub n. 474. & denique sub n. 479. constat, quod in aliis casibus particularibus nunquam potest dici *Credo* in Missis *Privatis* *Votivis*,

### §. X.

#### De Præfationibus, & reliquis Missæ *Votivæ* partibus.

XLVII. In Missis *Votivis*, tam *Privatis*, quam sollemniter cantatis pro *re gravi*, & *publica causa*, quæ propriam habent Præfationem, dicitur semper propria Præfatio: si vero non habeant Præfationem propriam, dicitur Præfatio Communis, vel de tempore, vel de Octava, infra quam contigerit Missas *Votivas* celebrari: ita colligitur ex Rubrica IV. tit. 11. hujus primæ partis. Verum Pisart, in libello, cui titulus: *Ceremonia Ecclesie certis quibusdam diebus &c. pag. mibi 2.* & Halden *part. 3. tit. 7. de missis votivis pag. mibi 230.* excipiunt ab hac regula Missas *Votivas*, quæ dicuntur infra Octavam Nativ. Domini: nam juxta ipsos infra hanc Octavam in Missis etiam *Votivis* Rubricæ non permittunt aliam dici Præfationem, nisi de Nativitate Domini, cum ejusdem Com-

municantes. Sed quia in Decreto edito die 21. Septembris, Anno 1706. & dato in nostro Indice sub num. 603. & ex alio approbato Clemente XI, dato in nostro Indice sub n. 628. Sacra Rituum Congregatio statuit, quod -- Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ *Votivæ Privatæ*, & pro Defunctis. Ideò certissime hæc opinio non habet amplius locum in Missis *Privatis* *Votivis* infra eandem Octavam: in Missis vero *Votivis* sollemniter pro *re gravi*, infra eandem Octavam celebrandis, dicenda est Præfatio juxta cit. Rubricam generalem 12. n. 4. Hinc fit, quod etiam in dicta Octava, inhaerendo tali Rubricæ, si cantetur Missa *Votiva* Sollemnis pro *re gravi* &c. quæ habeat propriam Præfationem, non est dicenda Præfatio Nativitatis, sed Præfatio propria dictæ Missæ.



Missæ Votivæ; quæ tamen non excludit *Communicantes de Nativitate*; ut patet ex Decreto edito 28. Augusti 1627. & dato in nostro Indice sub n. 216. Hanc nostram sententiam tenet etiam Hagerer pag. mihi 219. allegans supradicta Decreta; & Johannes Bapt. Pittonus in Collectione Decis. ad Sacros Ritus pag. 427. de qua re vide etiam quæ dicemus infra part. 4. tit. 3. in notis Observat. n. 15.

Et reverà hoc etiam evenit, & admittitur ab omnibus, in Missis Votivis habentibus propriam Præfationem, si dicantur infra Octavam Ascensionis, quæ habet propriam Præfationem, & propriam *Communicantes*; nam in dicto casu, in Missa illa Votiva, dicitur Præfatio propria illius Missæ Votivæ; *Communicantes* verò dicitur de Ascensione, etiam in casu, quo nulla fuerit facta Commemoratio de Octava Ascensionis: adeoque datur casus, in quo separari debet *Communicantes à sua Præfatione*. Id quod contingit in aliis casibus, v.g. in Festo SS. Philippi, & Jacobi, & in Festo Inventionis S. Crucis, si occurrant infra Octavam Ascensionis, ut dicemus suo loco: & hoc est etiam juxta Decretum quòd emanavit die 16. Junii 1683. in una *Gravaten.* & datum in nostra Appendice ad Indicem Decretorum sub n. 727.

In Missis autem Votivis, quæ propriam Præfationem non habent, tunc dicitur Præfatio de tempore, nempe vel Quadragesimali, vel Passionis, vel Paschali: nam extra hæc tempora dicenda est Præfatio Communis, sive ultima ut in ordine Missæ, nisi occurrat aliqua Octava. Nam si Missa aliqua Votiva, non habens propriam Præfationem, quocumque tempore dicatur infra aliquam Octavam, tunc Præfatio etiam Missæ Votivæ infra illam Octavam dictæ, dicenda est de Octava: & hoc colligitur & ex Rubrica generalis tit. 12. n. 4. hujus primæ partis; nec non ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 628.

Quòd si Festum, cujus Octava celebratur, habeat insuper propriam *Communicantes*, vel etiam propriam *Hanc igitur*; etiam hæc dicenda erunt in eadem Missa Votiva infra illam Octavam dicta: & hoc colligitur ex superius dictis. Excipiendæ sunt ab hac regula Missæ de *Requiem*: nam in Missis Defunctorum non dicitur alia Præfatio, quàm Communis, sive ultima; nec aliud *Communicantes*, aut *Hanc igitur*, quàm Commune, ut est certum apud omnes.

XLVIII. Qui tamen in Sabbato recitat Officium de B. V. si celebret Missam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere, ut diximus, *Gloria in excelsis*, sed neque Præfationem de B. V. quamvis de ea Commemorationem facere debeat: idque constat ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 475. Ita pariter, quando fit per Annum à privilegiatis Officium de Conceptione Immaculata, vel etiam Sanctæ Mariæ in Sabbato, ut diximus, vel de Sanctissimo Sacramento; si dicatur Missa Votiva non habens Præfationem propriam, Præfatio talis Missæ debet esse de Communi, vel de tempore; ut supra, nempe Quadragesimali, vel Paschali &c. ita pariter colligitur ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 608.

XLIX. In Missa Votiva de Spiritu Sancto, quæ habet Præfationem propriam, omitterenda sunt in tali Præfatione, ut diximus etiam supra, illa verba *hodierna die*; cum hæc non congruant extra Octavam Pentecostes.

L. Expleto Canone, & aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta, etiam in Missis Votivis dicitur *Communio*, cui tempore Paschali additur *Alleluja*. Dicuntur præterea *Orationes post Communionem* eodem modo, & ordine, ut in principio Missæ, & repetito *Dominus Vobiscum*, in Missis Privatæ Votivis semper dicitur *Benedicamus Domino*; quia regulariter in iis non dicitur *Gloria in excelsis*. Excipiendæ itaque sunt ab hac regula Missæ illæ Vo-



tivæ, nempe *Angelorum* quotidie, *B. M. V. in Sabbato* tantum, in quibus dicitur *Gloria in excelsis*: quia in his repetito *Dominus Vobiscum*, dicitur *Ite Missa est*, non verò *Benedicamus Domino*. Uno verbo, semper ac in *Votivis* dicitur *Gloria in excelsis*, sive *Privatis*, sive *Solemnnibus*, correspon-

dere debet *Ite Missa est*, non verò *Benedicamus Domino*.

LI. Quoad ultimum Evangelium omnium Missarum *Votivarum* tam *Privatarum* quam *Solemnnium*, semper dicitur Evangelium *S. Johannis, In principio erat Verbum*, & hæc colliguntur ex *Rubrica tit. 13. prima part.*

## §. XI.

De Missa *Votiva Sollemni*.

LII. Sæpius memoravimus supra *Missas* *Votivas Sollemnes*, quæ aliquando dicuntur etiam in diebus *Duplicibus*, vel *Festivis*; sed tantum pro re gravi, vel pro publica *Ecclesiæ* causa. Quid autem sub verbis *pro re gravi* intelligendum sit, colligi potest ex *Decreto* vulgato die 19 *Maji* 1607. dato in nostro *Indice* sub n. 58. videlicet -- Res gravis pro licita *Votiva Sollemnis* decantatione ea est, pro qua convenit *Clerus* cum *Episcopo*, vel apud *Regulares* in eorum comitiis generalibus, seu provincialibus, cum cantatur *Missæ* pro re eorundem *judicio* gravi -- In prædicto *Decreto*, verba illa, *pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo*, subintelligenda sunt, ubi hic reperitur; ut notat *Hagerer loc. cit.* in additione pro *Missis* *Votivis* *Solemnnibus*. *Causa* autem publica, qua interveniente potest cantari *Missæ* *Sollemnis* *Votiva*, apud *Lohner part. 4. tit. 2. §. 1. n. 7.* vocatur ea, pro qua pariter totus *Clerus* cum *Episcopo* (iterum intellige, ubi reperitur) convenire solet, quales sunt: si votum, pro malo gravi avertendo factum, sit exsolvendum; aut gratiæ pro accepto aliquo magno beneficio *sollemniter* sint agendæ; aut cum *precatio* *quadraginta* *Horarum* instituta sit: item si pro acquirendo gravi, & publico beneficio, vel avertendo malo, quod rationabiliter timetur, supplicetur. Ex quibus colligitur, non quamlibet causam gravem, vel publicam sufficere ad hoc, ut *Missæ* *Vo-*

*tiva Sollemnis* cum *Gloria*, & *Credo* dici possit; sed eam, quæ concernit, vel per se vel per accidens notabiliter *Communitatem* vel saltem notabilem ejus partem; item notabilem, & præcipuam quamdam familiam, ex cujus conservatione *Communitati* publicæ multum utilitatis accidere potest; item ex conservatione personæ *Regis*, *Principis*, aut etiam *Filii* *unigeniti* *familie* illustris: quia ejusmodi casus concernunt totam *Communitatem*. Hæc omnia ita collecta tradit pariter *Hagerer loc. cit. num. 2.*

LIII. Non sufficere autem pro re gravi, & multo minus pro publica *Ecclesiæ* causâ professionem alicujus *Religiosi*, vel *Religiosæ*, jam diximus supra: & colligitur ex *Decreto* ibi citato, nempe dato in nostro *Indice* sub n. 462. Sed quod ait *Gavanus tit. 8. lit. b.* & quod traditur in *Decreto* dato in nostro *Indice* sub n. 58. eam rem dici gravem, pro qua, ut diximus, convenit *Clerus* cum *Episcopo* quæ verba non sic accipienda sunt, quasi ipse conventus *Cleri* cum *Episcopo* faciat esse rem gravem; sed quod signum sit, ex quo arguitur esse talem. Caterum quamvis posset argui esse necessitas privata, & singularis de re gravi; haud tamen pro ea convenire solet *Clerus* cum *Episcopo*, ut pro publica: ideoque *Rubrica* utrumque simul junxit, dicendo: *Pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa*; quod & *Rodericus tom. 1. quest. 43. artic. 15.* sic subus exponit: *Quando, inquit, sit aliqua pro: essio, qua nunquam fit nisi pro re gravi;*



vi; vel quando aliqua Missa dicuntur in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, vel Parochialibus, pro salute Principis, vel totius Republicae; vel pro aliqua intentione temporali bonum commune immediate concernente; vel quando fit in gratiarum actionem pro aliqua re gravi petita, & obtenta, veluti pro victoria parva, &c. Haec collegimus ex Guyeto lib. 4. cap. 2. quest. 4.

LIV. Praedictae Missae Votivae Sollemnes pro re gravi, vel publica causa dici possunt in omnibus Festis, etiam Duplicibus, dummodo non sint primae Classis: ita Gavantus hoc tit. 4. lit. o. quem sequitur Diana, Lohner part. 4. tit. 2. §. 1. n. 7. Arnaud part. 1. tit. 4. n. 13. Quapropter cum excipiantur solum Festa primae Classis, sequitur juxta hos Autores, quod dictae Missae possunt celebrari etiam in Dominicis privilegiatis, dummodo non sint primae Classis. E contra Missae Votivae Sollemnes pro causa gravi non possunt dici Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Passionis,

Palmarum cum tota hebdomada Sancta; in Dominica Resurrectionis, & Pentecostes cum seqq. duobus diebus; in Dominica in Albis, in Dominica Sanctissimae Trinitatis, in Dominica prima Adventus: quia praefatae Feriae, & Dominicae sunt primae Classis. Haec colliguntur ex Quarti part. 1. tit. 4. §. nota 2. & ex Fagioli in Calendario perpetuo Rationali in adnotat. in Mense Februarii n. 13. & ex Hagerer supra §. 4. vide tamen quae diximus supra §. 2. in fine. Praedictae autem Missae Sollemnes Votivae pro re gravi, vel publica Eccl. causa, quando celebrantur, debent cantari regulariter post Nonam. Gavant. hoc tit. lit. n. in fine; & tit. 15. de hora canendo Missam. n. 5. Multa alia, quae spectant ad hanc Missam Sollemnem Votivam pro re gravi, nempe quot Orationes in ea dicendae sint; utrum possint suffragari pro Missa Conventuali; quando non possit dici Gloria in excelsis, & Credo, sparsim à nobis supra satis superque tradita sunt.

## Novae Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. V. De Missis Defunctorum.

I. Rubr. n. 1. pag. 8. & Gavant. pag. 9. col. 1. lit. q. Prima die &c. ) Agitur in hoc titulo de Missis Defunctorum, postquam in praecedenti de Missis Votivis sermo habitus fuit. De veteri consuetudine dicendi Missas pro Mortuis, eruditè disserit juxta morem suum Joseph Vicecomes volum. 1. de Ritibus Missae lib. 4. cap. 2. in quo ostendit, praedictam consuetudinem, usque ab Apostolicis temporibus ductam esse. Cap. vero sequenti auctoritatibus antiquorum Patrum comprobat Missas oblatas fuisse pro pluribus, sive omnibus Defunctis; & capitibus seqq. nempe 7. discurrit de Missa pro Mortuis die obitus celebranda, antequàm quis sepulturae mandetur: cap. vero 8. sermonem habet de Missa pro Mortuis, 3. die post obitum in Ecclesia olim frequentatissima; hujusque

etiam causam, & originem demonstrat; & cap. 9. progreditur similiter ad ostendendam originem, & causas celebrandi Missas pro Mortuis die 7. ab alicujus obitu; & cap. 11. eodem modo eruditè tractat de Missis Mortuorum die 30. ab eorum obitu celebrandis. Cap. vero 13. ostendit antiquitatem, & causas Missarum celebrandarum pro Mortuis in Anniversario eorum die: quapropter, qui curiositati satisfacere desiderat, evolvere poterit ea, quae praefatus Sapientissimus Auctor ibidem tradidit; nec non ea quae edidit circa eandem materiam Gracolas in tom. 1. antiqui Sacramentarii Ecclesiae à pag. 492. usque ad pag. 538.

II. Gavant. pag. 9. col. 2. lit. x. Omni tempore cadavere praesente, &c. ) Asserit hoc loco Gavantus, cadavere praesente omni tempore posse



posse celebrari Missam pro Defunctis, excepto die Parasceves: & eo casu dicit differendas esse Exequias in crastinum, in quo post Missam Sabbati Sancti, possit (ait ipse) celebrari alia Missa pro Defunctis juxta sententiam Durandi; maxime ubi viget consuetudo sepeliendi Defunctos simul cum Missa. Verum nullo modo potest in Sabbato Sancto *Missae de Requiem in die obitus*, etiam praesente cadavere celebrari: & hoc ex duplici capite, nimirum, quia Sabbathum Sanctum est Duplex primae Classis; & ideo juxta Decretum inferius dandum, non potest celebrari Missa Defunctorum in ea die: deinde quia juxta aliud Decretum die 11. Februarii & 11. Martii 1690. & datum in nostro Indice sub n. 495. in Sabbato Sancto, celebrationes Missarum Privatarum, omnino prohibentur in quibuscunque Ecclesiis, &c. & unica tantum Missa Conventualis una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebrari praecipitur. Quapropter nullo modo potest ad praxim deduci praedicta Durandi sententia, quam Gavantus videtur admittere, seu saltem non improbare.

Quoniam vero omni tempore, cadavere praesente, dixit Gavantus posse Missam Defunctorum celebrari: hoc loco congruum est exhibere nonnulla Sac. Rit. Cong. Decreta, declarantia, quibus diebus possint, vel non possint celebrari Missae Privatae, vel Cantatae de Requiem.

Non possunt cantari Missae de Requiem in Festis Duplicibus primae Classis, etiam praesente cadavere; & multo minus dicenda est una Missa Privata. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. & in nostro Indice sub n. 525.

Missae Defunctorum in die depositionis Defuncti, possunt sollempniter celebrari in diebus, in quibus cadit Festum Duplex alicujus Sancti, dummodo Festum non sit de praescepto, juxta Rubricas Breviarii Rom. S. R. C. die 19. Septembris 1654. & in nostro indice sub n. 315. *Hoc Decretum intelligendum est, non praesente cadavere: nam etiam*

*in Festis de praescepto, dummodo non sint primae Classis, potest celebrari Missa Sollemnis Defunctorum: adavere praesente.*

In Dominicis, & Festis, potest celebrari Missa de Requiem pro Defunctis in praesente cadavere. S. R. C. 23. Maji 1603. in nostro Indice sub n. 16. *Hoc Decretum intelligendum est de Missa unica Sollemni: non Missa Privata in diebus Festivis celebrari possunt, etiam praesente cadavere.*

In diebus, in quibus non potest fieri Festum Duplex, prohibentur Missae de Requiem, nimirum, infra Octavas Epiphaniae Paschatis, Pentecostes, & Feria 4. Cinerum in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes: 28. Augusti 1627. & in nostro Indice sub n. 217. Prohibentur Missae Privatae Defunctorum, in Festo Duplici, &c. ut patet ex Decreto dato in nostro Indice sub n. 396. Eadem Missa Privata prohibentur etiam praesente cadavere; ut colligitur ex Decreto dato sub num. 505. necnon ex alio sub num. 622.

Missae de Requiem prohibentur in Festo Duplici, etiam translato, 31. Julii 1665. in nostro Indice sub n. 424.

In Vigilia Epiphaniae prohibentur Missae de Requiem: 21. Aprilis 1697. & in nostro Indice sub n. 514. & 10. Dec. 1718. & in nostro Indice sub n. 635.

Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missae Privatae pro Defunctis: 21. Septembris 1706 & in nostro Indice sub n. 603.

Infra Octavam Corporis Christi prohibentur Missae Defunctorum: 21. Junii 1699. & in nostro Indice sub num. 442.

Durante expositione Sanctissimi Sacramenti, occasione quadraginta Horarum regulariter celebrari non potest Missa Privata de Requiem &c. 2. Decembris 1684. in nostro Indice sub n. 472.

Dum Sanctissimum Sacramentum est depositum, occasione quadraginta Horarum non possunt Missae Defunctorum celebrari



etiam si ex præscripto Testatorum essent celebrandæ; sed ab iis congruentius est abstinendum: 27. Aprilis 1697. & in nostro Indice sub n. 511.

Sacerdotes habentes Officium Semiduplex, Simplex, aut Feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia, in qua fiat de Duplici, non possunt dicere Missam de Requiem. S. R. C. 2. Junii 1701. & datum in nostro Indice sub num. 558.

Regulares in alienis Ecclesiis, in quibus celebrant Missam Votivam vel de Requiem, ad satisfaciendum oneribus, possunt & ipsi eisdem ibi Missas celebrare; quamvis in suis Ecclesiis occurrat Festum, aut Officium Duplex. S. R. C. 2. Junii 1701. & in nostro Indice sub n. 558.

Missæ non possunt celebrari pro Animabus Purgatorii una hora post meridiem. 24. Novembris 1663. & in nostro Indice sub n. 415.

Ex quo in primo ex Decretis à nobis hic expositis sancitum sit, quòd in Festis primæ Classis non possit celebrari Missa Sollemnis Defunctorum, etiam præsentem cadavere, censuram non posse celebrari dictam Missam in prima Dominica Adventus, Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, & Dominica Pentecostes, cum duobus diebus sequenti Nativitatis Domini, Epiphaniæ Ascensionis, & Festo Corporis Christi, & in alijs Festis primæ Classis. Non me latet, aliquos concedere celebrationem talis Missæ Sollemnis Defunctorum præsentem cadavere, tota hebdomada majori, (præter quàm in Feria 6. Parasceves,) & à fortiori, in Feria 4. Cinerum &c. Verùm quia in Rubrica VI. de Translatione Fessorum n. 1. præscribitur, quòd de Sancto titulari alicujus Ecclesiæ, quando majori aliquo Festo, vel Dominica occurrente, debet transferri in alium diem; præscribitur, inquam, in tali Rubrica, quòd nihilominus in tali Festo Sollemni,

vel Dominica possint cantari duæ Missæ Sollemnes, una de dicto Festo Sollemni, vel Dominica; altera verò de dicto Festo titulari Ecclesiæ, quòd transferri debet; sed exceptis diebus supradictis, nempe Dominica 1. Adventus, Feria 4. Cinerum &c. hinc sequi videtur, quòd si in dictis diebus prohibetur Missa Sollemnis de illo Festo translato, & quæcunque etiam alia Missa Votiva Sollemnis pro re gravi, ut notat Bauldry *part. 3. tit. 6. de Translatione Fessorum*; pariter prohibita sit Missa Sollemnis Defunctorum, etiam præsentem cadavere. Nam si hæc non permittitur ex vi primi Decreti allegati in diebus primæ Classis v. g. in Festo Assumptionis B. M. V. in Festo omnium Sanctorum; & aliunde in prædictis Festis non prohibetur Missa Sollemnis prædicti Sancti titularis Ecclesiæ, si transferri debeat: à fortiori debet censeri prohibita Missa Sollemnis Defunctorum, etiam præsentem cadavere, in omnibus illis diebus primæ Classis, in quibus non potest cantari Missa Sollemnis prædicti Sancti translato; eùm hæc videatur magis privilegiata, quàm dicta Missa Sollemnis Defunctorum præsentem cadavere. In dicto autem casu, eùm non possit cantari Missa Sollemnis Defunctorum, debet applicari pro Defuncto, cujus cadaver est præsentem, Missa illa Sollemnis, quæ cantatur de die Festo, vel Dominica illa primæ Classis &c.

III. Gavant. pag. 10. col. 1. eadem lit. x. *Qua etiam in sepulcro, hoc est præsentem corpore, in Ecclesia non possunt dici in Dominicis, neque in Duplicibus.* Gavantus inherendo Rubricis, asserit hoc loco, Missas Privatas Defunctorum, etiam in sepulcro, & præsentem cadavere, non posse dici in Dominicis, neque in Duplicibus: & reverà hæc est communis sententia inter Rubricistas, quæ confirmari potest Decretis supra allegatis S. R. C. Nihilominus recentissime proposita fuit hæc questio à Reverendissimo Patre D. Casare Benvenuti Abbate Privilegiato perpetuo inter Canonicos Lateranenses; & im-

pressa



pressa reperitur ejus decisio in calce sui Operis continentis Ritus Missæ Sollemnis: & resolvit, in Festis Duplicibus posse dici Missas de Requiem Privatas, præsentem corpore, sub quibusdam moderationibus ab eodem expositis; usque dum Sac. Cong. aliter decernat. Sed cum reverà Sac. Cong. hoc jam decreverit, idque præsertim in Decreto diei 10. Januarii 1793. in una Galliarum, respondendo ad decimum quartum dubium; in quo declaravit tanquam abusum abolendum - consuetudinem illam dicendi Missas Privatas de Requiem corpore præsentem & in sepulto, dum cantatur Missa Sollemnis, diebus, quibus fit de Officio Duplici - quod quidem Decretum, ut supra innuimus, datur in nostro Indice sub n. 505. hinc censeo prædictam sententiam Abbatis Benvenuti non posse habere locum, & in praxi non esse admittendam, etiam ob Decretum dat. sub n. 622.

IV. Gavant, pag. 10. col. 1. lit. y *Anniversaria dies Defunctorum habet usum antiquissimum &c.*) Breviter ostendit hic Gavantus, antiquitatem celebrandi Missas pro Mortuis Anniversario die illorum obitus: sed fusiori calamo de hac antiquitate, & origine Anniversariorum pro Defunctis, ut superius innui, disserit Joseph Vicecomes de antiquis Missæ Ritibus, volum. 1. lib. 4. cap. 13.

V. Gavant, pag. 10. col. 1. lit. y *Si contingat Anniversaria dies in Festo celebrari, debet mutari in præcedentem diem.*) Optime docet hic Gavantus, quòd si Anniversaria dies alicujus Defuncti contingat in Festo celebrari, debeat mutari in præcedentem diem, ut citius Defunctis consulatur. Verum hic, & Durandus, & Gavantus loquuntur de Festis de præcepto, in quibus reverà non potest celebrari Missa Sollemnis in die Anniversario: nam si sermo sit de Festis Duplicibus tantum, prædictæ Sollemnes Missæ in Anniversaria die non excluduntur. Sed ut facilius innotescant S. R. C. Declarationes,

& Decisiones super dubia proposita in diebus Anniversariis pro Defunctis; congruum mihi videtur subnectere sequentia Decreta spectantia ad prædictam materiam,

Officium Anniversarium, vel Septenarium, vel Tricenarium Defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico, vel Festivo, transferretur in diem sequentem, cum eadem Sollemnitate. 23. Maji 1603. & in nostro Indice sub n. 20.

Anniversaria, & aliæ Missæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito possunt transferri in diem sequentem. 26. Septembris 1608. & in nostro Indice sub n. 91.

Hoc idem colligitur ex alio Decreto eodem die 19. Maji 1614. dato in nostro Indice sub n. 143.

Anniversaria, & Missæ de Requiem, quæ ex voluntate Testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiam si ipsorum obitus incidit in Festo Duplici majori 23. Augusti 1669. & in nostro indice sub n. 438.

Anniversaria Mortuorum infra Octavam Corporis Christi, non sunt faciendæ, nisi præsentem corpore 12. Septembris 1671. & in nostro Indice sub n. 448.

Durante expositione SS. Sacramenti occasione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non potest Missa Privata de Requiem licet occurrat Officium hujusmodi Missæ admittens; neque cantari potest Missa Defunctorum pro adimplendamente Testatorum sive Anniversario satisfaciendo. S. R. C. 12. Decembris 1684. & datur in nostro Indice sub n. 472. & id confirmatum etiam fuit Clemente XI. in sua instruct. pro dicta expositione quadraginta Horarum vulgata Anno 1705.

Anniversaria, seu Missæ quotidiana Cantatæ de Requiem relicte ex dispositione Testatorum pro certis diebus, illique impeditis die Dominico, seu Festo de præcepto, cantari possunt in diebus subsequens, seu antecedentibus, in quibus est



currunt Officia de Festo Duplici majori, non tamen de præcepto. Ita S. R. C. indoluit Canonice Lateranensibus hoc dubium proponentibus die 4 Maji 1686. & datur in nostro Indice sub n. 483.

In Anniversario translato ob Festum de præcepto, recitanda est Oratio proit in Missali scilicet non omitendo illa verba *cujus Anniversarium Depositionis diem commemoramus.* 4 Maji 1686. & in nostro Indice sub n. 485.

In Anniversario occurrente in Festo Duplici secundæ Classis, non potest cantari Missa de Requiem. 5 Julii 1698. & in nostro Indice sub n. 524.

In die Anniversarii, & Depositionis, non potest cantari Defunctorum Missa loco Conventualis. 5 Julii 1698. & in nostro Indice sub n. 527.

Si Anniversarium anticipetur, & postponatur post aliquos dies, potest dici Missa, ut in Anniversario. 5 Julii 1698. & in nostro Indice sub n. 529.

Ex privata devotione Parochianorum petitionum sæpius per Annum Anniversaria pro Defunctis parentibus, fratribus, &c. potest cantari Missa de Requiem in ruralibus Ecclesiis, in Festo Duplici minori, & altera Missa Cantata de Festo, ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes; dummodo sermo sit de die verè Anniversaria à die obitus. 19 Junii 1700. & in nostro Indice sub n. 547.

Sicut autem Anniversarium, sic si trigesima vel septima, vel tertia dies ab obitu Defuncti incidat in diem Dominicam, potest anticipari, vel transferri in diem immediatè sequentem; ut docet Gavantus supra, & cum eo Turrinus *part. 2. sibi. 1. cap. 4.* & his Missis Sollemnibus translatis, eadem Sollemnitas servanda est, quæ adhiberetur, si in propria die celebrarentur. Quod si Anniversarium, ut bene advertit Turrinus *cit. loc.* vel tertia, aut septima &c. caderet in Dominicam Palmarum; tunc transferenda

Gavant. Rubr. Miss.

esset talis Missa usque ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, & cum eadem Sollemnitate celebranda, ob eandem rationem.

VI. Gavant. pag. 10. col. 2. lit. a *Nominatur Sollemnitas Festi Duplicis; &c.* Suprà à nobis nonnulla fuerunt exposita Decreta declarantia, quibus diebus possint, vel non possint dici Missæ de Requiem: unde ea iterum revolvenda sunt, ut perfectè intelligatur sensus hujus Rubricæ, & Gavanti Commentarium.

VII. Gavant. pag. 10. col. 2. ead. lit. a *Sacra tamen Rituum Congregatio tolerari posse declaravit, &c.* Affert Gavantus Decretum S. R. C. editum die 1. Septembris 1607. & refertur etiam in nostro Indice sub n. 71. in quo habentur hæc præcisè verba -- Tolerari possunt Missæ de Requiem in Duplici Festo, quod non est de præcepto, ut Testatorum Voluntates adimpleantur -- Verùm huic Decreto derogatum fuit per alia posteriora Decreta; præsertim verò per illud diei 5. Augusti 1662. & datum in nostro Indice sub n. 396. ubi habetur -- Omnibus, & singulis Sacerdotibus, &c. præcipitur, ut Missas Privatas pro Defunctis in Duplicibus, nullatenus celebrare audeant. Quod si ex Benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in Festum Duplex; tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam; ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit; sed dicantur de Festo currenti, cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorundem Benefactorum, &c.

VIII. Gavant. pag. 10. col. 2. ead. lit. a *In diem assignatum pro Altari privilegiato, &c.* Docet Gavantus, quod si Festum de præcepto cadat in diem assignatum pro Altari privilegiato, puta Feriam secundam; non potest adhuc Missa dici de Requiem, ut decrevit S. R. C. ab eo citata, cujus Decretum datur in nostro Indice sub n. 206. Quoniam hic sermo habetur de Missis in Altari privilegiato

P

legiato



legiato celebratis, opportunum est, tradere hoc loco omnia Decreta pertinentia ad Missas, quæ pro Defunctis celebrantur in Altaribus privilegiatis.

Non licet celebrare Missam pro Defunctis, nimirum de Requiem, in Altari privilegiato, in Feriis 3. & 6. si occurrat Festum prima, vel secundæ Classis, 25. Septembris 1649. & in nostro Indice sub n. 298.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia, &c. 13. Augusti 1667. & in nostro Indice sub n. 432.

Missæ de Festo Duplici celebratæ in Altari, pro Animabus perpetuò privilegiato, & in quo proinde etiam in Duplicibus sint celebrandæ Missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro Defunctis, juxta formam privilegiorum, &c. 22. Januarii 1667, in nostro Indice sub n. 430.

Prædictum Decret. Alexandri VII. extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum privilegiata, &c. S. R. C. 23. Septembris 1669. approbante Clemente IX. & dato in nostro Indice sub n. 439.

Prædicta Decreta Alexandri VII. & Clementis IX. circa Missas Defunctorum in Altari pro Animabus privilegiato non celebrandas aliquibus diebus, licet loquantur tantum de Festis Duplicibus; intelligenda tamen sunt, & locum sibi vindicant, etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis, &c. aliisque Anni diebus, quibus Missæ Defunctorum juxta Ritum, & morem Ecclesiæ, ac Rubricarum celebrari nequeunt: quatenus nimirum Missæ, quæ iisdem diebus celebrari possunt, si ad præfata Altaria privilegiata celebrentur, per ipsas ita celebratas satisfiat injunctis obligationibus: & quoad Indulgentias per dicta privilegia Apostolica concessas, Animabus Fidelium Defunctorum, in Purgatorio existentibus, suffragantur prædictæ Missæ, perinde, ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum. 4. Maji 1688, & in nostro Indice sub n. 490.

Videantur etiam eadem Decreta iterum confirmata à Clemente XI. in nostro Indice sub n. 623.

Ex Decretis mox expositis, clarè constat, quòd Missæ, etiam de Officio Duplici celebratæ ad Altare privilegiatum, eo die, quo recitatum est Officium Duplex, eodem modo suffragantur Animabus in Purgatorio existentibus, ac si dictæ essent de Requiem. Oritur tamen dubium: utrum Sacerdos ille, qui juxta Calendarium proprium, Officium recitavit de Duplici, celebrans in Ecclesia aliena, in qua recitatum est Officium de Semiduplici, vel de Feria; celebrans in Altari privilegiato, dicere debeat Missam de Requiem ad hoc, ut privilegium Defunctis suffragetur: an verò satisfaciatur, si celebrat Missam correspondentem Officio Duplici, quod recitavit? Huic dubio respondendum esse crediderim, quòd, cum ex Decreto S. R. C. sub die 11. Junii 1701. & dato in nostro Indice sub n. 558. possit dictus Sacerdos in tali casu celebrare in prædicta aliena Ecclesia Missas Votivas, vel de Requiem ad satisfaciendum suis oneribus; hinc fit, quòd in prædicto casu tenetur celebrare Missam de Requiem; ut Privilegium præfati Altaris, in quo celebrat, suffragetur Defunctis, pro quibus offert Sacrificium: privilegium quippe Alexandri VII. solummodò habet locum in illis Missis de Festo Duplici, vel de die occurrenti celebratis, in quibus non possunt, juxta Rubricas, & specialia Decreta, celebrari Missæ de Requiem. Cùm igitur in præfato casu, & inhærendo antedicto Decreto, prædictus Sacerdos in aliena Ecclesia celebrans, possit dicere Missam de Requiem, ut satisfaciatur suæ obligationi, & Indulgentias Altari privilegiato concessas pro Animabus in Purgatorio existentibus acquirat; debet profecto Missam non de suo Officio Duplici, sed de Requiem celebrare. Ita etiam præsciendò à tali Decreto, sentit Hagerer in sua appendice tract. 2. n. 10.



IX Tandem nota ad Rubricam n. 2. quod non sit omnino dicenda Missa de Requiem Privata in Festis Duplicibus. Ex Decretis enim S. C. supra expositis, & imprimis ex Decreto supra num. VII. à nobis à legato, satis liquet hæc veritas, quod in Festis Duplicibus, etiam præsentem cadavere, non possint dici Missæ Privatæ Defunctorum.

X, Rubr. n. 3. pag. 10. *In die Commemorationis omnium Defunctorum, &c.* Hæc superior Rubrica præscribit, in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, qui Sollemnis habetur pro Defunctis, unicam tantum Orationem, in Missa pro ipsidem celebrata, esse dicendam. Quoniam verò hic sermo habetur de hac Sollemni die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; opportuna se offert occasio adtexendi hic collecta in unum omnia S. R. C. Decreta, quæ ad Missas Defunctorum, in tali die celebrandas, spectant.

Missæ, ut in die obitus præsentem corpore, ultra Missam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. & in nostro Indice sub n. 291.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia possunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. 4. Augusti 1663. & in nostro Indice sub n. 411.

\* Nemini licet facere Octavas pro Defunctis sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia, &c. 13. Augusti 1667. & in nostro Indice sub n. 432.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, si alicubi occurrat Officium Duplex minus, Missæ sunt celebrandæ de Requiem, juxta Decretum die 5. Octobris 1636. & in nostro Indice sub n. 488.

Ita etiam juxta aliud Decretum die 19. Junii 1700. & in nostro Indice sub n. 543. S. R. C. statuit, in tali casu Officium faciendum esse de Duplici; sed Missas celebrandas esse de Requiem. Veram per aliud Decretum editum die 12. Julii 1716. & datum in nostro Indice sub n. 631. derogatum esse videtur duobus antedictis Decretis: cum in tali casu præscribatur à S. C. quod Officium Duplex minus sit transferendum in primam diem non impeditam, & quod celebrentur Missæ, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quotannis occurrente in aliqua Ecclesia die Octava Dedicationis ejus, Missæ Privatæ sunt celebrandæ de Defunctis; sed dicendæ sunt duæ Missæ Conventuales, quarum una sit de Octava, altera de Defunctis, juxta Rubricas. Si verò talis dies Octava incidat in Dominicam, omnes Missæ sunt celebrandæ de die Octava; cum Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum in tali casu transferatur in diem sequentem. S. R. C. 2. Augusti 1698. & in nostro Indice sub n. 536.

*Advertendum est, hoc Decretum posse subsistere cum Decreto superius exposito, diei 12. Julii 1716. Quia dies Octava, &c. non potest transferri in alium diem, sicut transferri potest Officium illud Duplex minus, de quo sermo est in antedicto Decreto. Vide etiam Guyet. lib. 4. cap. 8. quest. 5. n. 3.*

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, non potest celebrari Missa Sollemnis de Requiem post Primam, sed servandæ sunt Rubricæ. 22. Januarii 1701. & in nostro Indice sub n. 549.

XI. Gavant. pag. 10. col. 1. lit. b. *Præter diem obitus, seu depositionis, &c.* Non solum in die Commemorationis omnium Defunctorum, sed etiam in die depositionis, & Anniversario Defuncti, dicitur una tantum Oratio; & similiter in die 3. 7. & 30.



qui, ut notat Gavantus, Celebriores, & Sollemnes reputantur: in quibus diebus talis Missa Sollemnis dicitur post Nonam, juxta Titulum XV. n. 3.

Denique unica dicitur Oratio, quando-  
eunque pro Defunctis sollemniter celebra-  
tur. Verum hæc regula non habet locum  
in Missis Sollemnibus Defunctorum, quæ  
dicuntur in die prima Mensis non impedi-  
ta, vel Feria 2. dum Missa Principalis sit  
pro Defunctis; ut habetur in Rubricis pri-  
mæ Missæ inter Missas Votivas secundi ge-  
neris. Pro prædicta exceptione citatur à  
Pisart, in expositione hujus Rubricæ pag.  
mibi 10. Decretum S. C. sub die 20. Mar-  
tii 681. in quo habetur -- Licet in Missa  
Sollemni in die obitus, & Anniversarii sol-  
lemnis, dicenda sit unica Oratio; hoc ta-  
mem non habet locum in prima Mensis,  
vel Feria 2. dum Missa Principalis sit pro  
Defunctis. Sed hoc Decretum ita concep-  
tum, & saltem sub prædicta data, non  
extat in Regestis S. R. C. quapropter non  
ex vi talis Decreti, sed aliunde probatur  
dicta exceptio, nimirum ex regula tradita  
pro Missis Conventualibus ferialibus, in  
quibus regulariter tres saltem Orationes  
debent dici; & etiam pro peculiari regula  
talis Missæ Mensualis Defunctorum; ut o-  
ptimè notat Turrinus *part. 2. sect. 1. cap. 4.*

Resumendo sermonem de Missa sollemni  
celebranda in die obitus alicujus Defuncti,  
notandum est, quòd non solum in die obi-  
tus potest celebrari Missa Sollemnis; sed jux-  
ta Decretum diei 4. Maji 1686. datum in  
nostro Indice sub n. 484. -- Cum primùm  
habita fuerit certa notitia de obitu alicujus  
personæ, cantari poterit Missa de Requiem  
in festo Duplici etiam majori, quòd non  
sit de præcepto -- Hoc Decretum habetur  
in una Canonorum Regularium Latera-  
nensium sub dicta die, & repetitur etiam  
inter Rubricas Breviarii Franciscani *tit. 3.  
de Offic. Simpl. sub n. 47.* unde videtur hoc  
Decretum esse universale pro omnibus

Gavantus autem ante prædictum Decretum  
*part. 4. tit. 18. in suis Commentariis n. 17.*  
assererebat, quòd pro eo, qui proximè obitus  
longè tamen à nobis, prima vice potest dici  
Missæ, ut in die tertio, omisso verbo  
*tertio*: cui sententiæ jubens subscribit etiam  
Guyetus *lib. 4. cap. 23. quest. 28* subdens,  
quòd eum in tertio die præferibatur Mis-  
sa ut in die obitus, dicenda ergo est in  
dicto casu prima Missa, juxta statum, &  
conditionem personæ defunctæ. Billus  
patiter docuit, dicendam esse in tali casu  
Missam, prout in die obitus, *lit. M. n. 24.  
§. 3. & seqq.*

In die obitus Summi Pontificis dicitur  
Missa, quæ prima habetur in Missali inter  
Missas Defunctorum, id est illa, quæ po-  
nitur pro die Commemorationis omnium  
Fidelium Defunctorum, cum unica tantum  
Oratione, quæ erit *Deus, qui inter summos  
Sacerdotes, &c.* ut ponitur in Missali. Pro  
defuncto Cardinali Episcopo, dicitur eadem  
Missa, ut supra, cum Oratione, *Deus, qui  
inter Apostolicos, &c.* dicendo *Episcopus  
Cardinalem.* Si verò fuerit tantum Presby-  
ter, dicitur *Presbyterum Cardinalem.* Si ve-  
tem erit solum Diaconus, Missa erit ut su-  
prà, & Oratio *Inclina Domine, &c.* in qua  
dicetur *Diaconi Cardinalem, &c.* Pro defun-  
cto Episcopo in die obitus, seu depositio-  
nis, dicetur eadem Missa, ut supra, cum  
Oratione *Deus, qui inter Apostolicos, &c.*  
Pro defuncto Sacerdote, quamvis Rubri-  
ca nihil disponat; tamen in die sui obitus  
seu depositionis, dicenda videtur eadem  
Missa, ut supra, cum Oratione, ut in Mis-  
sali, pro Sacerdote assignata. Ita Billus *lit.  
M. n. 243. §. 3. & seqq.* Pro aliis Defun-  
ctis verò, sive Clericis, sive laicis, in die  
obitus dicitur illa Missa, quæ secundo loco  
habetur intra Missas Defunctorum, cum  
unica Oratione congruenti personæ defun-  
ctæ, quæ regulariter erit *Deus, cui pro-  
prium est, &c.* Billus *cit. loc.* Ex quibus  
deducitur, quænam pro dictis Defunctis  
Missa



Missæ dicendæ sunt in die tertio, septimo, & trigesimo, & Anniversario eorundem obitus, qui dies Sollemnes reputantur; & quæ post horam Nonam, ut diximus, celebrantur. Oratio verò pro personis laicis, &c. in die tertia, septima, & trigesima erit *Quiescimus Domine*: in Anniversario *Deus indignitatum*; quæ Oratio etiam dicitur, si pro tota ex gr. familia Anniversarium celebretur; quamvis Episcopi, vel etiam Summi Pontifices sub ea comprehendantur; secus si pro pluribus Summis Pontificibus, vel Episcopis, &c. celebretur Missa: quia in his casibus Orationes propriæ, in plurali tamen numero, dici debent; ut videre est in fine Missæ.

XII. Rubr. n. 3. pag. 10. In aliis Missis, plures, &c. Quamvis in supradictis Missis celebratis in præfatis diebus Sollemnibus pro Defunctis, vel pluribus, vel pro uno tantum, unica dicatur Oratio, conveniens, ut diximus, conditioni personæ, vel personarum, pro qua, vel pro quibus dicitur Missa; in Missis tamen quotidianis tres dicuntur Orationes, quæ sunt in Missali assignatæ: unde in his Missis quotidianis de *Requiem*, quoad numerum Orationum, servatur eadem regula, ac de Feria, & Simplicibus, seu Semiduplicibus. Quando Missa applicatur generaliter pro Defunctis, regulariter dicuntur illæ Orationes, quæ in Missali pro Missis quotidianis positæ sunt. Verum si Missa celebretur pro aliqua, vel pro aliquibus determinatis personis, primo loco dicitur Oratio pro iis, pro quibus Missa celebratur; secunda, & tertia, quæ secundo, & tertio loco ponuntur in Missa quotidiana Defunctorum. Lohner part. 4. tit. 3. §. 2. n. 4. sacerdos tamen celebrans, poterit secundo loco aliam quoque Orationem dicere, e. g. pro parentibus suis, seu pro suo patre, vel matre sua, Quarti part. 1. tit. 5. dub. 1. vers. Respondeo, n. 7. Quando plures dicuntur Orationes in Missis Defunctorum, ultimo loco semper dicenda est O-

ratio *Fidelium*, quæ est generalis pro Defunctis. Gavantus part. 4. tit. 15. n. 19. Gerlacus Vinitor part. 1. tit. 5. §. 11. & Hagerer in appendice tit. 2. de Missis de *Requiem*, §. 2. n. 4. Dicitur est autem in *Missis Defunctorum*: nam si in aliis Missis eadem Oratio, vel alia pro Defunctis, per modum Collectæ, seu Commemorationis dicatur; tunc semper ponitur penultimo loco: ut habetur in Rubrica tit. 7. n. 6.

Ex dictis sequitur, in Missis quotidianis pro Summo Pontifice, dicendam esse Orationem *Deus, qui inter Summos Sacerdotes* &c. pro Cardinalibus Orationes assignatæ post *Missam quotidianam Defunctorum*; pro Episcopo, *Da nobis Domine*; pro Sacerdote, *Presta quesumus*, vel Oratio *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, &c. quæ omnia colliguntur ex Gavanto part. 4. tit. 18. n. 17.

Suprà satis innumimus, quòd in Missis quotidianis celebratis etiam pro una certa, & nota persona, non unica tantum, sed plures, nempe tres dicendæ sunt Orationes; quarum prima elicienda est ex numero illarum, quæ post Missam quotidianam in Missali Defunctorum descriptam, ponuntur; ut ab illis eliciantur, quæ necessaria sunt pro varietate personarum, ad recitandas Collectas. In prædicto igitur casu elicatur prima Oratio conveniens conditioni personæ; in ejus suffragium offertur Sacrificium; secundo loco dicatur alia Oratio pro libito Sacerdotis celebrantis; tertia verò semper *Fidelium*, ut diximus suprà.

XIII. Rubric. n. 4. pag. 11. & Gavant. ibid. col. 1. lic. e *Sequentia*. Prosa, hoc est. *Dies iræ, dies illa* &c. De hac *Sequentia*, quæ dicitur in Missis Defunctorum, quinam fuerit illius Auctor, variæ sunt Scriptorum opiniones. Leander Albertus, Latino Cardinali Urfino Ordinis Prædicatorum adscribit; Lucas Wadingus, Thomæ de Caelano Ordinis Minorum; alii apud eundem Wadingum,



gum, Sancto Bonaventuræ, vel Mathæo Aquasparto Exgeneralibus Minorum, & Cardinalibus. Posselinus in Appar. Sacro tribui ait Augustino Bugellensi Pedemontano Ordinis S. Augustini; subdens ibidem, verum Auctorem esse Humbertum quintum Generalem Ordinis Prædicatorum. Arnaldus Wion, *lib. 5. ligni Vitæ cap. 70.* à quibusdam asserit adjudicari S. Gregorio Magno; nec desunt denique, qui etiam D. Bernardo eam tribuant. Notat autem Petrus Cirvelus in expositione Missalis *lib. 2. cap. 115.* improprie dici Sequentiam in Missis Defunctorum: quia hoc Officium, nec *Alleluja*, nec *Sequentiam* debet habere, quæ sunt cantica lætitiæ; nam Sequentia neumata post *Alleluja* addito suffecta est: neumata autem sunt distinctiones, ut vocant Musici, notæ illæ, quæ in fine prædictæ vocis *Alleluja* prolixè decantantur. Ex eo deducitur, hanc sequentiam nulli ex antiquis Auctoribus referendam esse; sed alicui ex recentioribus, cum Ritus Ecclesiastici immutari cœperunt; ut censet Card. Bona de Rebus Liturgicis *lib. 2. cap. 6. n. 6.* ex quo hæc omnia collecta sunt, & ipsi profecto est adherendum: nam in antiquis libris, qui *Processionales* vocantur, à B. Humberto suprâ allegato ordinatis, Sequentia hæc inserta non reperitur, & in Missalia Venetiis excusa, pro PP. Prædicatoribus, primò inductam fuisse, asseverat P. Johannes de Palentia in notis ad Ordinarium PP. Prædicatorum: ex quibus colligit etiam Marcellus de Cavalariis in *Sistera Sacra tit. 17.* nec B. Humbertam, nec alios Latino Card. Ursino antiquiores, prædictam Sequentiam composuisse. De prædicta Sequentia dicenda in Missis De-

functorum rursus fuscè loquitur Gavanti in *part. 4. tit. 18.*

Prædicta autem Sequentia pro Defunctis sive *Dies inæ* &c. dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, depositionis Defuncti, & quocumque in Missa dicitur una tantum Oratio: in autem Missis pro Defunctis, dicitur ad arbitrium Sacerdotis, ut patet ex Rubrica *4. p. 11.* Quoad reliquas partes Missæ Defunctorum, quocumque tempore in Missa dicitur *Præfatio Communis*: & hoc habetur in titulo *XII. prima partis n. 4.* Item etiam est dicendum de *Communicantibus*, *Hanc igitur* &c. quæ nunquam variatur in Missa Defunctorum: Gerlacus Vini *part. 1. tit. 12. §. 1.* In fine Missæ non dicitur *Benedictio*, neque dicitur *Benedicamus Domino*; sed ut videndum est in titulo, seu Rubrica *13. secunda partis, De iis quæ mutantur in Missis Defunctorum*, loco *Benedicamus Domino*, dicitur *Requiescant in pace* & in fine Missæ, nunquam aliud Evangelium legitur, quam S. Johannis, *In principio erat Verbum* &c.

Cætera, quæ spectant ad Ritus, & Ceremonias talis Missæ, sive Sollemnis, sive Privata Defunctorum, legi possunt in Commentariis Gavanti ad prædictum titulum *17. ad tit. 17. quarta partis*; quibus etiam ibi adjiciemus ea, quæ nobis videbuntur opportuna, & necessaria, pro Ritu exactè celebrandi dictas Defunctorum Missas; quæ semper debent celebrari in colore nigro vel saltem violaceo; ut patet non solum Rubrica, seu titulo *18. prima partis, de coloribus paramentorum*; sed etiam ex Decreto S. R. C. sub die 27. Junii 1670. dato in nostro Indice sub n. 444.

\*\*

\*\*

\*\*



## NOVÆ OBSERVATIONES, &amp; ADDITIONES AD GAVANTI

Tit. VI. De Translatione Festorum.

## RUBRICA

in nova Editione auctior reperta, ad pag. 12.

**I**N dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, & Semiduplicium, quando majori aliquo Festo, seu Dominica impediantur. In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesia, vel concursus Populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesima, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, & Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphania, Ascensionis, & Festo Corporis Christi, aut saltem Commemoratio fieri de Festo, si de eo non debeat celebrari Officium illa die.

## GAVANTUS

in eadem Editione recentiore penitus mutatus, ad pag. 12.

De Translatione Festorum, & nos docebimus in Rubrica Breviarii. Vide hoc loco solutiores leges Missæ, quam Officii Divini: quia Populus concurrat ad audiendum potius Missam, quam Vesperas, & alias Horas, idcirco conceditur posse fieri alteram Missam Sollemnem de Festo translato. Excepti dies in Rubrica nova sub Urbano VIII. apertam habent causam, & rationabilem; ut Populus attentior sit ad mysteria eorundem dierum: in sine verò prædictarum duarum Missarum, Evangelium dicitur S. Joh. III. non aliud Feria, vel Festi occurrentis.

\* Prædictæ item duæ Missæ ea ratione cantanda erant, ut altera de die post Horam congruentem, de qua infra tit. 13. n. 2. altera de Festo (cum nullam habeat cum Officio connectionem) post Nonam: si hoc accidat in temporibus Pentecostes, ambæ quidem post Nonam; sed illa prius de die, qua cum Officio concordat; postea de Festo, ad cujus Missam Populus eo libentius, quò tardius, convenire solet: & licet in hoc casu nulla Hora sit media inter utramque Missam, quòd tit. seq. num. 2. convenire docebimus; tamen est casus unicus, & privilegiatus ob concursum Populi. (Reliqua omittuntur.)

I. Rubrica suprâ posita. In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesia, &c.) In diebus à superiori Rubrica expressis, nempe Dominica prima Adventus, Feria 4. Cinerum, &c. non solum non possunt dici, nec cantari Missæ Votivæ, licet pro re gravi; sed etiam si Festum Titularis Ecclesiæ occurrat his diebus, quamvis cum Populi concursu, non potest ultra Missam diei cantari Missa dicti Titularis Ecclesiæ, cuius Officium transfertur.

In aliis autem diebus, in quibus ex con-

cessione superioris Rubricæ possunt cantari duæ Missæ Sollemnes ratione Tituli Ecclesiæ, vel Festi alicujus Sollemnis cum magno concursu Populi; prima de Officio diei dicitur post Tertiam; altera verò de tali Festo translato post Nonam, cum unica Oratione, Gloria in excelsis, & Credo, si illud tale Festum admittat; imò etiam cum propria Præfatione, si eam habeat. Guyetus, lib. 4. cap. 8. quest. 6. Bifus lit. T. n. 73. §. 22. quibus adjicere lubet, quòd etiam si prædicto Festo non conveniret Symbolum; nihi-



nihilominus, si Missa Sollemnis prædicti Sancti cantaretur in aliqua ex Dominicis non exceptis, Symbolum adhuc esset dicendum, seu cantandum ratione Dominicæ; eo modo, quo in titulo de Missis Votivis præscribitur, dicendum esse Symbolum in Missa Votiva Sollemni pro re gravi, etiam in colore violaceo celebrata, si dicatur in die Dominicæ; & hoc ratione dictæ Dominicæ.

In fine autem prædictæ Missæ Sollemnis Festi translati, dicitur semper Evangelium S. Johannis, *In principio &c.* Cætera quæ spectant ad hanc materiam de Translatione Fæstorum, in hærentes nostri Gavanti vestigiis, fuliori calamo trademus, quando de eadem re nobis agendum occurrerit, in explanandis Rubricis Breviarii Romani. Solùm hoc loco damus sequentia S. R. C. Decreta, quæ ad aliquas dirimendas quæstiones, & decidenda dubia inservire poterunt.

Missæ Sollemnis de S. Josepho, quando ejus Festum incidit in Feriam 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, non potest cantari. Ita S. R. C. die 4. Augusti 1663, & datur in nostro Indice sub n. 402.

Nulla est disparitas inter translationem Fæstorum Apostolorum, & illam Evangelista-

rum: 18. Septembris 1666. & in nostro Indice sub n. 427.

In Ecclesiis, ubi quotidie non cantatur Missa, si occurrat Festum Patroni, seu Titularis, diebus, quibus non potest de fieri Officium; nihilominus potest dici non exceptis à Rubrica Missalis tit. 6. Translatione, cantari Missa de Patrono, seu Titulari; licet non cantetur altera Missa concordans cum Officio. 18. Augusti 1700 in nostro Indice sub n. 586.

Translato Fæsto, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia. S. R. C. 30. Septembris 1690 & habetur in Catalogo Decretorum, & Statutorum ad Breviarium Romanum n. 10.

Hoc Decretum intelligendum est, nisi ex speciali privilegio aliter decernatur: uti reverà aliter decretum, & concessum fuit ex speciali privilegio ab Innocentio Papa XI. pro Fæsto translato S. Benedicti, ut constat ex ejusdem Pontificis Bulla, data die 26. Septembris 1679, & quæ habetur in Officiis propriis Sanctorum Monastici Ordinis S. Benedicti, impressis Parisiis, Anno 1715.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. VII. De Commemorationibus.

I. Gavant, pag. 13. col. 1. lit. f. *Quod fit in Fæsto secunda Classi.* Asserit hic Gavantus, in hærens Rubricæ, quod in Fæstis secundæ Classi fit Commemoratio Festi Simplicis in Missis tantùm Privatis, non verò in Missa Sollemni; & hoc semper verum est, dummodò de dicto Simplici facta sit Commemoratio ad Laudes; ut contingit in Fæsto S. Jacobi Apostoli die 25. Julii, in cujus Officio ad Laudes fit Commemoratio S. Christophori Martyris; & ideò de eodem fit Commemoratio in Missis Privatis, non verò in Missa Sollemni. Quia autem Missa media, quæ cantatur sine Ministris Sacris, non reputatur

Sollemnis, ut diximus supra; idcirco etiam ea debet fieri dicta Commemoratio Simplicis; id docentibus etiam Benedictus XIII. in suis Opusculis, *opus. 1. r. pag. 174.* & Billo *v. Missa Sollemnis n. 25 §. 2.* Aliter tamen dicendum est, si Missa illa media reputetur tanquam Sollemnis.

II. Gavant, pag. 13. col. 1. ead. lit. f. *Missis Privatis Festum prima Classi &c.* Quamvis verum sit, quod in Fæsto primæ Classi nulla fiat Commemoratio Simplicis, neque in Missis Privatis; a tanto ab hac regula excipiendam esse secundam Missam Nativitatis Domini, in qua ex speciali



dispositione fit Commemoratio Sanctæ Anastasiæ *Virg. & Marr.* non solum in Missis Privatiss, sed etiam Sollemnibus, putat Biffus *lit. C. n. 365. §. 2.*

Fit tamen: non enim fit S. Anastasiæ Commemoratio, quia fit Festum simplex; sed quia secunda illa Missa in Ecclesia S. Anastasiæ celebrabatur; ut colligitur ex antiquiori Ordine Romano apud Hittorp. qui Ricus adhuc Seculo decimo quarto in Ecclesia Romana vigeat, teste Jacobo Cajetano in Ordine suo, in quo hæc legantur pag. 327. *Summo igitur mane Pontifex indutus missilibus vestimentis vadit ad S. Anastasiam, ut celebret ibi Missam secundam.* Idem legitur in Ordine Amelii n. 10. ex quo etiam discimus, quod absente Pontifice ab Urbe, hæc Missam celebrabat Cardinalis, Titulum habens S. Anastasiæ, & in ejus defectu primus Cardinalium Presbyterorum. Placeat hoc loco innuere, quod in antiquo Codice Turonensis Ecclesiæ Annorum 800. à Martene relato de antiqua Ecclesiæ disciplina cap. 12. Collecta de S. Anastasia præmittitur Orationi de Nativitate Domini. Imò antiquissimus Codex Parthenonis B. Mariæ Catenis, ab eodem Scriptore laudatus, duas habet Præfationes, unam de Nativitate, alteram de S. Anastasia. Ex quo fortasse conici possit, antiquitus secundam Missam in die Natalis Domini fuisse de S. Anastasia; quod tamen absque gravi testimonio certo non affirmarem. De hac re iterum sermonem agemus, cum loquemur de secunda Missa in Festo Nativitatis Domini.

In prædictis Festis primæ Classis, quamvis non sit faciendæ Commemoratio Festi Simplicis, fit tamen Commemoratio: 1. de die Octava alicujus Festi, quæ possit occurrere cum tali Festo primæ Classis: 11. de Dominica, nisi sit vacans, seu talis, de qua nec in Officio, nec in Missa aliquid fit, ex. gr. si Festum Nativitatis Domini in diem Dominicam incidat: 111. fit Commemoratio de Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, &

*Gavant. Rubr. Miss.*

Corporis Christi; ut colligi potest ex Rubrica Breviarii post tabulam Occurrentiæ n. 2. 3. 5. 17. de Feriis fit Commemoratio in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, & Rogationibus, ex Rubrica *hujus tit. n. 2. p. 13.* v. de Dominica anticipata in Sabbatis ante Dominicas Septuagesimæ, & ultimam post Pentecostem, utpote quæ non habent rationem Vigiliæ, sed quasi Feriæ majoris; prout colligitur ex Rubrica Breviarii *tit. 4. n. 4.* ubi præscribitur absque ulla limitatione: quod si tota hebdomada impedita sit Festis novem Lectionum etiam translatis, &c. tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, & de ea fiat Commemoratio in Laudibus tantum, & consequenter etiam in omnibus Missis, cum ibi nulla habeatur exceptio.

Contra verò in dictis Festis primæ Classis, ut bene notat Hagerer in *sua Appendice tit. 3. n. 3.* nulla debet fieri Commemoratio: 1. de aliis diebus infra Octavas occurrentibus e. g. in Festo SS. Petri, & Pauli, occurrente infra Octavam S. Johannis Baptistæ, nulla fit Commemoratio de S. Johanne Baptista, nisi tamen de speciali privilegio, vel indulto constet: 11. nec de Simplicis occurrente, ut supra diximus. 111. neque de Vigilia, ut ex Rubrica, quæ habetur *tit. 3. de Feria & Vigil. n. 2.* excepta Vigilia Epiphaniæ, de qua in Rubrica *tit. 9. num. 2.* Commemoratio fit: 17. neque dicitur Oratio imperata à Superiore, velut *Deus Refugium*, &c. ut habetur ex Decreto diei 28. Augusti 1617. dato in nostro Indice sub n. 219. & ut colligitur ex alio Decreto diei 2. Decembris 1624. dato in nostro Indice sub n. 471. in quo eadem Collecta prohibetur etiam in Festis secundæ Classis.

In Festis autem secundæ Classis præter Commemorationem de Festo simplici in Missis Privatiss tantum, debent fieri aliæ

Q

Com-



Commemorations, quæ fiunt in Festis primæ Classis, ut supra.

Item de Vigilia occurrente; & de eadem, si propter Festum e. g. S. Jacobi in Feria secunda occurrens, Vigilia in Sabbato præcedenti anticipanda sit. Deinde fit Commemoratio de Octavis in Duplicibus secundæ Classis occurrentibus infra Octavam Nativitatis Domini; ut notatur in Breviario, & Missali, quia habent speciale privilegium.

Non fit tamen Commemoratio in diebus secundæ Classis de aliis Octavis, id est de diebus infra Octavas, nisi vel ex Rubrica, vel privilegio specialiter exprimat. Nec urget contra hanc regulam, quod si fiat Commemoratio de Simplici; multo magis debet fieri de die infra Octavam, cum sit nobilior Festo Simplici: nam, ut optime advertit Bissus *lit. C--num. 363. §. 12.* de die infra Octavam fit Commemoratio sæpius, quam de Festo Simplici: & ideo non officit, quod aliquando omittatur Commemoratio diei infra Octavam.

Quænam autem Commemorationes faciendæ sint in Festis Duplicibus, Semiduplicibus, &c. facile colligi potest ex Rubricis tum Breviarii, tum Missalis; & ex his, quæ tradit Gavantus in suis Commentariis ad Rubricam nonam primæ partis; quibus, si opus fuerit, aliqua adjiciemus, ad explananda dubia, quæ possunt occurrere in hac materia.

Circa Commemorationes, quæ debent fieri in Missis Votivis, satis superque diximus in nostris Observationibus ad *tit. 4.* in quo agitur de præfatis Missis.

III. Rubr. num. 6. p. g. 14. & Gavant. *ibid. col. 1. lit. l. Penultimo loco &c.* Præscribit hæc Rubrica, quod si in Missa Officii alicujus diei faciendæ sit Commemoratio pro Defunctis, semper penultimo loco fiat. A Sacra autem Rituum Congregatione, 2. Decembris 1684. statutum est, quod in Missa Privata de Festo Semiduplici, vel Simplici, &c. possit in penultimo loco dici Collecta, etiam pro particulari Defuncto, præ *incli-*

*na, vel Deus &c.* & datur in nostro Indice sub *n. 473.*

Lubet nunc exhibere hic alia Decreta S. R. C. spectantia ad hunc titulum de Commemorationibus faciendis in Missis; ut inde facilius resolvantur dubia, quæ possunt suboriri.

In Collecta, Episcopus non potest cogere Regulares, ut faciant Commemorationem ipsius. S. R. C. 19. Junii 1602. & datum in nostro Indice sub *num. 2.*

Missæ de Dominica, seu de Festo Duplici, si illa die occurrat, debet dici cum Commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Missalis; quando debet fieri à Canonico particularis Processio cum Sanctissimo Sacramento in diebus Dominicis cupi debet Mensis. S. R. C. 6. Decembris 1659. in *Fanen.* & in nostro Indice sub *n. 313.*

Qui habent privilegia celebrandi Octavam in Quadragesima, occurrente die infra Octavam ejusmodi Octavam in Feria 4. Curam, nullam debent facere Commemorationem de Octava, neque in Missa, neque in Laudibus. S. R. C. 24. Januarii 1682. in nostro Indice sub *n. 459.*

In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadragesima, debent Privilegiati, celebrantes dictam Octavam, dicere Missam Conventualem de Feria occurrentem cum Commemoratione Octavæ, &c. 24. Januarii 1682. & in nostro Indice sub *n. 460.*

Advertendum hoc loco, quod etiam Missæ Privatae in dicto casu debent esse de Feria (ut diximus supra in titulo de Feria, & Vigilia) cum Commemoratione Octavæ, non exclusis tamen Missis Votivis, & Requiem.

In Feria 6. post Octavam Ascensionis occurrente aliquo Festo novem Lectionum, nisi tale Festum fuerit ex Sollemnioribus, faciendæ est Commemoratio in Missa dictæ Feriæ. S. R. C. 4. Aprilis 1705. & in nostro Indice sub *num. 594.*



IV. Rubric. n. 7. pag. 15. & Gavant ibid. col. 2. lit. p. *Dominus vobiscum, &c.*) Completo Angelico Hymno *Gloria in Excelsis*, de quo infra; vel si iste Hymnus non dicatur, dicto ultimo *Kyrie eleison*, antequam Sacerdos incipiat primam Orationem, Populum salutatur, dicens, *Dominus vobiscum*: super qua salutatione, ultra ea, quae Gavantus eruditè dicit, addendum est, hanc salutationem antiquissimam esse: imò ab Apostolis institutam, prout affirmat Concilium Bracarense *I. Can. 21.* in quo hoc Decretum edidit -- *Placuit, ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri Populum, sed uno modo, saluent, dicentes, Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur, & ut respondeatur à Populo, & cum Spiritu tuo: sicut & ab ipsis Apostolis traditum, omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas immutavit. Priscillianus enim, ut notat Garzias Loayza ad hunc Canonem, non semel tantum, ut moris est in Ecclesia Latina, & prima vice: sed semper ab Episcopis dicendum esse Pax vobis, contendebat. In prædictum Canonem mendam irrepsisse nonnulli viri docti observarunt, ut pro *Oriens: Occidens* legi debeat; id quod etiam advertit Cardinalis Bona *lib. 2. cap. 5. n. 1.* nam in Ecclesia Orientali, cum Sacerdotes salutant Populum, dicunt *Pax omnibus*, sicut constat ex Liturgiis Basilii, & Chrysostomi; & semel tantum in Liturgia S. Marci reperitur hæc formula salutandi Populum: *Dominus sit semper cum omnibus vobis.**

Pontifex, vel Episcopus, ut mox innuimus, in Ecclesia Occidentali, cum Populum salutatur prima vice, ante primam Orationem, non dicit *Dominus vobiscum*, sed *Pax vobis*: quia Christus Dominus his verbis locutus est ad Discipulos post suam Resurrectionem, ut legitur apud Johannem *Cap. 20.* cujus typum gerunt Pontifex, & Episcopus. Verum, ut postea demonstret Episcopus, se esse de numero cæterorum Sacerdotum, dicit, ut alii Sacerdotes, *Dominus*

*vobiscum*, eam aliis Populum salutatur: ita Innocentius III. *lib. 2. de Mysteriis Missæ cap. 42.* & hic Ritus est conformis Canonis superius allegati Concilii I. Bracarenfis.

Quoniam verò tanquam pluribus dicitur *Dominus vobiscum*, olim statutum fuit, ne quis celebrare præsumeret, nisi d. vobis saltem præsentibus, & adstantibus; ne mendaces invenirentur Sacerdotes, si ad unum solum præsentem dirigerent prædictam salutationem *Dominus vobiscum*, & hæc alia verba *Orate Fratres.* Extat Canon de hac re apud Gratianum *de Consecrat. dist. 1. cap. 61.* ubi leguntur hæc verba: *Statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum Sollemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibi que respondentibus &c.* Verum hoc nimis scrupulosè sancitum fuit: & reverà alienum est à praxi communi Ecclesiæ: quia celebratur communiter Missa Privata, etiam cum unico tantum Ministro præsentem, & inserviente. Nulla igitur absurditas est, ut advertit etiam Cardinalis Bona *lib. 1. c. 13. n. 6.* quòd in plurali salutatione, dicat Celebrans *Dominus vobiscum*; quamvis cum uno solo Ministro præsentem Sacrificium peragat; sicut Sacerdos, cum solus recitat nocturnas, & diurnas preces, sine ullo mendacio omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in Divinis Officiis digesta sunt: dicit enim *Venite adoremus, Venite exultemus, Oremus, Benedicamus &c.* cum nemo illic sit, qui secum adoret, exulteret &c. Cur igitur idem non licebit Sacerdoti Missam celebranti; cum id agat in persona totius Ecclesiæ, & per hanc salutationem salutetur Ecclesia (ut asserit Alexander Alesis *part. 4. quæst. 36.*) cujus Corpus unum est, unius Fidei unitate subsistens, & vivificantis Spiritus una virtute perfusum?

De hac salutatione *Dominus vobiscum* eruditè discurrunt Antonius Bellotte in suis observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis *pag. 393.* Claudius de Vert *tom. 1. pag. 95. & 96.* & aliis in locis; Petrus Le Brun



tom. 1 pag. 189. Grancolas de antiquis Liturg. pag. 477. Card. Bona lib. 2. cap. 5. & Natalis Alexander in sua Theologia Dogmatica & Morali lib. 2. art. 5. n. 6. qui pariter tractant de Responfione & cum Spiritu tuo, quam

Minister præbet Celebranti nomine omnium assistentium. Aliqua alia spectantia ad hanc salutationem dicemus quoque nos in Additionibus nostris, quas dabimus infra.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. VIII. De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in Excelsis,

I. Rubr. n. 1. pag. 16. & Gavanti. ibid. col. 1. lit. r. *Introitus, vel quia &c.*) Cantus, qui ad exordium Missæ usurpatur ab Ecclesia, communiter appellatur Introitus: quia per eum introitur ad Officium Divinum, ut volunt Amalarius lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis cap. 5. Alcuinus lib. de Divinis Officiis, & vetus quidam Anonymus in expositione totius Missæ ex concordia Scripturarum Divinarum, quæ teste Card. Thomaſio in Disquisitione præmissa antiquis libris Misſarum, extat in Ordine Romano MS, Bibliothecæ Vallicellanz.

II. Gavanti. pag. 16. col. 1. ead. lit. r. *Dicitur Antiphona.*) Cur Introitus appelletur *Antiphona*, non dicit Gavanti: ratio tamen ea est, ut ostendatur genus modulationis, nempe alternus cantus: *Antiphona* enim, teste Isidoro lib. 6. Originum, cap. 19. ex Greco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet Choris alternatim psallentibus. Hinc Romani Ordines, Antiphonaria, & Auctores Ecclesiastici vocant *Antiphonam* ad Introitum.

Ejus institutio non est antiquior Cælestino I. Pontifice: optimè enim laudatus Thomasius ostendit, ante Cælestini tempora ordinem Misſarum in Occidente à Lectionibus incepisse: & quamvis contrarium ex Augustino lib. 2. Retract. cap. 11. videatur inferri, nihilominus Augustinum eo loci non intelligendum esse de Introitu Missæ, optimè probat eruditissimus Cardinalis ibidem. Primus itaque Cælestinus hunc Antiphonæ concentum ad Missæ Introitum instituit: etenim in veteri Catalogo Romanorum Pontificum, edito ab Henichenio, & Papebrochio, 1011.

1. *Menſis Aprilis*, hæc leguntur de Cælestino: *Hic fecit, ut Psalmi centum quinquaginta deberent ante Sacrificium psalli; quod non fiebat, nisi tantum Epistola Pauli Apostoli, & Sanctum Evangelium: & sic Missæ celebrabantur.* Eadem testantur liber Pontificali, Walafridus Strabo, Honorius, Micrologus, Berno, Amalarius, & quotquot veteres à his rebus scripserunt. Putat autem idem eruditissimus Cardinalis, Cælestinum id Ritum Antiphonæ mutuatum fuisse ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo, qui idem modulationis genus ab Orientibus dudum acceperat. Porro Gavanti hic, & Genebradas lib. de Apostolica Liturgia cap. 17. contendunt, ante Cælestinum Psalmos in Introitu Missæ fuisse cantatos; quod ex Dionysio Areopagita lib. de Ecclesiast. Hierarchia cap. 3. & Cassiano, probare se posse confidunt, sed utrumque Scriptorem, suppressio tantum Gavanti nomine impugnat Eminentissimum Bona lib. 2. cap. 3. num. 1. nam & Dionysii Areopagite opera apud ipsum Eminentissimum Auctorem, necnon apud alios Doctissimos Scriptores valde dubia sunt, nec eodem eidem Dionysio Areopagite, & Pauli Apostoli prædicatione ad Fidem converso, asseruntur. Cassianus verò lib. 2. Institut. cap. 13. & lib. 3. cap. 5. Missam sumit per Hora Canonica, seu pro cursu Divini Officii; ut etiam præter laudatum Cardinalem asserit, & probat Edmundus Martene in suo eruditissimo Commentario ad Regulam S. Benedicti cap. 17. ubi confirmat talem Missæ acceptionem etiam auctoritate Concilii Athenensis, in cujus Can. 30. hæc habentur

Hyp



Hymni matutini, vel vespertini, diebus omnibus decantentur, & in conclusione matutarum, vel vespertinarum Missarum, post Hymnos capitella de Psalmis dicantur. Ex quibus liquet, auctoritatem Cassiani nihil suffragari sententiae Genebrardi, & Gavanti: quia revera citatis locis non sumit Missam pro Sacrificio Eucharistico, sed pro Horis Canonicis, seu pro Monachorum conventu ad Divinum Officium persolvendum.

III. Gavant, pag. 16. col. 2. ead. lit. r. Quia quando Introitus incipit à primo versu Psalmi &c.) In Antiphonis, quibus incipitur Missa Introitus, regula certa est, quae etiam expressè traditur in quodam codice MS. Archivi Canonico S. Petri: & quotiescunque Introitus desumitur ex aliquo Psalmo, idem ipse Psalmus inchoatur post Introitum ipsum: & sic revera servatur in quovis Introitu Missalis, exceptis quatuor Missis, quae recentiori tempore aptatae sunt, scilicet Missa Transfigurationis Domini, Decollationis S. Johannis Baptistae, S. Francisci Xaverii, & S. Ignatii. In Missa quoque S. Ignatii ponitur *Gloriabuntur in te omnes*, qui est penultimus Psalmi 5. *Verba mea*; quando juxta praedictam regulam, ponendum esset initium ejusdem Psalmi *Verba mea*.

IV. Gavant, pag. 16. col. 2. ead. lit. r. Irregulares verò Introitus) Durandus lib. 4. Rational. cap. 5. & Gavantus hic, irregulares Introitus vocant eos, qui non ex Psalterio, sed ex Prophetis, aliisque Scripturae libris desumpti sunt; quorum nonnulla exempla à Gavanto, plura à Cardinali Bona producuntur citato cap. num. 3. Verùm his etiam addendi sunt illi, qui neque ex Scripturae excerpti sunt, quemadmodum censendi sunt illi: *Salve Sancta Parens: Gaudeamus omnes in Domino: Benedicite Sancta Trinitas: qui in Antiphonario Gregoriano non reperiuntur. Illud autem hoc loco non est praetermittendum, quòd quamvis in Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus ex Psalmis juxta antiquum morem desumpti sunt; ni-*

hilominus aliqui nunc sunt ab illa regula recedentes, quos propterea Durandus lib. 4. cap. 5. Rational. vocat irregulares, ut *Puer natus est nobis*, in die Nativitatis Domini; *Viri Galilaei*, in die Ascensionis; *Spiritus Domini, &c.* in die Pentecostes; *Nunc scio verè*, in die S. Petri ad Vincula; *Stabant juxta Crucem*, in Festo septem Dolorum B. M. V. & alii pauci ex aliis Scripturis.

V. Gavant, pag. 17. col. 1. lit. f. *Gloria Patri additum est.*) Post Introitum olim integer Psalmus; nunc unus ejusdem Psalmi versiculus decantatur cum *Gloria Patri*, qui versus ab antiquis Patribus Hymnus glorificationis dictus est. Nicephorus lib. 9. Eccles. Historia cap. 24. ejus Auctorem facit Flavianum Monachum Antiochenum. Alii verò à Synodo Nicæna institutum asserunt: sed vetustiore esse, & ab Apostolis (ut hic observat noster Gavantus) traditum fuisse, demonstrat Baronius ad A. 325. & Card. Bona in lib. de Div. Psalm. c. 16. §. 6. Athanasii, & Basilii testimonio id probat. Cum enim Fideles ab initio Ecclesiae, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati essent, ipsis tribus personis hunc Hymnum glorificationis canere didicerunt: quare probabile est, ut doceat Henricus lib. 9. de Missa cap. 32. n. 1. in Ecclesia Graeca hunc usum ceptum esse à praedicto Flaviano Antiochæno, adjuvante Chrysostomo; & in Latina Ecclesia S. Hieronymum obtinuisse à Damaso Papa, ut in fine cujuscunque Psalmi diceretur; ut legitur in Vita S. Damasi Papae, & idem innuit Gavantus supra.

Cætera, quae spectant tum ad Introitum, tum ad *Gloria Patri*, videri possunt apud Card. Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 3. & alibi: ex quo excerpta sunt nonnulla, quae hic nos quoque tradidimus. Eruditissimè etiam de hac prima parte Missae dille- rit Hugo Menardus in suis doctissimis notis, & observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papae p. 3. Praeter duos allegatos praclarissimos Auctores, egregiè quoque



quoque discurrunt de Missæ Introitu Edmundus Martene de antiq. Eccles. Ritibus lib. 1. art. 3. Antonius Bellotte in suis observationibus à pag. 372. usque ad p. 375. Grancolas de antiquis Liturg. à pag. 457. usque ad pag. 464. Claudius de Vert, & Petrus Le Brun uterque 1. tom. suorum operum Liturgicorum.

VI. Gavant, post Rubr. n. 2. pag. 17. col. 1. lit. u. *Invenitur in Liturgiis S. Jacobi, & S. Marci.*) Non solum in præfatis Liturgiis Jacobi, & Marci, sed etiam Basilii, & Chrysostomi reperitur prædicta precatio *Kyrie eleison*, quæ cum græca vox sit, significat *Domine miserere*. In Liturgia Jacobi multoties repetitur tam à Celebrante, quàm à Populo, dum in eadem legitur -- Post Lectionem, & Doctrinam, Diaconus dicit, *dicamus omnes Kyrie eleison, &c.* Populus dicit ter *Kyrie eleison*. Item Diaconus Collectam Catholicam, & universalem facit: *In pace Dominum oremus.* Populus, *Kyrie eleison*. Item Populus ter *Kyrie eleison*. Item Populus duodecies *Kyrie eleison*. -- Similia leguntur in Missa Marci, Basilii, & Chrysostomi: & Basilii ipse de hac præcatione, quam Græci Litaniam appellant, disserit scribens ad Neocæsarienses, Græci, & Ambrosiani multum frequentant ad Horas hanc invocationem *Kyrie eleison*; & in Missa Ambrosiana reperitur in tribus locis, nimirum post Hymnum *Gloria in excelsis*, post Evangelium, & in fine Missæ: in Missa verò Romana, dicitur novies post Introitum, ut præscribit superiôr Rubrica, alternatim cum Ministro, id est ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & ter *Kyrie eleison*: ter, ut notat Gavantus ex D. Thoma, dicitur ad Patrem, ter ad Filium Christum, ter ad Spiritum Sanctum: sed cur dicatur ter *Kyrie eleison* ad Patrem, & iterum ter ad Spiritum Sanctum, ratio est, quia Pater, & Spiritus Sanctus sunt ejusdem tantùm naturæ: ad Filium verò dicitur ter *Christe eleison*: quia Filius quamvis sit ejusdem naturæ Divinæ

cum illis, est tamen & alterius substantiæ, seu naturæ, nempe humanæ, quam assumpsit, & secundum quam unctus est à Deo oleo lætitiæ præ confortibus suis, non oleo visibili, sed invisibilis Divinitatis plenitudine, & ideo *Christus*, id est *Unctus* vocatur. Cuius unctionis redundantia, & effusione, hominis miseratus est (quem latrones spoliatum & vulneribus confossum, semivivum reliquerant) plagas ejus oleo gratiæ suæ perfundendo, & curando. Rursus quare in Missa decantetur novies dicta precatio, alias rationes adducunt etiam Durandus in *suâ Rationali*. lib. 4. cap. 12. necnon Illustrissimus Hieronymus Crispi Ravennæ Archiepiscopus in sua erudita Dissertatione *Mysterium Evangelicæ legis, &c.*

VII. Gavant, post Rubr. n. 2. pag. 17. col. 1. lit. u. *A Græcis Silvester ad Romanos transmissit.*) Quamvis Gavantus asseveret, innotendo Radulpho Tungrensi, à Græcis ad Romanos Silvestrum dictam precationem transmississe; hoc tamen incertum est. Ambricius, Strabo, Micrologus, & alii ferè omnium Officiorum Ecclesiasticorum explanatores Gregorio Magno hoc tribuunt: sed multis Annis ante Sanctum Gregorium in Ecclesia Latina hujus precis institutionem usurpata fuisse constat; ut optime adnotat Gavantus hic ex Concilio 2. Valenti sub Felice IV. cap. 3. adeoque Annis centum, & quinquaginta circiter ante Gregorii ætatem: prædicti autem capitis, & Synodi verba hæc sunt -- *Quia tam in Sede Apostolica, quàm etiam per totas Orientales, atque Italia Provincias, dulcis, & nimiam salutaris consuetudo est intronmissa, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam Sancta consuetudo, & ad Martinos, & ad Adissas, & ad Pesperas, Deo propitio intronmittatur.* -- Quapropter melius respondit idem Gregorius Magnus lib. 2. epist. 63. se Ceremonias antiquas Ecclesiæ Romanæ conservare, non autem à Græcis



accipere: id quod etiam ex eo probat, quod apud Græcos dicitur *Kyrie eleison* à Populo; apud Latinos à Sacerdote: & quod Græci non interponant *Christe eleison*, ut Latini faciunt (& nos jam supra innuimus, & explicavimus) sed simpliciter dicant *Kyrie eleison*.

Non est autem mirum, ut alibi etiam adnotavimus, si Græco, necnon Hebræo idiomate utatur Latina Ecclesia in Sacris Mysteriis peragendis, sicut facit, profereudo has voces hebraicas -- *Amen* -- *Alleluja* -- *Sabaosh* -- *Osanna*: id enim ita institutum est, ut ostendatur, unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, & Græcis primùm, deinde ex Latinis coadunata est: vel quia Mysteria nostræ Fidei, & Sacra Liturgia, ut alibi satis indicavimus, tribus hisce linguis ab Apostolis, eorumque immediatis successoribus consecrata, vel saltem celebrata fuerit: quæ quidem linguæ in Titulo Crucis quemadmodum consecratae sunt; & sicut cruentum Christi Sacrificium tribus hisce principalioribus linguis omnibus nationibus fuit manifestatum; ita congruum omnino est, ut etiam in ejusdem Salvatoris Sacrificio incremento celebrando, easdem tres principales linguas adhibeat Ecclesia.

Agunt de prædicta deprecatione valde eruditè Card. Bona lib. 2. cap. 4. n. 1. Menardus loc. supracit. pag. 5. Edmundus Martene lib. 1. de antiq. Eccles. Ritibus c. 4. Stephanus Durandi de Ritibus Ecclesie lib. 2. cap. 13. Antonius Bellotte in suis observ. pag. 375. Perrus Le Brun tom. 1. pag. 164. Grancolas de antiq. Liturg. pag. 464. & Claudius de Vert in 1 tom.

VIII. Gavant, post Rubr. n. 3. pag. 17. col. 2. lit. u. *Ut autem dicatur in Missa, constituit Telesphorus.* Anastasius in Vita S. Telesphori ait, ipsum constituisse, ut ante Sacrificium diceretur Hymnus Angelicus, de quo hic Gavantus, hoc est, *Gloria in excelsis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc prima hujus Hymni verba

& Cælo ad nos Angelorum Chorus invexit; & ideo, ut bene noster Auctor, Hymnus Angelicus dicitur est. Cætera autem, quæ recitantur in eodem Hymno, à quo addita fuerint, multiplex est Auctorum sententia, quos refert Gavantus hic. Quidam Telesphorum, qui Anno 126. Romanæ suscepit regimen Ecclesie, eorum Auctorem faciunt, ejusque sententia, ut innuit Gavantus, est Innocentius III. loco ab eo citato, & alii, quibus addi potest etiam Sigebertus in Chronico. Sed hanc opinionem rejicit Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 4. quia Auctor libri Pontificalis nequaquam asseverat Telesphorum ea verba addidisse; sed tantum constituisse, ut ante Sacrificium Hymnus diceretur Angelicus: & tunc forsitan, ait Bona, verba tantum Evangelica in usu erant, sicut extant in Liturgia Jacobi; non verò integer Hymnus. Observat etiam idem Eminentissimus Auctor, tempore S. Athanasii jam in usu fuisse, cum hic libro de Virginitate verus finem de præfato Hymno mentionem fecerit his verbis -- *Hymnumque dicito Gloria in excelsis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te, &c.* & quæ sequuntur: unde concludit, PP. Concilii IV. Tolletani circa Annum 633. celebrati, & allegati etiam à Gavanto, cautius locutos esse, qui Can. 12. ajunt: *Reliqua, quæ sequuntur post verba Angelorum, Ecclesiasticos Doctores composuisse, quicumque illi fuerint.*

IX. Gavant. post Rubr. n. 3. pag. 17. col. 2. ead. lit. u. *Symmachus præterea jussit, &c.* Ex supradicto Anastasio habemus pariter, juxta Gavanti nostri sententiam, Symmachum constituisse, ut omni die Dominico, & in Natalitio Martyrum, Hymnus diceretur Angelicus. Antea siquidem tantum in Missa nocturna Nativitatis Dominicæ cantari solebat ex Telesphori Decreto; si vera sunt, quæ Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. loco à Gavanto supra citato



tato tradit: sed, ut mox diximus, tempore Telephori verba tantum Evangelica in usu erant: Constitutum vero Symmachi ad totum præfatum Hymnum extenditur; quia, ut superius ostendimus, jam antea compositus erat: quapropter rejiciendi sunt illi, qui talem Hymnum Symmacho adscribunt. Observandum tamen est, quod si Constitutum Symmachi ad omnes Presbyteros extendatur, dicendum est, S. Gregorium illud restrinxisse ad solos Episcopos: Missæ enim Ordinem in libro Sacramentorum describens, ait: *Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus Festis; à Presbytero autem minimè dicitur, nisi in solo Pascha: quando verò Litania agitur, neque Gloria in excelsis Deo, neque Alleluja canitur.*

X. Gavant. pag. 18. col. 1. ead. lit. u

*Quando in Officio dicitur Te Deum, &c.)* In teligitur hæc regula, quando Missa dicitur correspondens Officio, in quo dicitur *Te Deum*: aliis, si diceretur Missa Conventualis talis diei v.g. in Vigilia Assumptionis, qua Missa conveniens tæi diei est de Vigilia non verò de die infra Octavam S. Laurentii tunc in illa Missa Vigiliæ non est dicenda *Gloria*: quinimò si illa die diceretur Missa de S. Laurentio, licet corresponderet Officio, adhuc non diceretur *Gloria*: quia in tali casu Missa esset in gradu Missæ Votive ut diximus in Titulo de Feria & Vigilia.

Quando autem dicendus sit hic Hymnus *Gloria in excelsis*, quando non, in Missis Votivis, tradit Gavantus hoc tit. ad n. 4. & satis superque diximus in Observationibus, & Additionibus ad easdem Missas Votivas.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. IX. De Orationibus.

I. Rubr. n. 1. pag. 20. *Nisi facienda sit aliqua Commemoratio &c.)* De Commemorationibus faciendis in Duplicibus primæ, & secundæ Classis jam egimus supra in titulo de Commemorationibus. Nunc sese offert occasio tradendi aliqua de Commemorationibus, seu Orationibus dicendis in Festis Duplicibus majoribus, & minoribus. I. igitur dicimus, quod omnes illæ Commemorationes, & eodem ordine, quæ faciendæ sunt in Duplicibus primæ & secundæ Classis, debent fieri à fortiori, etiam in Duplicibus majoribus, & minoribus. Solum hic advertimus, quod si occurrant duo dies infra duas Octavas cum aliqua Dominica, in aliquo Festo Duplici: prima Oratio est dicenda de dicto Festo Duplici, secunda de Dominica, tertia de Octava digniori, & quarta de Octava minus digna. II. advertimus, quod in his Duplicibus sunt solitæ Commemorationes de Festis ma-

ioribus Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum. III. debet fieri Commemoratione de Simplici Festo occurrente. Ulterius loco dicitur Oratio imperata à Summo Pontifice, vel Episcopo. Advertimus tamen cum Vinitore, quod non sunt laudandi illi qui in Festis Duplicibus solent addere Orationem pro infirmis, navigantibus &c. pro aliis privatis necessitatibus: consulti enim, qui Rubricas observare voluerit, faciet, si omittis hujusmodi Orationibus, devotioni, vel occurrentibus necessitatibus ipso Sacrificio, quod offertur, necnon intentione actu mentis in ipso Memento, satisfacere videatur. Gerlacus Vinitor p. 1. tit. 9. in adventu.

II. Gavant. post Rubr. n. 2. pag. 20. *Tertia verò additur &c.)* In Missa de Festo Semiduplici, si nulla alia est faciendæ Commemoratio, dicuntur ultra Orationem Festivæ alia duæ Orationes &c. prout declarat Gavantus, & juxta temporum rationem, &



habetur in Missali. Cæterum in Semiduplicibus potest contingere, quòd debeant dici etiam quatuor, vel quinque Orationes: nec ulla urget necessitas, quòd si dicantur quatuor, debeat semper dici quinta Oratio; ita ut semper Orationes debeant esse numero impares, nempe tres, vel quinque, vel septem &c. & hoc est jam declaratum à S. R. C. in suo Decreto diei 2. Decembris 1684. & in nostro Indice dato sub num. 476. in quo habetur.

Non est omittenda una ex assignatis Oracionibus in Missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de Festo Simplici; ut ejus loco dicatur Oratio, veluti *Deus Refugium*: sed post tertiam Orationem *A cunctis*, potest & imperata dici; cum in Missa de Semiduplici, & Simplici, vel Votiva, non sint necessarii dicendæ Collectæ impares, putà tres, quinque, vel septem.

Hoc confirmatur etiam ex Decreto subsequenti S. R. C. sub die 17. Augusti 1709. & dato in Appendice nostri Indici, nimirum.

In iis diebus, quando 3. Oratio in Missis est ad libitum, ac ex jussu vel Summi Pontificis, vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia; non debet prætermitti 3. ad libitum, ut loco illius dicatur alia imperata; sed debet utraque dici, & 3. quæ est ad libitum Sacerdotis, & 4. imperata, vel contra Turcas, vel ad petendam pluviam, &c.

III. Gavant. post Rubr. n. 2. pag. 20. col. 2. *A cunctis*, in qua continetur, &c.) Litera N. quæ habetur in Oracione *A cunctis*, exigit expressionem nominis Patroni, seu Titularis Ecclesiæ, ubi Missa celebratur: aliquando additur nomen familiæ, vel etiam nomen ab aliquo casu, aut alio modo, v. gr. Petri *Celestini*, Johannis *Chrysestomi*: nunquam verò additur nomen loci, de quo est Sanctus Titularis; sic nunquam dicitur Johannis *Damaseni*, aut Gregorii *Naxianzeni*; quod in Officio, & in Missa servari debet: & licet sit expressum in Calendario, ut v. gr.

Gavant. Rubr. Miss.

*Borromæi*; non tamen dici debet in Oracione, nisi sit etiam expressum. Bauldry *part. 3. tit. 9. de Oracionibus n. 1.* & Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 9. de Oracionibus in adnot. §. 5.*

Et hæc omnia confirmata remanent ex Decreto S. R. C. 22. Decembris 1624. & in nostro Indice sub n. 196. in quo habetur -- Dum Regulares Ordinis Minimorum in Oracionibus, versiculis, cæterisque actibus inter Divina Officia occurrentibus, S. Franciscum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adungere *ly de Paula* -- Huc etiam facit sequens Decretum conforme Rubricæ positæ in Missali post Oracionem *A cunctis*.

In Oracione *A cunctis*, nomina Patronorum S. Michaëlis Archangeli, & S. Johannis Baptistæ præponenda sunt Apostolis -- Ita habetur in Decreto sub die 22. Augusti 1620. & in nostro Indice sub n. 179.

Ex quo autem in Decreto recentissimè vulgato à Benedicto XIII. die 19. Decembris 1726. & in nostro Indice sub n. 650. nomen S. Joseph in Litaniis Sanctorum collocandum sit ante nomina Apostolorum, inferendum est, quòd in Oracione *A cunctis*, si S. Joseph esset Patronus, seu Titularis Ecclesiæ, ejus nomen præponendum esset dictis Apostolis. Quòd si plures fuerint alicujus Ecclesiæ Titulares, vel Patroni, considerandum est, utrùm sint juncti simul per se, & per modum unius, ut sunt v. g. SS. Gervasius, & Prothasius, SS. Johannes, & Paulus; vel utrùm sint uniti per accidens, ut sunt SS. Blasius, & Carolus. Si primum, ambo sunt nominandi simul, quia se habent per modum unius: si secundum, is tantum nominandus est in Oracione *A cunctis*, qui principalis consideratur, aut de cujus nomine Ecclesia nuncupatur. Ita Guyetus *lib. 3. cap. 29. quest. 7.*

Utrùm autem à Regularibus in Oracione *A cunctis*, nominandus sit Patronus sui Ordinis ultra Titularem Ecclesiæ; Guyetus *loc. cit.* improbat illos, qui omisso Titulari Ecclesiæ, solum nominant Patronum sui Ordinis;

R nis;



nis; non improbat tamen illos Regulares, qui omittunt nominare dictum sui Ordinis Patronum. Verum non negat, quin possint aterque nominari, nempe & Titularis Ecclesie, & Patronus Ordinis. Quis autem eorum præponendus sit cæteris paribus, hoc dependet à quæstione, quam tractabimus in Rubricis spectantibus ad Breviarium, nempe cujus Commemoratio præponenda sit, quando fiant Commemorationes, seu Suffragia Sanctorum.

Denique si Ecclesia, in qua celebratur Missa, sit dicata Sanctissimæ Trinitati, Sanctissimo Salvatore, vel alicui Sancto ex nominatis jam in Oratione *A cunctis*; tunc loco nominandi in illa litera N. Sanctum Titularem, ne is iterum repetatur, potest exprimi nomen alterius Sancti, cujus præcipua memoria, vel insignis Reliquia habetur in dicta Ecclesia. Si verò non sit aliquis ejusmodi, tunc nominari potest alius Sanctus pro arbitrio, & devotione Sacerdotis celebrantis. Ita Guyetus *loc. cit.*

Supereft nunc, ut hoc loco tradantur sequentia Decreta, quæ ultra superius data, spectant pariter ad Oraciones dicendas in Missa Festi Semiduplicis.

In Missa Privata de Festo Semiduplici, &c. potest in penultimo loco dici Collecta particulari Defuncto, putà *Inclina*, vel *Deus, qui nos* &c. sed ob id non est omittenda ulla ex assignatis Collectis pro tempore assignatis, putà *A cunctis*, vel *Ecclesia*. S. R. C. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice sub n. 473.

In Collecta, vel Missa contra Paganos non potest mutari nomen Paganorum, dicendo *Tarcaram*. S. R. C. 30. Julii 1689. & in nostro Indice sub n. 491.

IV. Gavant. post Rubr. num. 3. pag. 20. col. 2. *Etiã translaturum, &c.* Si præfatum Festum Purificationis transferatur, non erit continuenda supradicta Oratio *Deus, qui Salutaris* usque dum factum sit Purificationis Officium, ut vult Gavantus *hoc loco*: sed in Festo Semiduplici secunda Oratio tunc erit *A*

*cunctis*, tertia ad Libitum usque ad Feras 4. Cinerum. Ita Halden *part. 2. tit. 2. pag. 52. col. 1.* quod etiam declaravit S. R. C. sequenti Decreto, nimirum.

Quæsitum fuit, an, cum ex Decreto S. R. C. 2. Julii 1681. edito, dicenda sit Antiphona Beatissimæ Virginis *Ave Regina Cælorum* cum *ψ. Dignare me*, in fine Comptorii, die secunda Februarii, licet transferatur Officium Purificationis, dici debeat in suffragiis (quando sit de Officio Semiduplici, vel Simplicis, &c.) *ψ. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, cum Oratione *Comites famulos, &c.* & in Missa, secunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum? & S. R. C. affirmativè respondit, die 14. Febr. 1700. & hoc Decretum datur in nostro Indice sub num. 588.

V. Gavant. post Rubr. n. 4. pag. 20. col. 1. *Secunda de Feras*. In prædicto casu, mirum à Fera 4. Cinerum usque ad Dominicam Passionis exclusivè, in Missa de Festo Semiduplici, verissimum est, quòd secunda Oratio erit de Fera; quæ nunquam omittitur, etiamsi alia Commemorationes esse faciendæ; sicut etiam observatur tempore Adventus; & tertia Oratio in Quadragesima erit *A cunctis*: sed in Adventu, non dicantur suffragia Sanctorum in Officio loco Orationis *A cunctis*; tertia Oratio erit *Deus, qui de B. Maria, &c.* & hæc non habebit locum, si aliqua alia occurreret Commemoratio faciendæ. Billius *tom. 2. lit. O. 72. § 12.*

Hoc loco dandum est sequens S. R. C. Decretum spectans ad Feras 2. Quadragesimæ.

Quæsitum fuit, an occurrente Commemoratione Sancti Simplicis, in Fera 2. Quadragesimæ, quando dictum est Nocturnum Defunctorum, debeat in Missa quarto loco dici Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui visorum, &c.* pro Commemoratione Defunctorum? & S. R. C. respondit, sufficere tertiam Orationem *A cunctis*: quòd si dicatur



quarta *Omnipotens*, quinta erit ad libitum. Ita die 4. Maji 1709. in *Pistorien. ad primum dobinum*: & datur in nostro Indice sub n. 613.

Procedimus ad exhibendum hoc loco, etiam aliud sequens Decretum, quod juvare poterit pro explanatione subsequenter Rubricæ.

Secundò quæsitum fuit, occurrente dicto casu Feria 2. post Dominicam Passionis, quando pariter dictum est Nocturnum Defunctorum, quot, & quæ Orationes dicendæ sint in Missa? Et S. R. C. respondit, dicendam esse secundam Orationem de Simplici, non verò aliam: eadem die 4. Maji 1709. & in nostro Indice sub n. 614.

VI. Gavant. post Rubr. n. 5. pag. 20. col. 1. *Quòd si hoc tempore cantanda sint due Missæ, de Festo, & de Feria, &c.*) Disponit Rubrica n. 5. quòd in Festis Semiduplicibus occurrentibus in Feriis à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, in Missa tres dici debent Orationes, prima de Festo, secunda de Feria, & tertia *Ecclesia*, vel *pro Papa*. Verùm optimè notat Gavantus hic, quòd si prædicto tempore cantandæ sint due Missæ, una de Festo, & altera de Feria, ut reverà cantantur in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & aliis etiam Regularium; tunc in Missa de Festo Semiduplici, secunda Oratio erit *Ecclesia*, vel *pro Papa*, quin dicatur tertia Oratio: sed non progreditur ad explicandum, quot in altera Missa Conventuali de Feria dicendæ sint Orationes. Halden in suo Ephemerologio Ecclesiastico part. 1. tit. 18. adnotat, quòd si cum Festo Semiduplici occurrat Festum Simplex; tunc in prima Missa Conventuali, quæ erit de dicto Festo, secunda Oratio erit de Festo Simplici occurrente tantum, omiſsa tertia Oratione *Ecclesia*, vel *pro Papa*: si verò non occurrat Festum Simplex, secunda Oratio in ejusmodi Missa Conventuali festiva, erit *Ecclesia*, vel *pro Papa* tantum: in neutro enim casu, tunc addenda est tertia Oratio in ea Missa. In Missa verò Conventuali altera, quæ dici-

tur de Feria, Oratio secunda erit *Ecclesia*, vel *pro Papa* tantum: non enim in ea fieri debet Commemoratio ullius Festi die illo occurrentis. Hæc ex Halden *loc. cit.* cui adderem, quòd si in prima Missa ex dictis duabus Conventualibus jam dicta esset Oratio *Ecclesia* secundo loco, nullo occurrente Festo Simplici; tunc in secunda ex dictis Missis congruum foret dicere secundo loco aliam Orationem *pro Papa*. Ex hucusque dictis colligitur, quòd in Missa Conventuali Festi Semiduplicis occurrentis in Feriis Quadragesimæ ante Dominicam Passionis, dicendæ sunt tres Orationes, prima de Festo; secunda verò, & tertia eadem, quæ assignantur in Missa de Feria, de qua non fit Commemoratio in prædicta Missa Conventuali, ut notum est omnibus; nec minuitur numerus Orationum; ut notat noster Gavantus part. 4. tit. 15. n. 4.

Resumendo nunc sermonem de prædicto Festo Semiduplici occurrente à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, & de Missa Privata ejusdem Festi; certissimum est ex dispositione superioris Rubricæ, tres debere dici Orationes; primam de eodem Festo, secundam de Feria, tertiam *Ecclesia*, vel *pro Papa*; quamvis in Missis de tempore, & de Feriis, quæ occurrunt à Dominica Passionis usque ad Feriam quintam in Cæna Domini, duæ tantum præscribantur Orationes dicendæ, prima de Feria, secunda verò *Ecclesia*, vel *pro Papa*. Quibus positis, gravis oritur controversia inter Rubricarum explanatores, utrum occurrente dictis diebus ferialibus, nimirum à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, aliquo Festo Simplici, debeant dici duæ Orationes tantum, nimirum de Feria, & de Festo Simplici; vel utrum debeat addi tertia Oratio, nimirum *Ecclesia*, vel *pro Papa*. Dubium hoc oritur ex verbis Rubricæ appositæ in Missa Dominicæ Passionis, ubi legitur - - *Ab hac die usque ad Feriam quintam in Cæna Domini post Orationem diei*



*dicuntur, vel contra Persecutores Ecclesie, Oratio Ecclesie tuæ, &c. vel pro Papa Deus omnium Fidelium; deinde subnectitur: Non dicitur tertia Oratio.* Noster Gavantus in suis Commentariis ad Rubricam num. 8. docet, quod si in prædictis diebus occurrat Commemoratio de Simplici, omitti omnino debeat tertia Oratio; & quod dicantur tantum duæ Orationes ad sensum Rubricæ, ut ipse ait. Verùm contra Gavantum insurgit Guyetus *lib. 4. cap. 13. quest. 28* ubi validis profectò rationum momentis refellere conatur Gavanti sententiam, quam Rubrica in primis, deinde & rationi planè esse contrariam, luce clariùs demonstrare contendit: & quia eadem quæstio procedit etiam de Festo Simplici occurrente in Feriis infra Octavas Paschæ, & Pentecostes, à quarum Missis Gavantus pariter tertiam Orationem excludit; hinc Guyetus profert in primis, ad eum confutandum, textus omnes Rubricarum, quibus Gavantus suam adstruit assertionem; à quibus referendis nos abstinemus, curiosus enim lector facilè præfatum Auctorem adire potest. Non omittam tamen adducere postremum, quod ipse putat validissimum argumentum, quo utitur ad suam comprobendam sententiam, nimirum: Orationum in Festis Semiduplicibus per omnino est, idemque numerus, ac Dominicarum, seu Feriarum temporis, in quo occurrant; ut constat ex tota Rubrica 9. de Orationibus. Si ergo in hebdomada Passionis duæ, ut ait Gavantus, tantum sunt Orationes; quare tres ponuntur in Semiduplicibus infra illam occurrentibus? sic enim habet Rubrica *n. 5. in Semiduplicibus à Domnica Passionis, &c.* An non, si privilegium est illius temporis, ut duæ tantum habeantur Orationes, transire aequè debet ad Festum Semiduplex in eo occurrens, atque omissio suffragiorum in Adventu transit ad Semiduplex illo tempore occurrens? Imò verò adhuc nobilius est Semiduplex, quàm talis Feria, siquidem ipsi præfertur, & tamen huic

negatur à Gavanto tertia Oratio, quam Rubrica expressè illi concedit. Hoc argumentum veluti telo putat Guyetus confodere Gavantum: verùm quia hoc argumentum nimis probat, nihil mihi videtur probare contra Gavanti sententiam: nam ex quo Semiduplex sit nobilius Feria, & ex quo in eo dicantur tres Orationes in Missa, juxta dispositionem superioris Rubricæ; non solum evinceretur, esse dicendam tertiam Orationem in Missa Feriæ, occurrente Festo Simplici, sed etiam non occurrente tali Festo, cum non deceat Festum nobilius Feria habere plures Orationes in sua Missa, quàm habeantur in Missa Feriæ. Potius igitur suadent aliæ rationes à Guyeto adductæ: sed super hac re nullam audeo proferre sententiam, quousque à S. R. C. decidatur hoc dubium valde controversum inter Rubricistas in Urbe degentes. Si aliquod igitur, ut spero, Decretum decisivum emanabit (ultra pauca jam edita, quæ adhuc apparent vultu obscura) dum hoc opus sub prælo est; de illo mentionem faciam in altera parte hujus tomi, ubi sermo fiet de Dominica, & hebdomada Passionis, necnon Paschæ, & Pentecostes.

VII. Gavant. post Rubr. num. 8. pag. 21. col. 2. *Si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto Simplici, non dicitur tertia Oratio.* Sustinet hic Gavantus, ut mox exposuimus, quod in prædictis Feriis à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, & infra Octavas Paschæ, & Pentecostes, si occurrat aliquod Festum Simplex, de eo fieri quidem debet Commemoratio in Missa; sed præter hanc Orationem non esse addendam tertiam, nimirum *E. el. fia, vel pro Papa*; sed iterum dico: Guyetus supra laudatus *loc. cit.* acerrimè tenet, in prædicto casu Festi Simplicis dicendam esse tertiam Orationem Ecclesie vel pro Papa; & hoc colligere dicit ex verbis Rubricæ Missalis in Missa Feriæ + post Pascha, ubi habetur -- *Ab hac die usque ad Sabbatum in Albis in Iustis, post Orationem*



nam diei, dicitur una ex sequentibus Orationibus tantum, nisi facienda sit aliqua Commemoratio Festi Simplicis occurrentis. Ex qua particula Nisi deducit Guyetus exceptionem ejusdem Rubricæ, nimirum esse quidem dicendas duas Orationes tantum, sed nisi occurrat Festum Simplex, de quo debeat fieri Commemoratio; in quo casu non duæ, sed tres, dicit ipse, dicendæ sunt Orationes; sed super hac quaestione alibi mentem nostram aperiemus, ut supra innuimus.

VIII. Rubr. n. 9. pag. 21. *Infra alias Octavas, &c.*) Nempe præter Octavam Paschæ, & Pentecostes, secunda Oratio dicitur de S. Maria; tertia Ecclesiæ, vel pro Papa: tunc enim non dicitur Oratio *A cunctis*, quia neque in Officio sunt Commemorationes Sanctorum, quibus prædicta Oratio correspondet. Cur autem non dicatur Oratio *A cunctis* in Vigiliis, in quibus sunt Commemorationes Sanctorum, ratio esse potest, quia in Vigiliis solent Fideles ferventius orare, mente per jejuniū elevata: & ideo in Missa præscribuntur Orationes dicendæ de S. Maria, & pro Ecclesiâ, quæ magis foveant devotionem, & pietatem.

IX. Gavant. pag. 21. col. 2. lit. e. *Secunda de Spiritu Sancto.*) In diebus verò infra Octavas S. Mariæ, prima Oratio est propria ejusdem; secunda de Spiritu Sancto, quæ semper dicitur in prædictis Missis Beatæ Mariæ; quia ipsa est Sacrarium, & singulare habitaculum Spiritus Sancti. *Quarti part. 1. tit. 9. n. 9.* Reliqua patent ex Commentariis nostri Gavanti.

X. Rubric. n. 10. pag. 21. *Dicuntur duæ Orationes, &c.*) Traditur in hac Rubrica Regula dicendi duas Orationes in Dominicis infra aliquam Octavam; & nihilominus non excluditur tertia Oratio, si occurrat Festum Simplex: unde semper etiam ex hac Rubrica magis, magisque confirmare contendit suam sententiam Guyetus, quod infra Octavas Paschæ, & Pentecostes debeat pariter

dici tertia Oratio, si occurrat Festum Simplex. Imò reperio in superiori Rubrica, quando sit sermo de die Octavæ, eundem modum loquendi ac in Rubrica, quæ habetur in Feria 4. post Pascha: nimirum præscribitur in superiori Rubrica: *Et in die Octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio*: ex quo modo loquendi clarè exprimitur, quod occurrente aliqua Commemoratione debeant dici duæ Orationes, una de die Octavæ, altera de Festo Simplici, vel alio, de quo debeat fieri Commemoratio. Quapropter cum habeantur eadem particule *Tantum*, & *Nisi* in superiori Rubrica de Octava, quæ habentur etiam in Feria 4. post Pascha; hinc colligi potest, illas particulas non excludere secundam, vel tertiam respectivè Orationem, si occurrat Festum Simplex: nihilominus lectorem remittimus ad ea, quæ dicemus locis supra citatis super dicta controversia.

XI. Gavant. post Rubr. n. 12. pag. 22. col. 1. *Plures tribus non dicuntur in Semiduplicibus, &c.*) Hujusmodi Orationum, quæ etiam Collectæ appellantur, quia dicebantur, quando Populus congregabatur in Ecclesiis ad eas dicendas, juxta antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, una tantum dicebatur; sicut unus dicebatur Introitus, unica legebatur Epistola, & unicum Evangelium; ut referunt Innocentius III. *lib. 1. cap. 27.* & Radulphus Tungrensis *propos. 23.* Verum idem Innocentius, necnon Micrologus *cap. 4.* asserunt, quod suo tempore dicebantur semper tres, aut quinque, aut septem Collectæ in honorem SS. Trinitatis, vel Resurrectionis J. C. vel in Commemorationem quinque plagarum Christi Domini; & septem, ad obtinenda septem dona Spiritus Sancti. Sanctus Carolus etiam in primo Mediolanensi Concilio prohibet: *Ne plures tribus, vel ad summum quinque Orationes . . . dici possint, nisi ubi Ecclesiæ institutum aliud postulet*: & in suis instructionibus pro Missæ celebratione, statuit, ut cum plures sunt



Orationes, aut Collectæ, numero dispari recitentur, & septem non excedant. Porro hæc Orationum multiplicatio in Monasteriis cepisse videtur: etenim in Concilio Matifonensi, Anno 627. celebrato, Agrestinus Monachus Luxoviensis, Sancti Columbani Regulam superstitionis accusans, inter cætera, quæ viro Sanctissimo objecit, unum erat, quod Missarum Sollemnia contra institutum Ecclesiæ morem multiplicatione Collectarum celebraret. Agrestinum tamen confutavit ejusdem Monasterii Abbas Eustatius his verbis, in eodem Concilio relatis: *Multiplicationem Orationum in Sacris Officiis omnibus proficere Ecclesiis: quia dum plus Dominus queritur, plus invenitur; & cum uberius Oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur.*

Circa numerum talium Orationum in Missis dicendarum, debent in præsentiarum à nobis exactè servari regulæ à Rubricis, & à S. R. C. præscriptæ, inter quas habetur, quod in Dominicis per Annum in Feltis Simplicibus, & Feriis, non dicantur minus quam tres Orationes, ut in Semiduplicibus; in quibus, ut notat Gavantus, non debent dici plures, nisi facienda sit aliqua Commemoratio. Unde in Semiduplicibus non potest augeri numerus Orationum ad libitum Celebrantis; quinque tamen, aut septem, ait Turrinus *part. 2. sect. 2. cap. 2.* possunt dici in Simplicibus, & Feriis; non quatuor, aut sex, nisi ubi numerum talem exigent Commemorationes. Non est igitur præscriptum à Rubricis, quod semper in Semiduplicibus, Simplicibus, & Feriis, Orationes, quæ dicuntur in Missa, debeant esse impares numero: & hoc declaratum est à S. R. C. 2. Decembris 1684. in Decreto dato in nostro Indice sub n. 476. ut supra etiam de hoc locuti sumus.

Præterire non debemus, prædictas Orationes collocandas esse, servata earum dignitate, ut præscribit Rubrica; & ex solo Missali esse desumendas, videlicet, aut de tem-

pore, aut de proprio Sanctorum, aut de Communi, aut ex Orationibus diversis post Missas Votivas; non ex aliis libris: quia si quidem aliquando ad arbitrium Celebrantis quoad numerum, non quoad acceptionem, quia nunquam potest Sacerdos eas deponere, unde maluerit, sed ex Missali tantum ut colligitur ex tit. 7. hujus primæ partis n. 14. p. 21.)

XII. Post Commentar. Gavanti ad Rubr. n. 14. p. 21.) Nonnulla essent hic addenda Gavanti Commentario: sed quia ea, quæ spectant ad Missas Votivas, omnia tradidimus, & quidem fusè, in nostris Additionibus & Observationibus ad Commentaria Gavanti in titulum, seu Rubricam quartam primæ partis, quæ est de Missis Votivis; idcirco videantur quæ superiori dicto loco à nobis addita sunt.

XIII. Gavant. post Rubr. n. 17. pag. 24. col. 1. lit. i *Et tunc conclusio sit hoc modo Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Hæc Orationum clausula vetustissima est, & in Seculo VI. à tota Africana Ecclesia usurpabatur: etenim S. Fulgentius in Epist. ad Ferrandum Diaconum hæc habet: *In Orationibus Sacerdotum: per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti: per universas Africa Regiones Catholica dicitur consuevit Ecclesia.* Dicimus autem, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; ut sciamus, nos per Filium accipere, quicquid nobis datur à Patre; & ut pareamus Christi jubenti in Evangelio Johannis cap. 15. *Quocumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hinc celebris illa Optati Milevitanæ Sententia adversus Donatistas lib. 3. *Paganus vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ante Aram rogaverit.* Placet referre observationem Micrologi cap. 6. qui contentæ conclusionem hanc ita exprimendam esse. *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit, & regnat Deus: & postpositam hujus vocis Deus, his verbis Spiritus Sancti, tunc fuisse recentem. Sciendum, in*



quit, in illa usitata conclusione *Per Dominum nostrum*, quod Romanus Ordo, & antiquissima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur: *qui tecum vivit, & regnat Deus*. Quod tamen Moderni post nomen Spiritus Sancti subungere solent: & hac utique consuetudo etiam apud Romanos usquequaque adeo invaluit, ut antiqua traditionis executio jam non sine scandalo locum habere possit. Hæc Micrologus, cujus acriorem censuram probare non possum: sive enim postponatur, sive præferatur nomen *Deus*, nequaquam conclusionis sensus levi illa mutatione corrumpitur, nec ullum scandalum parere potest. Certè etiam nunc Ecclesia Romana modum à Micrologo reprehensum observat: & nescio, an præter Ambrosianam Ecclesiam, antiquior ille modus alibi observetur.

XIV. Gavant. pag. 24. col. 1. lit. i. *Reliqui conclusionum modi per se valent.* Ut breviter exponamus modum concludendi Orationes, advertimus cum Gavanto, Bissio lit. C. n. 410. §. 3. Hippolyto à *Portu de Cultu Dei*, & *hominum adit.* 5. Rubr. 7. in suis adnot. num. 19. advertimus, inquam, quod in Oratione ad Patrem directâ, si nominetur Filius, dicitur in conclusione Orationis: *Per eundem Dominum*, nisi nominetur in fine Orationis; siquidem tunc dicitur *Qui tecum, &c.* si nominetur Spiritus Sanctus in Oratione, dicimus: *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus*, etiam si nominetur in medio alicujus Orationis. Addit Bissius *loc. cit.* quod si contingeret, ut duæ, vel plures Orationes essent unica conclusione terminandæ; tunc in conclusione sit dicendum *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, &c.* licet Spiritus Sanctus non esset nominatus in ultima Oratione, sed in alia antecedenti: pro qua re affert exemplum Missæ pro gratiarum actione; in qua dicuntur duæ Orationes sub unica conclusione terminatæ; & in hac conclusione dicitur *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus &c.* licet Spiritus Sanctus nomi-

netur tantum in prima Oratione; huic tamen Sententiæ Bissii obviare videtur Decretum allatum in nostro Indice sub n. 695.

XV. Gavant. pag. 24. col. 1. lit. i. *Si ad Trinitatem dirigatur Oratio.* Quamvis Gavantus dicat, terminandam esse Orationem *Qui vivit, & regnat, &c.* nihilominus Bissius supra §. 6. advertit, esse attendendum modum, quo Personæ in illa Oratione nominantur, & ita dicendum: *Per eandem Dominum nostrum, &c.* *In unitate ejusdem Spiritus Sancti, &c.* vel *Per Christum, &c.* Exemplum adducit illius Orationis *Suscipe Sancta Trinitas*, quam lotis manibus dicit Celebrans in Missa; in qua, quia peculiariter exprimitur nomen Filii, concluditur *Per eundem Dominum nostrum*. In alia verò Oratione, quam Celebrans dicit, dicto *Ite Missa est*, nempe *Placeat Sancta Trinitas*; quia nulla Persona specialiter exprimitur, idcirco concluditur *Per Christum Dominum nostrum*.

XVI. Gavant. pag. 24. col. 2. lit. i. *Additur Amen in fine.* De hac voce *Amen*, quæ dicitur in fine Orationis, nisi aliter præscribatur à Rubrica, erudicè discurrunt Card. Bona lib. 2. cap. 5. n. 6. Grancolas *Tract. de Missa* p. 36. sicut etiam in *lib. de antiq. Liturg.* ubi pariter agit de Collectis, & Orationibus, quæ in Missa dicuntur. Ita etiam de prædicto verbo *Amen*, tractat Bissius lit. A. n. 310. §. 1. ubi asserit, hoc verbum dici in fine Orationis ex Decreto Anacleti Papæ; ut refert Hugo Victorinus lib. 2. cap. 11. Verùm id prædicto Anacleto confirmante, non verò primum statuente: nam de hujus vocis usu post Orationem loquitur Apostolus 1. ad Corinthios cap. 14. Videri etiam poterunt antiquissimi PP. Justinus apolog. 2. Dionysius Alex. Epist. ad Sixtum, apud Euseb. Cyril. Hierosol. Catech. 5. mystag. Hieronymus in præf. lib. 2. Commem. in epist. ad Galat. Aug. lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 7.

Novæ



## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Tit. X. De Epistola, Graduali, Alleluja &amp; Tractu ac de Evangelio.

I. Gavant, pag. 25. col. 1. lit. k *Auctores legend. Epistolam in Missa sive Apostoli, &c.* Ritus hunc legendi Epistolam, seu Lectionem aliquam Sacra Scriptura, ab Apostolis derivasse certissimum est; ut etiam asseverat Card. Bona lib. 2. cap. 6. n. 1. Antonius Bellote in suis *Observationibus* pag. 396. Grancolas in *tract. de Missa* pag. 37. & *de antiquis Liturg.* pag. 504. Praefatus Bona notat, quod antiqui Codices Sacramentorum tam editi, quam MSS. *Post Collectam*, asserunt, sequitur *Apostolus*, id est Lectio ex Apostolo; tamen enim ipsa Lectio ex aliis quoque libris veteris, & novi Testamenti desumatur; ut plurimum tamen ex Apostolo Paulo accipitur; ac propterea solius Apostoli, in praedictis Codicibus fit mentio, & in ipsis Epistola, Apostolus appellatur.

Ratio autem, cur in Missa legatur Epistola ante Sacrificium, est, quia hoc Sacrificium est *Mysterium Fidei*; ut dicitur in forma Consecrationis Calicis: & ideo conveniens fuit, ut praecederet *Instructio Fidei* per Lectionem Prophetarum, & Apostolorum. Quare Concilium Carthaginense IV. *Can. 84.* ut refertur in *cap. Episcopus de Consecratione distinet. 1.* sic statuit -- *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Haereticum, sive Judaeum, usque ad Missam Catechumenorum* -- Rationem hujus Decreti reddit D. Thomas *part. 3. quest. 83. art. 4. ad 4.* quia in ea parte Missae continetur *Instructio Populi*. *Perficus lib. 3. cap. 2. dub. 2. §. 1. de Epistola.*

Observandum occurrit in his Sacris Lectionibus, quod quando haec desumuntur ex libris Moyſis, vel Salomonis, de eorum nominibus non fit mentio. Ideo autem retinetur nomen Moyſis in Lectione libri Gene-

sis, v. g. quia Dominum exacerbavit, qui haesitavit ad aquas contradictionis. De Salomone tacetur nomen, quia deceptus fuit mulieribus, & propter infamiam Idololatricae. Ita sentit Johannes Baptista de Rubens in *no. Rationali Div. Offi. lib. 2. cap. 28.* Verum genuina ratio esse videtur, quia illis libris in Sacris Bibliis nomen Moyſis, & Salomonis non praefertur.

In Missa Sollemni cantatur Epistola à Subdiacono; quamvis in antiqua Subdiaconi Ordinatione, sive ex Concilio Carthaginensi, sive ex Aquisgranensi, sive ex Ordine Romano, nihil prorsus reperitur, quod ad legendam Epistolam referri possit; ut fuisse ostendunt Hallier *de materia, & forma Ordinationis* §. 16. num. 46. & Morinus *de Sac. Ord. nat. part. 3. exerc. 1. cap. 2.* Lectorem olim per traditionem Codicis ordinabatur: qui Ritus adhuc hodie perseverat; & in Ecclesia Orientali traditur eis Codex Epistolarum S. Pauli quas publicè legant in Ecclesia. Quo verò tempore ceperint Subdiaconi legere Epistolam, dubium est. Estimant aliqui Seculo octavo hoc contigit; nam Amalarius, qui initio Seculi IX. claruit *lib. 2. cap. 11.* *Miror*, inquit, *qua de re sumptus sit usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissimè, non ergo semper, legat Lectionem ad Missam, cum hoc non reperitur ex ministerio sibi dato in Consecratione commissum, neque ex literis Canonicis, neque et nomine suo.* Et in fine capituli subdit: *Subdiacō postquam statutum est à Patribus nostris, ut Subdiaconus legeret Epistolam, vel Lectionem.* At quando id statutum fuerit, non dicit Amalarius. Quare Card. Bona in *rebus Liturg. lib. 2. cap. 6. num. 3.* existimat



ante coepisse Diaconos legere Evangelium, quàm Epistolam Subdiaconos. Certum tamen videtur, Subdiaconos jam à Gregorii Magni temporibus in Ecclesia Romana Epistolam recitasse: quippe Gregorius ipse in Concilio Romano decrevit, ut Diaconus Evangelicæ Lectionis officium inter Missarum sollempnia exsolveret; Psalmos verò, ac cæteras Lectiones Subdiaconi recitarent. Videatur Epistola 44. libri 4. veteris editionis.

Huc spectat sequens Decretum, nimirum -- Quòd deficiente Subdiacono pro Missa Sollemni, data necessitate potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo. Ita S. R. C. die 6. Julii 1698. & datur in nostro Indice sub n. 330.

Cæterum de Ritu & antiquitate canendi Epistolam in Missa Sollemni, & eam dicendi in Missis Privatiss, tractant eruditè supra allegati Auctores, nimirum Card. Bona, Belotte, Grancolas, & præter istos Hugo Menardus in not. & obs. in libr. Sacram. S. Gregorii Papa, pag. 7. necnon Jo. Ant. Pallotta lib. 2. cap. 12. qui etiam agunt de illis verbis Deo gratias, quæ Minister profert post lectam Epistolam à Sacerdote in Missa Priv. vel ab Acolyto, submissa voce, post cantatam Epistolam in Missa Sollemni.

II. Rubric. n. 2. pag. 25. & Gavant. ibid. col. 1. lit. o Graduale, &c.) Graduale idem sonat ac Gradale, & componitur ex aliquibus versibus, qui semper dicuntur in Missa post Epistolam, excepto tempore Paschali; tunc enim dicuntur duo versus cum quatuor Alleluja, ut notatur in Missali in Sabbato ante Dominicam in Albis. Tempore autem Paschali omittitur Graduale, quia hoc est signum doloris, & laboris; illud verò tempus exultationis. Rupertus Abbas lib. 1. cap. 34. Nec obstat, quòd Graduale dicatur à die Paschæ, usque ad Sabbatum in Albis exclusive: tunc enim dicitur pro renatis fonte Baptismatis; ut intelligant, ac discant,

Gavant. Rubr. Miss.

quòd in vocatione, qua vocati sunt, laborare, & continuo sese exercere debeant. Ex eodem Ruperto lib. 8. cap. 1. Sed advertendum est, quòd licet infra Octavam Paschæ dicatur Graduale in Missa de tali Octava; nihilominus, si pro re gravi cantaretur aliqua Missa Sollemnis Votiva; tunc post Epistolam talis Missæ: non esset dicendum Graduale; sed loco illius, duo versus tali Missæ convenientes cum quatuor Alleluja. Ita Bisius lit. G. n. 54. §. 2. & seqq.

Dicitur autem Gradale, seu Graduale ex loco, ubi cantabatur olim dicti versus, nimirum à gradibus, vel Altaris, ut ait Gavantus hic: vel quia cantabatur juxta Gradus ambonis, sive editoris suggesti, quos ascendebat Diaconus, ut pergeret ad cantandum Evangelium. Ita Rabanus lib. 1. cap. 33. Cantantur autem eo tempore in Missa Sollemni dicti versus intitulati Gradale, seu Graduale, ne in silentio vacet totum illud tempus, antequàm cantetur Evangelium. Ita Bellarminus lib. 1. cap. 16. de Missa. Romæ præfatum Graduale solet à Cantoribus celerius, seu tardius cani; ut respectivè ad functiones Diaconi commensurentur.

Nomen Responsorii accepit dictum Graduale, sive Gradale, vel quia Lectioni Sac. Scripturæ convenire, & correspondere debet: vel quia uno canente, Chorus consonando respondet: ante autem id solus quisque agebat; nunc verò unus interdum, interdum duo, vel tres communiter canunt, Choro in plurimis respondente. Ita V. Card. Thomasius in præfatione antiq. librorum Missarum pag. 21. ubi offert etiam textus variorum Ordinum Romanorum, in quibus describuntur varii modi pro diversitate temporis cantandi tale Responsorium, seu Gradale Missæ. Afferit Isidorus lib. 1. cap. 8. de Eccles. Officiis, Responsorium ab Italis inventa esse; sed à quo præcisè, & quo tempore instituta sint, incertum est. Sunt qui eorum Auctorem adstruunt fuisse Cælestinum;

S

num;



num; Alii verò Gregorium Magnum. De Gregorio certissimum est, quòd in suo Antiphonario per ordinem digessit, quæ in singulis Missis per Annum cantari solent ad usum psallendi, vel aliquos Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum inter Epistolam, & Evangelium: verum multò antiquiorem Gregorio fuisse saltem in Africa, ex Augustino clarè ostenditur initio sermonis 33. Cætera quæ pertinent ad Sacram eruditionem prædicti Gradualis in Missa dicendi, tradit Cardinalis Bona *lib. 2. cap. 6. n. 5.* nec non Card. Thomastus, qui pariter per eruditè discurret de dicto Graduali in citata præfatione præfixa suis antiquis libris *Missarum, à pag. 21. usque ad p. 29.* & in alia præfatione alterius sui operis, cui Titulus *Responsoria, & Antiphonaria Romana Ecclesie pag. 4. & seqq.* Præterea agunt etiam de hoc Graduali Hugo Menardus, Antonius Bellotte; & alii Auctores à nobis superius citati in Observationibus ad Rubricam superiorem n. 1. hujus tit. de Epistola.

III. Gavant. pag. 26. col. 2. lit. q. *Additur versus Alleluja, &c.* Præter ea, quæ tradit Gavantus in suis Commentariis, quoad ea, quæ spectant ad Sacram eruditionem dicti Hymni *Alleluja*, nonnulla exaravit Ven. Card. Thomastus in cit. præfatione præfixa suis antiquis libris *Missarum pag. 29.* ubi inter cætera dicit, Sozomenum *lib. 9. cap. 39. Historia Tripartita* asserere, semel in Anno, die ipso Paschæ tantum *Alleluja* Romæ cantari solitum fuisse; cujus tamen dicta Card. Baronius ad diem 5. Aprilis pluribus S. Hieronymi testimoniis refellit; sed utriusque sententiam conciliare studet cit. Thomastus, dicendo, quòd in die tantum Paschæ cantabatur quidem Ritu publico dictum *Alleluja*; cæteris verò diebus ex B. Hieronymi traditione quisque suo arbitrato, ut mallet, *Alleluja* cantaret.

Cæterum Seculo sexto jam ad Missas cantabatur *Alleluja* Romæ, non solum Paschatis die, sed per totam consequentium die-

rum Quinquagesimam Paschalem. Perlegantur reliqua, quæ cit. loco tradit Thomastus, & ea quæ pariter edidit Card. Bona *lib. 2. cap. 6. n. 5.* circa originem, & Ritum præfati Hymni *Alleluja*.

IV. Gavant. pag. 26. col. 2. lit. r. *Primum earum Auctorem serunt fuisse Abbatem Nogerum, &c.* Post *Alleluja* in aliquibus Festivitatibus dicitur Sequentia, quæ, ut Gavantus, vocatur Jubilatio ab Ordine Romano; & appellatur Sequentia, quia per cantus amonitatem ad Sequentia præparat. Ita Hugo Victorinus *de Offic. Eccles. cap. 13.* vel quia sequitur ad *Alleluja*. Dicitur etiam Prosa, quia caret lege metri; ut notat Cornelius Schultingius relatus à nostro Gavanto *tit. 6. prima partis lit. e.*

Quamvis Gavantus hoc loco innuat primos Auctores Sequentiarum, quæ aliquando dicuntur in Missa; nihilominus, quibus Auctoris referendæ sint illæ Sequentiæ, quæ dicuntur in variis Sollemnitatibus, adhuc incertum est: varii varia tradunt; videantur igitur Cardin. Bona *lib. 2. cap. 6. n. 6.* Billus *lit. S. n. 186.* Grancolas *de antiqua Liturg. pag. 511.* Pallotta *cit. loc. Marcellus de Cavalariis in Statuta Sac. tit. 12. & Antonius Bellotte in suis observ. pag. 43.*

V. Gavant. pag. 27. col. 1. lit. z. *Tractus dicitur à trahendo.* Omnes Rubricarum interpretes conveniunt cum Gavanto, circa hujus nominis *Tractus* etymologiam, cui verè dicatur à trahendo: quia reverè continuatâ serie modulationis (ut ait Card. Thomastus in præf. superius cit.) unius Cantoris non interruptâ responsionibus aliorum intercentium perageretur: sic enim *traculum canere* dicitur cantor, quemadmodum Latini *traculum dicere, traculum tangere, &c.* à trahendo scilicet in longum sine intermissione, non intertumpendo seriem Orationis, aut percussionis; vel susurri. Amalarius *lib. 3. cap. 12.* Hoc autem est differentiam inter Responsorium, & Tractum, quòd primo Chorus respondet; Tractui verò nemo



Ex eodem Amalario cit. ab eod. Card. Thomasio. Tractus totus dicebatur ab uno solo Cantore, qui erat diversus ab illo, qui cantabat Gradale, sive Responsorium.

Alia, quæ spectant ad originem, & Ritum prædicti Tractus, traduntur à cit. Card. Thomasio, nec non à Card. Bona lib. 2. cap. 7. pag. 5. à Stephano Durandi de Ritibus Ecclesie lib. 2. cap. 2. & à cæteris aliis Auctoribus, à nobis suprâ cit. qui agunt eruditè de omnibus Missæ partibus.

VI. Rubric. n. 6. p. 27. & Gavant. pag. 28. col. 1. lit. b. *Dicitur Evangelium, &c.* Morem legendi Evangelium in Missa antiquissimum esse, ab Apostolis derivatum, nemo est, qui in dubium revocet, cum omnes SS. Patres hanc veritatem contestentur, quorum auctoritates congerit Card. Bona lib. 2. cap. 7. nec non Joseph. Catalanus in suo recenti, & erudito opere de Codice Sancti Evangelii lib. 2. cap. 1.

VII. Rubric. n. 6. p. 27. & Gavant. pag. 28. col. 1. lit. c. *In principio Evangelii, &c.* Evangelium, quod in Missa Privata legitur à Sacerdote celebrante, in Missa Sollemni, antiquitus legebatur ab aliquo ex Lectoribus, ad quos spectabat Divinæ Scripturæ Lectiones in Ecclesia recitare; ut tradit S. Cyprianus epist. 34. qui Aurelianum, & Cælestinum Confessores ad Lectoris gradum, ut Evangelium legerent, exortat. In Hispania verò id quandoque Subdiaconos præstitisse constat ex Concilio primi Toletani Can. 4. celebrati Anno 401. Certum nihilominus est, præsentem Ritum recitandi Evangelium à Diacono in Missa Sollemni antiquissimis etiam temporibus in Ecclesia, tam Græca, quàm Latina, viguisse: id enim statutum legimus lib. 2. Constit. Apostolorum cap. 57. & à Concilio Valensi coacto Anno 529. cujus Canon 2. hæc habet: *Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non poterit predicare; SS. Patrum Homilie à Diaconibus recitentur: si enim sunt digni Diaconi, quæ Christus in Evangelio locutus est, le-*

*gere; quare indigni judicentur SS. Patrum expositiones publice recitare?* Eiusdem antiqui Ritus mentionem facit Hieronymus in Epistola ad Sabinianum, ubi ait: *Evangelium Christi quasi Diaconus leſtitabas.* Aliæ auctoritates, quibus confirmari potest hæc veritas, adducuntur à Cardinal. Bona, & à Josepho Catalano, nec non à Billo tom. 1. lit. E. n. 147. §. 1. & seqq.

Idem præfatus Bona observat cum aliis eruditis, quos suppresso nomine citat, sollemnem hanc Evangelii lectionem non fuisse olim tributam Diacono ex vi Ordinationis: quamvis enim antiqui Sacramentorum Codices Evangelii à Diacono lecti meminerint; nunquam tamen in eorum Ordinatione traditum eis librum Evangeliorum apparet, nec ea verba prolata, quæ hodie in usu sunt: *Accipe potestatem, &c.* quæ forma deest etiam in antiquissimo Codice MS. Bibliothecæ Casanatensis, qui continet Ritum conferendi Sacros Ordines.

Cætera spectantia ad Ritum, & Ceremonias adhibitas in cantando sollemniter Evangelium à Diacono, quibus ornatus vestibus, quæ in parte Ecclesie, quibus luminibus, quomodo prævia thurificatione, & alia huiusmodi, videri possunt apud cit. Auctores, nimirum Card. Bona, Josephum Catalanum, Antonium Bellotte, Grancolas loc. cit. Martene lib. 1. art. 5. de antiq. Eccles. Ritibus. Solum hæc pauca hic lubet tradere, nimirum quòd Diaconus præfatis temporibus in ambone Evangelium legebat, erantque in Ecclesia, pro viris, & mulieribus loca distincta. Diaconus vertebat se versus Meridiem, ad partem scilicet virorum; at nunc vertitur ad Aquilonem: cujus mutationis causam, & originem ex Missis Privatis processisse, in quibus Sacerdos non in ambone, sed in Altari versus Septentrionem legit Evangelium, tradit Micrologus lib. 1. cap. 9. Hinc apparet, quàm verum sit, multa hodie pro Lege haberi in his, quæ pertinent ad Ecclesiasticas observationes, quæ partim ex abusu



irreperunt: quorum originem, cum recentiores ignorent, varias conantur congruentias, & mysticas rationes invenire, ut ea sapienter instituta vulgo persuadeant. Porro isti, ut scitè Hieronymus de Origene dixit: *Ingenii sui adinventiones faciunt*

*Ecclesia Sacramenta: quibus autem Ceremoniis impræsentiarum utatur Diaconus in Missa Sollemni, & Sacerdos in Missa Privata, quando legitur Evangelium, non exatè tradimus, insistendo Gavanti verbi-  
gii in 2. part. sui Theauri tit. 6.*

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XI. De Symbolo.

I. Gavant. pag. 29. col. 1. lit. h *Symbolum autem, quod recitatur in Missa, non est Apostolorum, quod initio Ecclesia &c.* Ejectis ab Ecclesia Catechumenis, poenitentibus, & aliis, qui finito sermone in ea remanere non poterant, incipit Missa Fidelium, cujus initium desumitur à Symbolo; quod diebus Dominicis, & in aliis quibusdam Festis cantari consuevit. Triplex autem est Symbolum. Primum Apostolorum, ab ipsis scilicet Apostolis conditum, quo solo, velut tessera Fidei nostræ, usa est Ecclesia, usque ad tempora Nicæni Concilii. Secundum est ab ipsa Synodo Nicæna compositum contra hæresin Arianam. Tertium denique est Constantinopolitanum, à Synodo prima Constantinopolitana vulgatum adversus Macedonii errores; quod Symbolum, cum in paucis differat à Nicæno, non raro ab Auditoribus cum isto confunditur; ut sit etiam à nobis, qui Symbolum Constantinopolitanum recitantes in Missa, Nicænum appellamus. Est & aliud Symbolum, quod vulgò creditur Athanasii Alexandria Patriarchæ; sed nullus est illius usus in Sacrosancto Missæ Sacrificio.

Apostolorum Symbolum primis Ecclesiæ temporibus inter Missarum sollemnia recitari consuevit, Gav. ntus hic & Antonius Bellotte in suis observ. ad Rit. Eccles. Laudun. p. 437. ex Dionysio Areopagita, & S. Petri Liturgia demonstrare conantur. Verùm cum & opera sub nomine Dionysii Areopa-

gita vulgata, aliqui docti Scriptores suppositicia esse contendant, & Liturgia S. Petri qualis modò edita est, sit à quopiam Græco recentiore conscripta; nullum ex his scriptis argumentum certum peti potest pro Gavanti Sententia. Itaque profus incertum esse putamus, num tribus primis Ecclesiæ Seculorum Apostolorum Symbolum alioquus fuerit utrum in Sacrificio Missæ. De Nicæno igitur Symbolo, vel Constantinopolitano, quæsitio in futurum posse videtur. Quis illud in Liturgia primum dici præceperit, adhuc ignoramus. Radulphus Tungrensis *prop. 23.* & Bern. Augiensis *cap. 25.* quorum sententiam implexi sunt Gavantus hic, aliique Scriptores, existimant, à Marco Summo Pontifice Silvestri successore decretum fuisse, ut Nicænum Symbolum in Sacrificio Missæ de cantaretur. At Innocentius III. *lib. 2. de Mysteriis Missæ cap. 44.* cum pluribus aliis scribit, S. Damasum illud ad exemplum Græcorum recitari jussisse. Verùm hæc sine ullo antiquo teste dicuntur, & ipsis antiquis testibus contradicunt. Græci enim in vivis degente Damaso Papa, non hunc Ritum admiserant: scribit enim Theodor. Lector *Histor. Eccles. pag. 563.* ead. Val. quòd Timotheus Constantinopolitanus Episcopus *Symbolum Fidei septuaginta & octodecim Patrum in singulis Collectis recitari præcepit in odium Macedonii, quasi non susciperet id Symbolum, quod antea sanctè recitabatur quotannis die Magno Parasceve.*



suos Dominica Passionis, dum Episcopus baptizandos catechizaret. Idem vero Theodorus paulò post, & Nicephorus Callistus lib. 15. cap. 28. scribunt, Petrum Fulsonem instituisse, ut Symbolum in omni Conventu recitaretur; quæ in speciem pugnantia, Bona atque Martene ita conciliari posse contendunt: ut Petrus in Antiochena; Timotheus in Constantinopolitana Ecclesia, hunc morem induxerint.

Ab Orientalibus paulò post transit ad Hispanos hæc disciplina. Legitur de hac re Canon 2. Synodi Toletanæ 3. sub Recaredo Rege coactæ Anno 589. -- *Sancta constituit, ut per omnes Ecclesias Hispania, & Gallia (putat Martene legendum esse Gallia, Narbonensis scilicet) secundum formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani, hoc est, C. L. Episcoporum Symbolum Fidei recitetur, & prius quam Dominica dicatur Oratio, voce clara Populo decantetur.* Serius cepit hic Ritus in Gallia, atque Germania, nimirum sub Carolo Magno ineunte Seculo nono, id eis permittente Leone III. Pontifice; ut colligitur ex collatione habita inter Beverium Wormatiensem Episcopum, Jesse Ambianensem, & Adalardum Abbatem Corbejensem cum præfato Leone. Hæc collatio recitatur à Baronio ad Annum Christi 804. n. 60. Hinc Walafridus Strabo c. 22. libri de Rebus Ecclesiasticis scribit. -- *Apud Gallos, & Germanos, post dejectionem Felicis hæretici sub gloriosissimo Carolo Francorum Rege damnati, idem Symbolum latius, & crebrius in Missarum capis Officii recitari.* -- Quæ verba, inquit Martene de antiq. Eccles. Rit. lib. 1. cap. 4. artic. 5. pag. 376. indicare videntur, jam antea Symbolum in Missis recitatum fuisse; sed non ita latius, & crebrius, ac post damnatum Felicem: ut, quod aliquando, & aliquibus in locis duntaxat erat in usu, postmodum ab omnibus ubique frequentaretur.

Supereft quæstio de tempore, quo Sym-

bolum Constantinopolitanum in Missa recitari cepit apud Romanos; quæ sanè quæstio magnam difficultatem involvit. Berno Augiensis Abbas in lib. de Rebus ad Missam pertinentibus cap. 2. tradit, Romanam Ecclesiam usque ad tempora Henrici Imperatoris Symbolum post Evangelium non decantasse -- sed ab eo interrogati, inquit Berno, cur ita facerent; me coram assistente, audivi eos hujusmodi Responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fece infecta; sed secundum Sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcussa: & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea desuit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent -- Id contigit Anno 1014. Ab hoc igitur Anno jubente Benedicto VIII. cepit Romæ cantari Symbolum; & ideo, inquit Cardinal. Bona lib. 2. cap. 8. §. 2. nec in Ordine Romano, nec in præfatis Sacramentorum Codicibus, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Remigium, & alios, qui ante prædictum Annum Romanæ Missæ Ordinem explanarunt, ulla Symboli mentio reperitur. Placuit hæc Opinio viris eruditissimis, Baronio, Menardo, Christiano Lupo, Antonio Bellotte, Grancolasio, imò & Gavanto nostro, & innumeris aliis. Verùm Doctissimus Mabillon in Commentario cap. 6. pag. 43. frotus auctoritate Ordinum Romanorum, 2. §. & 6. longè ante Annum 1014. Symbolum in Pontificali Missa recitatum existimat. Et ne quis secundum Ordinem interpolatum suspicetur, refert, Amalarium in Ecloga super hoc libello, eundem locum commentari. Quare per illud intervallum, quod à Seculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem intermissam à Romanis arbitratur. Edmunda Martene loc. cit. Mabillonii sen-



tentiam amplexus est, quam etiam prolatis Wolafredi, & Leonis Tertii auctoritatibus confirmavit. Negat tamen, seculo decimo intermissam fuisse Romæ recitandi Symboli consuetudinem: nam, inquit, si Bernonis verba attenta mentis consideratione perscrutemur, non negunt absolute apud Romanos Symbolum in Missa dictum fuisse, sed decantatum: quia reverà sollempni modulatione, ut in aliis Ecclesiis, non cantabatur; sed solidum recitabatur: cujus responsionis testem amplissimum profert Leonem III. in præcitata collatione cum Aquisgranensis Concilii Legatis -- *Quod verò, inquit Leo, asseritis, idèd vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse: Quid ad nos? nos enim idipsum non cantamus, sed legimus; & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo, addere quidpiam eidem Symbolo, inferendo, præsumimus.* -- Hanc nos opinionem libenter amplectimur, quamquam secundus Ordo Romanus objici posse videatur; in quo pag. 46. ista leguntur: *post lectum Evangelium candela in loco suo extinguuntur, & ab Episcopo, Credo in unum Deum, cantatur.* Verum cum dicat, Symbolum ab Episcopo, non autem à Choro fuisse cantatum, ut ante dixerat de Hymno *Gloria in Excelsis*; illa verba de simplici lectione intelligi posse videntur. Hoc modo explicari non possunt verba Ordinis 6. *Sin autem Episcopus predicare noluerit, altà voce incipiat canere Credo in unum Deum: & ita omnis Chorus incipiens, Patrem omnipotentem, ad finem usque perducatur.* Sed hunc Ordinem in usu fuisse apud Romanam Ecclesiam ante undecimum Seculum, certo argumento probari non potest. Quòd si quis Ordinem hunc ante Seculum undecimum scriptum esse contenderit; interpolatum tamen fuisse negare non poterit, cum in eo ista legantur: *Episcopo dicente per omnia Secula Seculorum, accipiat benedictionalem librum, & conversus ad Populum dicat, humiliare vos ad be-*

nedictionem, & Clero respondente Deo gratias, portiget Episcopo; quem Ritus magis quam ab Ecclesia Romana fuisse servatum, nullus ignorat.

II. Rubr. pag. 28 & Gavant. pag. 29. col. 2. lit. i. *Post Evangelium ex Decreto Sancti Marci, &c.* Ubi Symbolum recitari, cum in Missa, statim illius recitatio lectionis Evangelii secuta est; quem Ritus semper utraque Ecclesia servavit, exceptis Hispaniis; ubi ex Decreto tertie Synodi Tolentaneæ sancitum est, ut Symbolum ante Orationem Dominicam recitaretur; qui mos adhuc in Missali Mozarabico perseverat; in quo post Consecrationem, & aliquot breves preces, dicit Presbyter: *Fidei, quæ corde credimus, ore autem dicamus, quod dicitur, Chorus recitat Fidei Symbolum, & dicitur: Credimus in unum Deum.*

III. Gavant. pag. 29. col. 1. lit. h. *Canonisationis Filioque procedit; &c.* Gravissimum inter Scriptores non solum Liturgicos, sed & Historicos, ac Theologos controversia, quis Symbolo hanc particulam primum addiderit. Auctores nonnulli docti, & editi sibi persuserunt, particulam hanc in Concilio Romano sub Damaso additam fuisse; à qua sententia non videtur abhorere ipse Gavantus. Mirum est, opinionem hujusmodi sectatores habere potuisse: nam cum ex præcitata collatione Leonis III. cum Legatis Gallicanis appareat, Leonem graviter interrogatum fuisse, quòd Galliarum Ecclesia Symbolum cum illa adjectione cantaret; evidens est, ante Leonem III. particulam hanc à Romanis lectam non fuisse, ac proinde Damaso perperam adscribi: imò etiam Leo additionem illam reprehendisse videtur, jure colligere possumus, id additum Symbolo, inconsulta apostolica Sede.

Rejecta igitur ista sententia, placet nobis Aguirii Card. opinio; *tract. 4. de Trinitate disp. 42. sect. 2.* statuentis, particulam illam adjectam fuisse Symbolo à Synodo Tolentana III. quam postmodum imitæ sunt 4. 6. & 8. & 9.



Forojulense Concilium; quæ est etiam opinio Baronii, aliorumque Scriptorum. Certè nullam Synodo Toletana antiquius monumentum reperitur, in quo legatur Symbolum cum voce illa *Filioque*. Approbata tandem fuit additio hæc ab Ecclesia Romana; cui tamen Græci processionem Spiritus Sancti à Filio negantes non acquieverunt; donec congregato Generali Concilio Ferrariz, Anno 1438. completo postmodum Florentiz, unanimi Latinz, Græcæque Ecclesiæ consensu firmata fuit. De Symbolis autem eruditè tractarunt more suo Card. Bona *loc. supracit.* Edmündus Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus *lib. 1. cap. 9.* Grancolas in libro de antiquis Liturgiis *pag. 530.* Antonius Belotte in suis observationibus *loc. supracit.* Petrus Le Brun *tom. 1. art. 8.* per totum; Auctor anonymus tractatus Missæ Parochialis Gallicæ exarati *part. 2. cap. 11. art. 1. 2. & 3.* Claudius de Vex *tom. 3. pag. 122.*

IV. Rubr. pag. 28. *Symbolum dicitur* Ecclesia triplici ex causa, ut optimè Guyetus observat *lib. 3. c. 28. quest. 3.* Symbolum in certis Festis recitare consuevit: ratione Mysterii, ut contingit in omnibus Festis Christi Domini, & B. M. V. horum enim Mysteria vel implicitè, vel explicitè in Symbolo continentur: ratione doctrinæ Fidei non tam susceptæ, ac propugnatz; quàm verbo, scriptoque traditæ, atque annunciatæ; qua de causa dicitur in Festis Apostolorum, ac Doctorum: tandem ratione Celebritatis dicitur in Festis Patronorum, & aliis propriis locorum, seu Ecclesiarum, &c. & hæc quidem generatim dicta, mox sunt specialius definienda; paucis tamen, cum multa eruditè à Gavanto nostro exposita sint.

V. Gavant. pag. 29. col. 2. lit. l. *In omnibus Dominicis.* Unum hic observo cum Bisso *lit. C. n. 562. paragr. 31.* quod omittitur dictum Symbolum, seu Credo in Missa Dominicæ, quando de ea fit in Sabbato antecedenti.

VI. Rubr. pag. 29. & Gavant pag. 30. col. 2.

lit. a *In Festis Angelorum.* Videtur paucis ab hinc Seculis non ubique receptum fuisse morem recitandi Symbolum in Festis Angelorum: Radulphus enim Tungrensis *propof. 23.* refert vulgatum sequens carmen, quo exprimebantur Festa Symbolo carentia: *Angelus, & Virgo, Martyr, Presul sine Credo.* In Ecclesia tamen Romana, Radulphi ævo dicebatur; quod Innocentiū III. auctoritate Gavantus ostendit.

VII. Gavant. pag. 30. col. 2. lit. c. *In Festo Divi Thomæ, & Sancti Bonaventuræ.* In Missalibus post Benedictum XIII. editis, præscribitur, recitandum esse Credo etiam in Festis SS. Anselmi, & Isidori Hispanensis; quibus nuperrimè à S. R. C. annuente eodem Pontifice concessum fuit Officium, & Missa de Communi Doctorum; & his addi potest Festum S. Petri Chrysologi; de quo modò ab universali Ecclesia recitatur Officium sub Ritù Duplici, tanquam de Doctore: quia mens Rubricæ Missalis est, quòd in Festis Doctorum semper dicatur Credo, dummodò sint Festa Duplicia; sicut explicat Guyetus *lib. 3. cap. 28. quest. 3.* & ex eo Bisso *lit. C. n. 560. paragr. 15.* imò addit Guyetus *loc. cit.* quòd in illis Galliarum Ecclesiis, quæ in Festo S. Hilarii dicunt ad *Magnificat* Antiphonam *O Doctor, &c.* debeat in ejus Missa etiam Symbolum recitari: & hæc ratione apud Monachos Cassinenses dicitur Symbolum in Festis SS. Ildephonsi, Leandri, & Bedæ; quia coluntur ab ipsis tanquam Ecclesiæ Doctores sub Ritù Duplici, referente Bisso *loc. supracit.*

VIII. Rubr. pag. 29. *In Anniversario Dedicacionis propriæ Ecclesiæ, & per Octavam.* Querit Guyetus *loc. cit.* an non etiam recitari Symbolum possit in alienæ Ecclesiæ Dedicacione, puta Cathedralis in tota Diocesi? & responderet, posse: quia quamvis id taceat Rubrica, suadere tamen videtur exemplum Dedicacionis Basilicæ Salvatoris, & SS. Petri, & Pauli, item usus Fratrum Minorum in Festo Portiunculæ. Certè valet in omni casu ratio, quam Innocentius III. affert *lib. 2. de Mysteriis*



steris *Missæ* cap. 52. quòd in Symbolo habeatur: *Sanciam Ecclesiam*. Huic Guyeti placuit subseribit etiam Bissus *lit. C. num. 560. §. 18* Hinc etiam fit, quòd cum totus Clerus Sæcularis debeat celebrare Dedicationem Ecclesie Cathedralis, in Civitate quidem cum Octava, in Diocesi vero sine Octava: ut decrevit S. R. C. 2. Maji 1619. & refert Gavantus in suo Thesuro Sacrorum Rituum tom. 2. *sect. 8. cap. 5. sub num. 5.* & quidem semper sub Ritu Duplici primæ Classis, etiam in Diocesi; ut asserunt Gavantus ibi, & Arnaudus in Epitome *part. 3. tit. 39. sub num. 2.* nec non Bissus *lit. D. n. 31. §. 6.* Regulares autem, ut colligitur ex Decreto edito die 11. Februarii 1702. cum teneantur prædictum Officium recitare tantum sub Ritu Duplici secundæ Classis sine Octava; quæ quidem Decreta per extensum dabimus in Indice posito in secundo tomo, in quo agemus de Rubricis spectantibus ad Breviarium Romanum: hinc, inquam, fit, quòd prædicti omnes, celebrantes Missam Dedicationis Ecclesie Cathedralis extra eandem Ecclesiam, adhuc tenentur dicere Symbolum in Missa ob rationem supradictam, nimirum quia Symbolum, seu *Credo* convenit simpliciter Festo Dedicationis Ecclesie. E contra verò in Festo Titularis Ecclesie Cathedralis, si sit Festum Martyris, Confessoris, Virginis, &c. Symbolum non est recitandum, nisi in propria Ecclesia Titularis, de quo celebratur Festum; ut patet ex Decreto infra dando, & quod habetur in nostro Indice sub n. 609. Ratio discriminis est: quia in Festis SS. Martyrum, Confessorum, Virginum, seu Viduarum, non dicitur *Credo*: unde aliqui conati sunt tribus hisce verbis *MVC non credit* exprimere dictam communem sententiam de Festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum; indicando per literam, M. Symbolum nunquam dici in Festis alicujus *Martyris*; per literam, V. non dici idem Symbolum in Festis alicujus Virginis, aut Viduæ, alteriusve non Virginis, excepta S.

Maria Magdalena; & per literam, C. celebrare voluerunt, non debere dici Symbolum in Festo cujuscunque Confessoris, si non Doctor Ecclesie; & nisi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ sint Patroni, aut Titulari Ecclesie totius, non Capite tantum in eadem Ecclesia; aut nisi venerint talia Festum Martyrum, Virginum, & Confessorum Dominicis, & infra Octavas Festorum Symbolum habentium; sicut constanter occurrunt Octava S. Johannis Baptistæ infra Octavam SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Octava S. Laurentii infra Octavam Assumptionis. In Festo S. Stephani, & SS. Innocentium dicitur *Credo*, quia Duplex hoc Festum in eadem infra Octavam Nativitatis Domini illud requientem; sicuti & in Octava ejusdem S. Stephani, quia occurrit infra Octavam S. Johannis Apostoli, cui convenit *Credo*; in Octava verò SS. Innocentium omittitur, quia celebratur extra dictas Octavas.

IX. Rubr. pag. 29. *In die Consecrationis Ecclesie, vel Altaris.* Prædictam Rubricam dispositionem extendit Guyetus etiam ad Octavas, non quidem Altaris, quia tales Octavas non sunt, sed Ecclesie: & ratio est, quia si dicitur *Credo* in Octava Anniversarie Dedicationis Ecclesie, à fortiori recitari debet per totam Octavam Consecrationis eisdem; cum ipsamet Anniversaria Dedicationis non sit nisi Consecrationis primum factæ confessio.

X. Rubr. pag. 29. *Et ubi habetur Corpora, vel insignis Reliquia Sancti.* Diximus supra in Festis etiam SS. Martyrum, Virginum, Confessorum posse dici *Credo* in illis Ecclesiis quarum ipsi sunt Titulares: nunc procedimus ad asserendum, posse etiam dici Symbolum in illis Ecclesiis, in quibus asseratur de quibus corundem Sanctorum insignis Reliquia, & quidem approbata. Hic autem considerandum debemus cum Gavanto, & cum Bisso supradicto §. 20. quòd quæcunque pars corporis non est censenda sufficiens Reliquia, ut



Missi dicatur *Credo*; sed debet esse talis entitatis, ut Officium possit fieri Duplex. Ad cognoscendum verò, quando Officium possit fieri Duplex ratione Reliquiæ, attendenda sunt ea, quæ ex registro Decretorum S. R. C. habentur in principio Breviarii Romani; ubi declaratur, quod Reliquia insignis sit *Caput, Brachium, Crus; aut alia pars corporis, in quâ passus est Martyr, modo sit integra, & non parva, & legitime ab Ordinario approbata.* Non est igitur insignis Reliquia censenda (ut etiam advertit *Quarti part. 1. tit. 11. dub. 3.*) Manus, Pes, aut aliud frustum, nisi in dictis partibus passus sit Martyr. Censetur autem etiam adhuc *integra pars Caput* v. g. tamen si ex pluribus fragmentis constet per artificialem unionem conjunctis, modo adsint omnia flosa, seu fragmenta, quæ requirantur ad integritatem ejusdem membri; & ita aptè simul conglutinetur, ut appareat integrum caput, brachium, &c. *Quarti part. 1. tit. 1. dub. 4. & ex eo Lohner part. 2. tit. 17. num. 1.*

Hoc locorursus advertere est, quod non potest celebrari Festum de prædicta insigni Reliquia, nisi in illa Ecclesia ubi asservatur, & non alibi; ut liquet ex Decretis S. R. C. Breviario Romano præfixis: quod si contingat, ex aliquo privilegio extra dictam Ecclesiam celebrari Festum ejusdem Reliquiæ; tunc in Missa non potest dici *Credo*, ut clarè statuitur in Decreto S. R. C. 2. Decembris 1684. & dato in nostro Indice sub n. 501. ubi hæc habentur -- In Ecclesiis, ubi asservatur insignis Reliquia licijus Sancti, quando celebratur Missa, dicitur cum *Credo*: extra verò talem Ecclesiam sine *Credo* dicitur -- Idem etiam colligitur ex alio Decreto ejusdem diei; in quo declaratum fuit, quod cum Canonici Regulares Lateranenses per Decretum sub die 16. Decembris 1679. recitare possint, & valeant Officia Sanctorum, quorum insignes Reliquiæ in Basilica Lateranensi asservantur; non ideo in Missis debent dicere *Credo*. Denique advertimus, quod ad hoc, ut possit di-

*Gavant. Rubr. Miss.*

ci *Credo* in illa Ecclesia, ubi Reliquia insignis asservatur, non est necesse, quod eadem Reliquia sit exposita; quia Rubrica, & S. R. C. Decreta hanc conditionem non exprimunt: sufficit ergo, quod talis Reliquia in dicta Ecclesia habeatur, & nihil aliud requiritur.

Denique animadvertere est, quod juxta sententiam P. Halden *part. 3. tit. 2. in fine*, etiam in Missis de Beatis (ubi de his celebrare est permissum) est dicendum Symbolum, si adsit insignis Reliquia.

Ufus recitandi Symboli in Festis Sanctorum, quibus dicata est Ecclesia, seu ubi habetur insignis Reliquia, non fuisse videtur ante Annum 1393. in quo Bonifacius IX. concessit recitari Symbolum in Festo S. Francisci in propria Ecclesia, & ubi Corpus ejus requiescit; ut refert F. Lucas Wandingus *tom. 4. Annal. eodem Anno n. 1.*

XI. Rubric. pag. 29. & Gavant. pag. 31. col. 2. lit. n. *Patroni alicujus loci.* Dubitari potest, an etiam in Festo secundario Patroni, vel Titularis debeat, vel possit Symbolum in Missa recitari, Gavantus pag. 29. lit. h. concedit, Symbolum dici posse in Festo Translationis Patroni tantum principalis, et conditione, quod Festum celebretur sub Ritu Duplici. Guyetus *loc. cit.* Gavant conditionem approbat; quæ si in aliis quoque Patronorum minus principalium Translationibus, seu Festis secundariis reperitur; haud tamen eis tribuendum Symbolum putat, nisi ubi usus ob Solemnitatem invaluit. Verùm à prædicta Gavant sententia recedere cogimur; quia in Decreto S. R. C. die 19. Junii 1700. & dato in nostro Indice sub num. 544. ita statuitur -- In Festo Translationis Patroni principalis Cathedralis sub Ritu Duplici majori, non potest in Missa dici Symbolum, nec in ipsa Ecclesia Cathedrali, nec consequenter per totam Diocesim.

T

XII.



XII. Rubr. pag. 29. *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris.*) Postquam Rubrica declaravit in Festo Patroni alicujus loci, vel Tituli Ecclesiæ dicendum esse *Credo*; excipit tamen Festum Tituli alicujus Cappellæ, vel Altaris, id quod etiam supra innuimus: sed talis Rubricæ exceptio intelligenda est de Missis Privatis; non verò de Missa Sollemni: nam de hac S. R. C. die 1. Aprilis 1662. ita decrevit; ut habetur in nostro Indice sub n. 394. -- Missa cum Gloria, & *Credo* potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricarum.

XIII. Rubr. pag. 29. *In Festis principalibus Ordinum, &c.*) Nomine Festorum principalium venire solent ea omnia, quæ Ritu primæ Classis celebrantur, scilicet vel Institutoris Ordinis, seu principalis Tituli, vel Patroni, &c. Utrùm autem sub eodem nomine principalium Sanctorum comprehendantur etiam insigniores Ordinis Professores, dubitatur ab Auditoribus. Guyetus censet, servandum esse in hoc casu legitimum cujuslibet Ordinis usum; neque tamen facile concedendum, alios sub nomine principalium venire, quam qui Ritu obtinent Duplicem, saltem secundæ Classis: Bisus hanc doctrinam amplectitur *loc. citat. §. 27.* & confirmat ex Ceremoniali Monastico; in quo statuitur, recitandum esse Symbolum in Festo Sanctorum omnium Monachorum Ordinis S. Benedicti, licet sit tantum secundæ Classis. Addit apud Monachos sui Ordinis recitandum etiam esse in Festo S. Scholasticæ, quod sub Ritu Duplici secundæ Classis celebrant cum Octava; ex concessione Clementis IX. Favet etiam praxis omnium ferè Ordinum Regularium; qui in Festis suorum Sanctorum secundæ Classis, Symbolum recitare non dubitant: cui praxi, & sententiæ non ita facile subscribo, etiamsi talia Festa secundæ Classis celebrentur cum Octava: nam quamvis Festum S. Laurentii sit sub Ritu Duplici secundæ Classis, & celebretur

cum Octava ab Ecclesia universali; nihilominus quia Sanctis Martyribus non convenit *Credo*; ideo in tali Festo non dicitur *Credo* nisi in Ecclesia Titulari ejusdem; ut liquet etiam ex Decreto supra insinuat, & dicitur in nostro Indice sub n. 609. à fortiori ergo concedi non debet *Credo* in Festo SS. Confessorum alicujus Ordinis particularis, etiamsi ab eodem celebrentur sub Ritu Duplici secundæ Classis, & cum Octava. Hinc contrariam consuetudinem abrogandam esse non dubitaverim; & solum concederem *Credo* Missa Sollemni, ubi celebratur Festum alicujus ex dictis cum magno Populi concursu neque Ceremoniale Monasticum quidem officit: ideo enim in Festo omnium Sanctorum Monachorum præscribit recitandum Symbolum, quia in Festo illo colitur S. Benedictus, cui ex Rubrica convenit *Credo*, ut principali Patrono.

XIV. Gavant. pag. 32. col. 1. lit. n. *In Vigiliis autem, quæ veniunt infra aliquam Octavam.*) In Vigiliis, quæ occurrunt infra aliquam Octavam, si celebretur Officium Octavæ, Missæ, ut diximus supra in titulo de *Vigilia, & Vigilia*, Missæ, inquam, non sunt Conventuales, sed etiam Privatæ non dicitur de Officio tunc currente; sed de *Vigilia*, in quo casu unica de eadem celebratur Missa Conventualis: & cum non celebratur Missa correspondens Officio; si prædicta Octava habeat *Credo*, Guyetus *loc. citat. cap. 5. quest. 5. in fine* asserit, in tali *Vigilia* dicendum esse *Credo* cum Commemoratione Octavæ; quia talis *Vigilia* ipse, non est *Vigilia Simplex*, seu *ferialis*, sunt alia *Vigiliae communes*; sed *Festiva*, *Dominicalis*, adeoque capax Symboli altaris debiti. Hæc Guyetus, ut notavimus supra *cit. tit. de Feria, & Vigilia*. Sed præstanti viri censere non esse recedendum à sententia Magistri sen tentia supra exposita; unde etiam in talibus Vigiliis non est dicendum Symbolum; cum tales *Vigiliae* non possint dici modo *Festivæ, & Dominicales*. Suadeor



contra Gayeti opiniosem, & libentius adhaerere Gavanti placito; quia certissimum est, quod occurrente Festo S. Marci infra Octavam Paschæ, in Missa Rogationum non est dicendum *Credo*; ut habetur in Decreto diei 5. Julii 1698. & dato in nostro Indice sub n. 530. Ex quo optimè arguit Johannes Baptista Pittonus afferens tale Decretum, quod neque dicendum est Symbolum in dicta Missa Rogationum, si prædictum Festum S. Marci occurrat in qualibet Dominica: nam si non potest dici *Credo* in eadem Missa Rogationum ratione Festi S. Marci illud admittentis, neque poterit dici ratione Dominicæ: ob eandem igitur rationem, neque in Vigilia incidente infra aliquam Octavam debet dici *Credo*. Denique considerandum est, quod sententiæ Gavanti consentit praxis omnium Ecclesiarum: & reverà in Directorio Romano hujus Anni 1735. die 14. Decembris, in quam incidit Feria 4. quatuor Temporum, & est infra Octavam Conceptionis B. M. V. præscribitur Officium prædictæ Octavæ; Missam verò esse dicendam de Feria currendi, cum secunda Oratione de Octava, tertia

de Spiritu Sancto, & Præfationem B. V. cum *Et te in Conceptione, sed sine Gloria, & Credo*.

Superest nunc, ut præter aliqua Decreta sparsim exhibita in nostris hæc Additionibus, aliqua alia tradamus spectantia ad hanc Rubricam.

Missæ de Sancto Titulari, vel Patrono celebratur cum *Gloria, & Credo*. S. R. C. die 4. Augusti 1657. & in nostro Indice sub num. 323.

In Missis de Beatis non debet dici *Credo*. 12. Julii 1664. & in nostro Indice sub n. 419.

In Missa Patroni minis principalis, non dicatur *Credo*. S. R. C. 2. Decemb. 1694. & in nostro Indice sub n. 479.

In Festis SS. Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub Ritu Duplici Majori, non est dicendum Symbolum in Missa. 19. Junii 1700. & datur in nostro Indice sub num. 545.

Quando in Missis Votivis pro re gravi debeat, vel non possit dici *Credo*, jam exposuimus in nostris Additionibus spectantibus ad tales Missas.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XII. De Offertorio, Secretis, Præfationibus & Canone.

1. Gavant. pag. 32. col. 1: lit. q *Dicitur Offertorium ab offerendo &c.* In Missa Solemni post Symbolum, & quando non dicitur, post Evangelium, Sacerdos salutat Populum, & excitat ad orandum: tunc Chorus canit Antiphonam, quæ Offertorium nuncupatur, quia antiquo more Populus interim sua dona offerebat. In primitiva enim Ecclesia, omnes qui communicaturi erant, offerre consueverant ad Altare panem pro se ipsis consecrandum: unde in Fabiani Papæ epist. 3. (quæ tamen dubia est) decernitur, ut in omnibus diebus Dominicis ab omnibus viris, & mulieribus oblatio tam panis, quam vini fieret: ex Percilio de præcipuo Sacerdotis Officio lib.

3. dub. 3. n. 52. qui offerendi mos adhuc viget in multis Ecclesiis, præsertim in Pagis, & Oppidulis rusticorum; qui cum præscarum consuetudinum tenaciores esse soleant, supervenientibus mutationibus, haud facile acquiescunt. Verum hujusmodi oblationes, non in usum Sacrificii cadunt, sed Parocho, vel pauperibus distribuuntur. Imò plerumque pecunia offertur: nam cum Populi communio refrigerante caritate cessasset; & ad usum Celebrantis modica panis particula sufficeret; panis verò pro usu Sacrificii à Clericis formaretur; cepit Populus, ut ait Honorius in *Gemma Anima* lib. 1. c. 66. pro oblatione panis, sive farinæ, denarios offerre.



Sed de hac re videantur ea, quæ tradunt Card. Bona lib. 2. cap. 8. n. 3. Antonius Bellotte in suis observationibus Eccles. Land. pag. 467. & seqq. Auctor anonymus tractatus Missæ Parochialis Gallicè conscripti 2. part. cap. 12. artic. 1. & seqq. & in sua recenti etudita dissertatione Italicè elucubrata, & Venetiis impressa, Anno 1733. noster Pater Franciscus Berlendi, aliique Auctores, quos dabimus in nostris Additionibus ad tit. 7. 2. part. hujus Thesauri n. 31.

Ceterùm nomine Offertorii, sive Offertendæ, ut Amalarius, & alii veteres loquebantur, relati à Card. Bona lib. 2. cap. 8. n. 3. ea omnia comprehenduntur, quæ à Sacerdote, & Ministris fiunt, & recitantur, à salutatione *Dominus vobiscum*, facta à Sacerdote post Symbolum, vel post Evangelium, usque ad secretæ Orationis conclusionem, cum Sacerdos alta voce intonat: *Per omnia Secula Seculorum*. Quarti part. 1. tit. 12. de Offertorio.

II. Gavant, pag. 32. col. 1. ead. lit. q. *Quis Auctor, &c.* Quis Antiphonam, quæ in Missali Offertorium intitulatur, instituerit, incertum est. Plerique à Gregorio Magno primò institutam asserunt; quia in suo Antiphonario propriam singulis Missis assignavit: sed jam vigeat in Africa hæc consuetudo; ut scribit Augustinus lib. 2. Retract. cap. 11. Verùm cum ex Menardo in notis ad S. Gregorii Sacramentarium pag. 7. habeatur, quòd in Cod. MS. Rodradi, & Ratoldi, Offertorium sit Antiphona, quæ dum cantabatur, Populus sua dona in Altari offerebat juxta antiquum Ritu, & Ritus iste præcesserit ævum Gregorianum; hinc deducitur talem Antiphonam non esse adjudicandam Gregorio Magno, tanquam primo Institutori. Unde fit, quòd quamvis prædicto Gregorio Honorius in *Gemma Anima* tribuat talem Antiphonam; alii tamen diversimodè opinantur, inter quos Walfridus Strabo cap. 22. Alii referunt talem Antiphonam Coelestino; alii verò Eutychno Summis Pontificibus. Biffus lit. O. n. 30. §. 1.

In Missa Defunctorum habetur Offertorium compositum ad modum Responsorii cum suis versibus, sicut antiquitus omnia Offertoria erant; quæ postea à majorem communitatem abbreviata sunt, relicto solo Offertorio Missæ Defunctorum, quæ in pluribus differt à Ritu aliarum Missarum; ut observat Durandus in *Rationali Div. Officiorum* lib. 1. cap. 27. n. 4. & Biffus loc. cit. ex eodem.

In prædicto Missæ Mortuorum Offertorio intellectu difficillima sunt illa verba deprecativa, nempe, *ne absorbeat eas Tartarus ne cadant in obscurum*: Animæ enim Purgatorii, pro quibus preces Deo porriguntur, jam sunt in statu salutis; & Tartarus, sicut Infernus eas absorbere nequaquam potest neque in obscurum infra Purgatorium eade periclitantur: cur igitur funduntur tales preces? Gravis quidem difficultas, cui nihil minus satisfecit dicendo, prædictam Antiphonam recitari consuevisse in actu agonizæ; ut eodem observat etiam Grancolas in antiquo *Evangelio Sacramentario* part. 1. de *Missis Mortuorum* pag. 536. & Macrius in suo *Hieroglyphico* Offertorium. Ecclesia igitur, dum eadem verba & eandem deprecationem adhibet in Missa & etiam in agendis funeralibus Defunctorum retrahit tales preces ad momentum transitus, & obitus, & confiderat animas in commento, quæ corpore migrant, ac si ante tribunal Judicis tunc constituantur: unde eo sensu acceptæ tales preces non significant quòd sententia Judicis etiam post multum tempus ab obitu suspenditur, usque in diem extremi Judicii. Prædicta omnia confirmantur ex aliis precibus Ecclesiæ effusis, partim in Adventu, partim in Nativ. Domini, perinde ac si Deus foret incarnandus, vel nasciturus, prædicando illa verba: *Rorate Cæli desuper, & pluuant justum &c.* *O Adonai veni ad redimendum nos: Emitte Agnum Domine Dominum Terræ. Ortelus sicut Sol Salvator Mundi & descendet in uterum Virginis.* Sic etiam orando Ecclesia retrahit tales preces à



tempus Prophetarum, & præcedens Domini Jesu Christi Nativitatem; & ita representando Myfterium olim factum, petit fructum ejus nobis applicari. Ita pariter representando per antedicta verba, quæ habentur in agenda Mortuorum, statum Animæ in mortis momento, & tempore agonizæ; nihil aliud intendit, nisi impetrare aliquod solatium pro Animabus illis, quæ è corpore jam migraverunt, & in carcere Purgatorii retinentur. Alia videri possunt spectantia ad hanc eandem materiam apud supracit. Marciurum, & Græcolas, nec non apud Doctissimum Franciscum Sylvium in suis commentariis in 3. partem S. Thomæ quest. 100. art. 6.

Solum in Missa Sabbati majoris hebdomadz omittitur Offertorium; cujus omissionis rationem assignabimus in nostris Observationibus ad titulum 10. part. 4.

III. Gavant. pag. 32. col. 2. lit. t. *Orationes, quæ nunc dicuntur in Oblatione, &c.* Post Antiphonam, quæ Offertorium dicitur, quinque sunt Orationes, nempe *Suscipe Sancte Pater: Offerimus tibi Domine: In Spiritu humilitatis: Veni Sanctificator: Suscipe Sancta Trinitas*, quæ non sunt valde antiquæ, nec in Ecclesia Romana ante 700. Annos dicebantur. Ratio est, quia Micrologus, qui floruit Anno Christi 1070. lib. de Eccles. Observ. cap. 11. scribit, Orationem *Veni Sanctificator*; juxta Ordinem Galicanum recitari; & illam *Suscipe Sancta Trinitas*, non ex aliquo Ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine; Romanum tamen Ordinem, nullam Orationem instituisse post Offertorium ante Secretam. Et confirmatur, quia Alcuinus, Amalarius, Walafridus, Remigius, Rupertus, Hugo, & alii veteres Scriptores de rebus Ecclesiasticis non meminerunt prædictarum Orationum; sed transeunt ab Offertorio ad Secretas. Imò Radulphus Tugrensis, qui floruit circa Annum Christi 1150. refert tantùm ea, quæ ex Micrologo attulimus, ipsumque citat. Hanc senten-

tiam amplectuntur etiam Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 17. nec non Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 8. quibus adscriptantur Græcolas tom. 2. de antiquis Liturgiis pag. 552. Martene lib. 1. de antiquis Ecclesie Ritibus cap. 4. art. 6. Antonius Bellotte in suis observationibus ad Ritum Laudum. pag. 467.

IV. Gavant. pag. 32. col. 2. lit. u. *Orationes secretæ dicende sunt, &c.* Post quinque præfatas deprecationes dicuntur Orationes à Sacerdote, quæ vocantur secretæ; & debent esse tot, quot clara voce dictæ fuerunt ante Epistolam; eodem omnino ordine, ac prædictæ Orationes, quæ alta voce recitatz fuerunt. Cætera de his Orationibus secretis tradit sufficienter Gavantus hæc, & pro quolibet Missa, siue de communi, siue propria, describuntur in Missali. Unica quæstio esse potest: utrum illa verba, *per omnia Secula Seculorum*, quæ clara voce proferuntur à Sacerdote post ultimam ex dictis Orationibus secretis, sint finis talis Orationis, an principium Præfationis. Bissus lit. O. n. 82. §. 1. adhæret doctrinæ Innocentii III. qui docet ea verba esse finem Orationis, & principium Præfationis simul; ad significandum Christum Dominum esse lapidem angularem, qui facit utraque unum. Verùm Micrologus lib. de Eccles. observ. cap. 7. & Amalarius lib. 3. de Eccles. Officiis cap. 19. tenent, quòd prædicta verba *per omnia Secula, &c.* pertineant præcisè ad finem superiorum Orationum; cum quibus convenit D. Thomas 3. part. quest. 83. art. 4. in O. quam sententiam libenter amplector. Etiam de his Orationibus secretis, quoad illarum eruditionem Sacram, videri possunt supra sæpius allegati Auctores, qui de his Missæ partibus suas dissertationes instituerunt.

V. Gavant. pag. 33. col. 1. lit. z. *Originem habent ab Ecclesia primordiis, &c.* In libro Pontificali de Gelasio legitur, quòd fecit Sacramentorum Præfationes, & Orationes cauto sermone. Ad quæ verba Emanuel



vel à Schelestrate in notis habet: *Exstat in Bibliotheca Palatina Vaticana Sacramentarium MS. Annorum circiter mille, in quo continentur Præfationes ante Gregorii tempora in Ecclesia Romana usu receptæ, de quibus hoc loco mentio reperitur: unde non malè illud Sacramentarium Gelasianum vocatur: ita allegatus Schelestratus. Hinc quidam referunt Gelasio Romano Pontifici Præfationum institutionem: sed Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 10. concedit quidem, plures Præfationes à Gelasio editas fuisse; nihilominus pro certo habet, in ipsis Ecclesiæ primordiis, ut hic ait noster Gavantus, extitisse usum Præfationum in Missæ Sacrificio; & earum institutionem, vel Apostolis, vel Apostolicis viris tribuendam esse censet; idque probat, quia integra, nostræque simillima Præfatio legitur in Jacobi Apostoli Liturgia; ejusque mentio reperitur apud Sanctos Patres, Gelasio, & Ambrosio antiquiores, inter quos præsertim recenset Cyprianum, Cyrillum Hierosolymitanum, & alios. Rursus Præfationes ubique receptæ, atque usitate fuerunt, cum reperiantur in Liturgiis omnium Ecclesiarum, & Nationum, tum Orientalium, tum Occidentalium, quarum aliquas refert Cardinalis Bona citato cap. n. 2. ubi pariter ait, extare aliquot libellos Præfationum in Bibliotheca Vaticana; & Cornelium Schulting. tom. 1. Bibliotheca Ecclesiastica part. 2. cap. 12. laudare librum editum Coloniz ab Henrico Gravio, in quo sunt ducentæ quadraginta Præfationes propriæ. Ambrosiani usam habent Præfationem Romanæ similem; at in Missis propriis, sive de Festo, sive de Dominica, aut de Feria, propriam canunt Præfationem. Ita pariter Mozarabes varias habent Præfationes; in quibus vel Mysteria ejus Festivitatibus, quam tunc celebrant, vel Sancti, de quo est Missa, laudes, & encomia decantant. In Sacramentario Gregoriano propriæ item extant Præfationes in singulis Missis ab Ambrosianis diversæ: ita pariter in Codice Gelasiano, Gothico,*

Gallicano, & in Codice Leonino recentissime evulgato, ut supra innuimus, singulares, non modò in Festis Sollemnibus, sed & in Dominicis occurrunt Præfationes. Denique in Græcis, & Orientalibus Liturgiis una, & eadem est illarum dispositio. Una quidem singulis propria est; ita ut Jacobi Liturgia suam habeat, suam Basilii, suamque Chrysostomi Liturgia; sensus tamen semper idem est omnium Præfationum in tot diversis Deo gratias agendi formis, quas continent: & omnes, sicut ipsædem præe verba incipiunt, ita omnes Hymno Cherubico Sanctus Sanctus concluduntur.

VI. Gavant. pag. 33. col. 1. ead. lit. 2. *Novem Præfationes enumerat ut antiquas, & approbat Pelagius PP. II. epist. 4.* Epistolam quæ Pelagio II. tribuitur à Gavanto non à sed 9. recenset Franciscus Pagius in Vita ejusdem Pontificis n. 17. & quamvis eandem epistolam referant etiam, & tanquam genuinam approbent Baronius tom. 7. Anno 590. & Bellinius tom. 4. Conciliorum, alique passim; nihilominus idem Pagius loc. cit. Grancolas tom. 1. de antiquis Liturgiis pag. 599. & ante eum primus omnium Card. Bona lib. 2. rerum Liturgic. cap. 10. n. 3. vehementer dubitavit, ne alterius fortè Pontificis recentioris sit prædicta epistola, & Pelagio per errorem tributa: hac ratione motus, nimirum, quia ætate Pelagii, illis tantum Præfationibus Romana Ecclesia, tanquam dudum in ea receptis, & approbatis utebatur; quomodo Gregorius ejus immediatus successor, Sacrorumque Rituum tenacissimus custos, alias novas instituit? Suspicionem auget Johannes Diaconus, qui cum res à Gregorio Magno gestas minutissimè in ejus Vita congesterit, nullam tamen de aliis novis Præfationibus ab eo contra morem præcæ Romanam institutionis, mentionem facit. Accedit, quòd in libris antiquis Sacramentorum, qui Romana Ecclesiæ titulum præferunt, præsertim Gelasiano, & Leonino, de quibus supra, aliæque posterioribus, nimirum Gregoriano, &



vix ull'a Missa est, cui propria, & peculiaris Praefatio non assignetur. Præterea si Pelagius II. Auctor esset hujus epistolæ ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ directæ, ipsique mandasset, non tenendas esse nisi novem dictas Praefationes; profectò Ecclesiæ Gallicanæ ejus Decreto paruisent: constat tamen, quòd ante Pipini, & Caroli Magni tempora, Ecclesia Gallicana non suscepit Romanæ Missæ Ritum, & Ordinem, sed propriis Officiis usâ est; ut alibi nos ostendimus agendo de Missali Gallicano, in quo assignantur propriæ Praefationes omnibus ferè Missis. Hæc demonstrare videntur, prædictam epistolam, & Decretum in ea contentum, Pelagio II. adscribi non posse. Quòd si hæc sententia non placeat, hoc saltem negari non poterit (inquit Card. Bona) usum Ecclesiæ Romanæ, de quo Pelagius testatur, post ejus decessum antiquatum fuisse, ejusque Decretum de novem Praefationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, nisi Seculo X. vel XI. & reverà non nisi in Missalibus scriptis post Annum 1200. illarum novem Praefationes duntaxat reperiuntur; quibus postea duæ additæ sunt, una communis antiquissima, quæ Gelasii, sive Gregorii creditur esse; altera de B. Virgine ab Urbano II. instituta in Concilio Placentino, de quo Gavanto, vel Claromontano, ut aliis videtur. Card. Bonæ sententiam amplectus est etiam eruditissimus Baluzius, tam in epist. ad eundem scripta postridie Kalendas Decembris, Anni 1672. quam in notis ad Antonium Augustinum; ubi Pelagii II. epistolam supposititiam ostendit ex titulo ipso epistolæ, quæ data dicitur ad Episcopos Germaniarum, atque Galliarum: ibi enim probat, hoc scribendi genus in usu esse non potuisse, nisi sub finem octavi Seculi.

VII. Gavant. pag. 34. col. 2. lit. c. *Excipe quoque Missam Feriæ quartæ, &c.* Quamvis verissimum sit, quòd occurrente Feriæ quartæ Temporum in Octava Nativitatis B. M. V. tunc in Missa Feriæ debeat dici Praefatio

communis, juxta Decretum à Gavanto citatum, datum in nostro Indice sub n. 202. nihilominus advertendum est, quòd in Missali recenter Romæ impresso typis Collegii Propagandæ Fidei Anno 1714. habetur in Rubrica diei 14. Decembris (in qua fit Officium de infra Octavam Conceptionis) *Si occurrat Feriæ quatuor Temporum, Missa dicitur de illa Feriæ cum Commemoratione Octavæ, & cum Praefatione B. M. V.* Optimè ita præscribitur in tali Missali: quia in illa die non dicitur nisi una Missa Conventualis, & hæc de illa Vigilia, sicut & aliæ Privatæ; nulla verò de B. M. V. nisi Votiva, juxta ea, quæ à nobis dicta sunt in Observationibus ad tit. de Feriæ, & Vigilia. E contra verò in primo casu adducto à Gavanto, cum sermo sit de die Octava Nativitatis B. M. V. in illa die dicitur Missa Conventualis, & omnes Missæ Privatæ de tali Octava; & alia postea dicitur Missa Conventualis de Vigilia, in qua nulla fit Commemoratio Octavæ B. V. & in qua non debet dici ejusdem Octavæ Praefatio, juxta allegatum Decretum. In hærendo eidem Decreto, Praefatio communis erit dicenda in Vigilia S. Joh. Baptistæ, vel SS. Apostolorum Petri, & Pauli, si occurrerit infra Octavam Corporis Christi, in Ecclesiis scilicet Cathedralibus, & Collegiatis; quibus onus incumbit, in tali Octava privilegiata, ut diximus supra de Feriæ, & Vigilia, cantandi duas Missas Conventuales, primam de Octava post Tertiam, & secundam de Vigilia post Nonam, in qua nulla fit Commemoratio Octavæ Corporis Christi; & hinc non dicenda est ejusdem Octavæ Praefatio, sed communis. Item idem servandum in Feriæ quatuor Temporum, si in ea venerit Octava Conceptionis B. M. V. in qua pariter cantandæ essent duæ Missæ conventuales: item & in aliis casibus similibus. Idem dicendum est de Missa Feriali, quæ dicitur infra aliquam Octavam occurrentem in Quadragesima, ab aliquibus privilegiatis; de quibus vide Decretum sub n. 460. tunc enim Praefatio erit

de



de Quadragesima, licet Octava propriam haberet: ita tenet Guyetus lib. 4. cap. 3. quest. 1. Auctores, qui eruditè tractant de Præfatione Missæ, sunt sæpius laudati Cardinalis Bona loc. cit. Antonius Bellotte in suis Observationibus pag. 513. Edmundus Martene de antiq. Eccles. Ritibus artic. 7. Græcolas de antiq. Liturg. pag. 594. Petrus Le Brun tom. 1. pag. 389. & Stephanus Durandi lib. 2. cap. 31.

Supereft nunc subnectere sequentia S. R. C. Decreta pertinentia ad Ritum Præfationum.

Qui in Sabbato recitat Officium B. M. V. volens celebrare Missam Votivam de Sancto, non debet dicere Præfationem B. M. V. sed communem. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice sub n. 475.

Si Festum SS. Philippi, & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis occurrat infra Octavam Ascensionis; Præfatio in Missa erit de Apostolis; Communicantes verò de Ascensione. 28. Augusti 1627. & in nostro Indice sub num. 216.

Decreta spectantia ad Præfationes Missarum Votivarum, allegata à nobis fuerunt in §. 10. talium Missarum.

VIII. Gavant. pag. 35. col. 1. lit. e. *Auctor illius nescitur. &c.* Verissimè scribit Gavantus, auctorem in Canonis ignorari: quippe nonnulli à M. sacro Presbytero Massiliensi; alii à Voconio Episcopo Castellanensi in Mauritania. Seculi V. Scriptoribus, qui teste Gennadio Sacramentorum libros ediderunt, compositum Canonem arbitratur; ut etiam notat hic Gavantus. Anonymus quidam Mellicensis, qui Seculo duodecimo tractatum composuit de Scriptoribus Ecclesiasticis, primo editum à Bernardo Pez in suo novo Thesauro Anecdotor. & secundo vulgatum à Johanne Alberto Fabricio in Bibliotheca Ecclesiastica, pag. 143. tom. 2. credidit, Missæ Canonem à Sancto Clemente Alexandrino fuisse conscriptum. Eius verba, quoniam paucis nota erunt, hic placet exscribere.

*Mira autem, inquit, eruditionis, & eloquentia fuit. Orationem illam Sacerdotis, quæ Canonem dicimus, ipse composuit; quæ & à omni Ecclesia tamè est habita, ut in Consecratione Corporis Domini perpetuo jussa sit recitari. -- Neminem futurum esse credimus, qui possit hæc sententia placere: & fortasse Auctor hic, sciens à Clemente Alexandrino Canonem Ecclesiasticum esse conscriptum, ut testatur Phytius Codice III. putavit Canonem illum Ecclesiasticum esse Canones Missæ; in quo sanè deceptus est. Aldelmus Episcopus, qui octavo Seculo floruit, in libro de laudibus virginitatis cap. 23. Canonem à Gregorio Magno edium existit. Verùm ipse Gregorius lib. 6. epist. 64. ait quodam Scholastico fuisse compositum; qui autem fuerit Scholasticus hic, aut quo tempore vixerit, Gregorius silentio præterit. Aliqui, teste Gavanto hic, putant fuisse Calixtum Summum Pontificem, inter quos Raddulphus Tungensis; sed ex libris Ambrosii de Officiis, & Sacramentis discimus, Canonem ante Gelasium conditum fuisse; neque probabile est, Gregorium Scholasticum tradidisse prædecessorem suum vitum Doctissimum, & inter Pontifices nemini secundum Non desunt etiam, qui putent per præcæquam Gregorius ait à Scholastico compositam, non debere intelligi Canonem, sed Orationem quandam actioni Missæ insertam: hanc opinionem primus amplexus est Jacobus Jansoni in suis Liturgiis, lib. 3. cap. 11. Placet hæc opinio Doctissimo Maldonato in suo MS. tractatu de Ceremoniis Missæ: ubi contendit, Gregorium non de integro Missæ Canone intelligendum esse; sed de particulari illa Oratione, quæ incipit *Hanc igitur*, & quam solum à Scholastico scriptam affirmat. En integram Maldonati censuram relatam à Petro Le Brun tom. 2. dissertat. 2. artic. 2. num. 3. pag. 147. -- Quòd item Scholasticus non fuerit Auctor Canonis, hinc liquet, quòd cum Gregorius eo loco reddidit*



rationem, cur introduxisset illi quatuor, ait, sibi durum visum fuisse; quod illa Oratio, quam Scholasticus composuit, diceretur; & Oratio Domini super Corpus, & Sanguinem non diceretur. Significat ergo illam Orationem, quam Scholasticus composuit, fuisse unicam, & dictam fuisse super Corpus, & Sanguinem Domini: ergo totus Canon non fuerat compositus à Scholastico. Aliud ejusdem rei argumentum est, quod Canonis verba reperiantur apud Auctores antiquiores Scholastico. Denique Scholasticus homo erat privatus; Scholastici enim erant viri quidam Ecclesiastici gradus, quibus curæ erat juventutem docere. Horum Ecclesiæ Sapientum, qui Scholasticorum nomine decorabantur, sæpe mentionem faciunt Hieronymus, & Gennadius in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Severus quoque Sulpitius, loco dicendi *vos Sapientes*, dicit *vos Scholastici*, Dialog. 2. & Divus Gregorius commendat virum quemdam Doctissimum Scholastici titulo, dicens: viro clarissimo Scholastico, *lib. 10. Registri epist. 2.* Cum ergo Gregorius (qui Pontifex erat) reprehensus fuerit ob res minutas; quanto magis Scholasticus reprehensus fuisset, homo privatus, & qui rem tam gravem, qualis est Canon, recens in Ecclesia invexisset. Libenter Maldonati opinionem amplecteremur; sed Gregorium ibi de integro Canone loqui, ipse contextus epistolæ evincit; ut ait Bona *lib. 2. cap. 11. num. 2.* Præterea quædam sunt in Maldonati censura, quæ probare non possumus: nam quod ait, Canonis verba reperiri apud Auctores antiquiores Scholastico, nullius momenti esse videtur: etenim si certò constaret tempus, quo vixit ille Scholasticus, optimum quidem esset hoc argumentum; sed cum ignoremus, qua ætate floruerit, affirmari sine divinatione non potest, verba Canonis reperiri apud Scriptores illo vetustiores: quare dicendum omnino videtur, integrum

Gavant, Rubr. Miss.

Canonem à Scholastico esse compositum. Ex hoc tamen non licet arguere, Missæ Canonem ex Apostolica traditione non descendere: Vigilius enim Pontifex ante Gregorium in epistola ad Eucherium, sive ad Profuturum; ut ex MSS Codicibus colligit eruditissimus Baluzius in notis ad librum Antonii Augustini de emendatione Gratiani, & in epistola ad Cardinalem Bona scripta Anno 1672, quam ego perlegi; Vigilius, inquam, disertè testatur, quod Canonem ex Apostolica traditione suscepimus; quod pariter Tridentinæ Synodi auctoritate firmatur: hæc enim *sess. 22. cap. 4.* docet, constare Canonem ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac SS. Pontificum Institutionibus. Quæ in speciem cum Gregorio pugnantia hac ratione possumus conciliare, ut dicatur, quod Vigilius, & Tridentini PP. de substantia Canonis loquuntur, quam ab Apost. traditione descendere, libentissimè confitemur; Gregorius autem loquitur de verbis, sive stylo, quo Canon exaratus est: & sanè verba, & stylum ipsum ab Apostolis emanasse, parum habet probabilitatis; neque enim tam eleganter scribebant Apostoli. Observandum nihilominus est cum Bona, Petro Le Brun, Grancolas, Bellotte, aliisque Scriptoribus, neminem ex Pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam Canoni vel addidisse, vel immutasse. Hoc unum reperitur apud Anastasium, quod Gregorius III. saviente adversus Imagines, & Sanctorum Reliquias Leone Isauo Imperatore, Oratorium ædificavit in honorem omnium Sanctorum; & à Sacerdotibus in ipso Missas agentibus, hanc clausulam post illa Canonis verba, & omnium Sanctorum suorum, dici instituit: *Quorum Sollemnitatis hodie in conspectu tuae Majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto Orbe terrarum:* quod tantum pro illo Oratorio institutum fuit; atque idèd, notante Walafrido Strabone *cap. 22.* non est Canoni,

U

ni,



ni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Porro observandum hic, Canonem variis nominibus insignitum fuisse: Gregorius laudata epistola, *Preces* appellat, Vigilius *Textum Canonicae precis*, Concilium Eboracense tempore Celestini III. *Missa Secretum* nuncupat, Cyprianus *Orationem*, alii *Altionem* dicunt, ut Walafridus, quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur, qua de causa in ipso Canone, in Oratione, quae incipit *Communicantes*, titulus apponatur *infra Altionem* melius teste Bona *loc. cit.* legendum est *intra Altionem*, quemadmodum in MSS. Codicibus reperitur) quia nimirum actio Sacrificii ibi proprie continetur. De singulis partibus Canonis aliqua etiam spatium in 2. part. tit. 8. & seqq. adjiciemus.

Supereft nunc, ut recenseamus breviter Auctores, qui de praefato Canone Missae eru-

ditè disseruerunt. Hi autem sunt Stephanus Durandi *lib. 2. cap. 32. & seqq.* Edmundus Martene *de antiq. Eccles. Ritibus lib. 1. art. 8.* Hugo Menardus *in suis notis, & observat. ad Sacrament. Gregorian. pag. 12.* Carolus Bona *lib. 2. cap. 11.* Antonius Bellotte *in suis observ. à pag. 529. usque ad pag. 563.* Grancolas *de antiq. Liturg. pag. 603.* Petrus Le Brun *tom. 1. p. 399.* Gabriel Biel *in Sacri Canonis Missae lucidissima expositione.* Franciscus Vander Veken *de Societate Jesu de Canone Sacrificii Missae.* Franciscus Pagninus *in Vita Gelasii PP. n. 15.* Oliverius Bonaventura *de Sacrosanct. Sacrif. Missae lib. 2. cap. 20. & seqq.* Anonymus *in tract. de Missa Parochiali Galliae conscripto 3. part. cap. 1. & seqq.* Natalis Alexander *tom. 1. Theologiae Dogmaticae, & Moralit. lib. 2. art. 6. n. 11. & seqq.*

### Novae Observationes, & Additiones ad Gavanti

Tit. XIII. De Communione, Orationibus post Communionem, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, de Benedictione & Evangelio S. Joannis.

I. Rub. n. 1. pag. 35. & Gavanti. pag. 36. col. 1. lit. l. *Ite Missa est &c.*) Post completas Orationes Communioni subungi solitas, & post ultimam Populi salutationem, in Privata Missa Sacerdos, & in Sollemni Diaconus denunciat completum esse Sacrificium, dicens: *Ite Missa est.* Utebantur his, vel æquivalentibus vocibus veteres Christiani post lectionem Evangelii, & exhortationem, ut dimitterent Catechumenos ab Ecclesia; ut diximus in nostris Observationibus Preliminaribus n. 10. & vocabatur hæc prior Sacrificii pars, ut aliàs diximus, Missa Catechumenorum: quia eâ parte peractâ, mittebantur altâ hæc Diaconi voce, *foras.* Expletâ verò postea reliquâ Sacrificii parte, post Communionem dimittebantur etiam Fideles Christiani iisdem fermè verbis, Diacono dicente: *Ite Missa est.* Ab hujus vocis emis-

sione loco supra allegato cum nonnullis clarissimis Auctoribus, arbitrati sumus, Eucharisticum Sacrificium Missam appellatum fuisse. Neque ante impertitam prædictam facultatem, discedere olim per Sacros Canones licuit; ut patet ex Concilio Agathensi *cap. 47.* & Aurelianensi *cap. 28.* allegatis in *cap. Omnes Fideles de Consecr. dist. 1.* quòd facit illud Chrysostomi hom. de Eucharistia non condemn. -- *Ingressus es in Ecclesiam homo, ne exeat nisi dimittaris.*

II. Gavanti. pag. 36. col. 1. ead. lit. l. *De Leone institutum fuisse scribit Radulphus, &c.* De prædictâ Sacrificii conclusione loquitur Florus in expositione Missae, Amalacius de Ecclesiasticis Officiis *lib. 3. cap. 6.* Durandus in *Rationali Divin. Offic. lib. 4. cap. 37.* Demochares *de obser. Missae cap. 150.* & alii quos plures; quam à Leone institutam fuisse.



perperam, ut notat hic Gavantus, asserit Radulphus de obser. Can. prop. 23. cum & in Liturgia, quæ Divi Petri nomine decoratur, nec non in aliis Liturgiis Orientalibus, consimiles sæpius legantur adstantium Populorum dimissiones, quas adduximus in loco supra citato n. 10.

Cæterum per prædicta verba *Ite missa est* fiebat à missio Populi in diebus festivis, quando Populus Sacrificio interesse supponebatur. In ferialibus autem mittebatur talis dimissio, quia tunc soli Ecclesiastici reperiri solebant; quibus non fiebat missa, seu dimissio, cum ad Divina Officia per solvenda remanere deberent in Ecclesia: hinc in prima noctis Nativitatis Dominicæ Missa, *Ite missa est*, non dicebatur; quia Populus, qui ad Laudes audiendas remanere debebat, non dimittebatur ab Ecclesia; ut colligitur ex Beletet cap. 49. *Rationalis Divin. Offic.* qui Auctor floruit circa Annum 1153. & ex Micrologo cap. 34. qui ante ipsum floruit; & addit rationem, cur in Adventu Domini, Septuagesima, aliisque diebus pœnitentiæ dicatis, locum non habeat prædictus dimissionis usus; quamvis eodem tempore frequens sit Populi conventus à Sacris Mysteriis utique dimitendus; censetque ob temporis tristitiam, sequi talem recitentiam. Bellarminus verò lib. 2. de Missa cap. 27. ait: videtur nescio quid lugubre præferre, quod non publica denunciatur dimissio, sed unusquisque per se discedit. Cæterum Card. Bona lib. 2. cap. 20. n. 2. absolute censet, tunc potius dimissionem olim omittam fuisse, quando Fideles omnes, Missarum Sollemniis peractis, non statim abibant; sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis Canonicis precibus, & statione soluta, abire fas erat: deinde morem hunc extensum esse ad Missas minus Sollemnes, & quotidianas.

III Rubric. n. I pag. 36. & Gavant. ibid. col. 2. lit. m. *Quoties ungue dictum est Gloria, &c.* juxta Ritus recentiores tamen, non uno sem-

per, ac eodem Ritu concluditur Missa celebratio. In Festis quidem, & Sollemnitatibus, quotiescumque ad Matutinum Hymnus *Te Deum* decantatur, & ad Missam *Gloria in excelsis Deo*, eadem, quæ supra dictum est, conclusione, nimirum per verba *Ite missa est*, terminatur Missa: in aliis verò diebus, quibus in Missa non dicitur præfatus Hymnus *Gloria in excelsis*, clauditur Sacrificium per verba *Benedicamus Domino*; quibus invitatur Populus ad gratias Deo referendas pro completo Missæ Sacrificio. De hoc recenti modo concludendi Missæ Sacrificium, sermonem facit etiam Micrologus cap. 46. quem refert Petrus Le Brun tom. 1. pag. 663. qui fuliori calamo diserit etiam sequentibus paginis de prædicto Ritu dimittendi populum per verba *Ite missa est*.

IV. Rubric. n. 2. p. 36. & Gavant. pag. 37. col. 1. lit. p. *Placeat &c.* Dimissio populi, seu prolatis illis verbis *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, Sacerdos in medio Altaris recitat submissa voce Orationem, quæ incipit: *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* quam Card. Bona lib. 2. cap. 20. n. 3. se legisse asseverat in omnibus fere Missalibus antiquis, etiam ante Annum millesimum exaratis: reperitur etiam talis Oratio in Missa Illyrici, & in aliis apud Menardum.

Adnotat pariter Petrus Le Brun tom. 1. suarum explicat. pag. 670. hanc Orationem reperiri in pluribus antiquis Sacramentariis scriptis ante finem Seculi IX. De hac mentionem faciunt Micrologus cap. 22. Radulphus Tungrensis, Alexander de Ales, & alii; qui fatentur, statim ac composita fuit hæc Oratio, non in ipso Missæ Sacrificio, sed post ipsum omnino completum, à Sacerdote privatim recitatam fuisse; quia autem est antiquior Benedictione, quæ datur nunc à Sacerdote, instituta fuit recitari ante dictam Benedictionem in Missali Romano; ut fatetur etiam Bellotte in suis observat. ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 677. ubi



etiam explicat ex Biel sensum verborum, quæ in tali Oratione recitantur. Caterùm in aliquibus antiquis Missalibus, Benedictio præcedit hæc Orationem: ita in Missali Romano Venetiis impresso Anno 1493. in altero Missali Anni 1500. Romæ edito, in Missali Rhemenfis Ecclesiæ Anno 1553. & in pluribus aliis.

V. Rubr. n. 2. pag. 35. & Gavant pag. 37. col. 1. lit. q. *Benedictio, &c.* Recitata præfata Oratione, sequitur juxta recentiore Ritus Benedictio, quæ à Sacerdote Populo datur, quam olim ante Communionem Episcopus largiri solebat; ut notat Card. Bona *loc. supracit. n. 4.* Ritus benedicendi Populum præfato modo, & in dicta circumstantia, est additio Missæ facta post Seculum X. ut advertit Petrus Le Brun *libro supracit. pag. 674 & seqq.* ubi ait, quod aliquæ Ecclesiæ Cathedrales in Gallia, quæ adhuc antiquam disciplinam observant, sic ut etiam PP. Carthusiani, hujusmodi Benedictio Ritus, nondum ad praxim deduxerunt. In Ecclesia tamen Orientali statim post prima Secula viguit usus impertiendi Benedictio Populo, & in Liturgia Clementina, quæ reperitur in *Constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 25.* longa legitur Benedictio, quæ dabatur immediate post Populi dimissionem. Reperitur pariter similis Benedictio in Liturgiis S. Chrysostomi; ut legitur in *Euch. Græc. pag. 87.* & in Liturgia S. Basilii; ut habetur pariter in *dicto Euch. pag. 175.* & ibi mentio fit, quod dabatur talis Benedictio post Populi dimissionem. Etiam S. Isidorus Hispalensis Antistes, qui floruit circa Annum 600. in *lib. 1. cap. 17. de Divinis Officiis*, sermonem habet de Benedictio danda à Celebrante, sed non explicando, in qua Missæ parte hæc impertiebatur: Concilium tamen Toletanum IV. celebratum Anno 633. declarat, talem Benedictio dandam esse inter Orationem Dominicam, & Communionem.

Refert etiam prædictus Le Brun pag. 677. reperiri nonnulla antiqua Sacramentaria, in quibus legitur Benedictio Episcopalis, quæ dabatur Populo ante *Agnus Dei*, nimirum ante Communionem; ut nos quoque, cum Card. ali Bona mox adnotavimus: præfata Benedictio legitur in Sacramentario quod asservatur in Ecclesia Meldensi, & quod exaratum censetur tempore Drogonis dictæ Cathedralis Antistitis: & Caroli Magni filii naturalis, in Sacramentariis Gregoriano, Gelasiano, & Leonino, non habentur nisi Orationes, quæ appellantur Benedictiones, hæc per Populum post Communionem: & hæc est, quod Auctores Liturgici, qui Seculo XI. floruerunt, nimirum Amalarius, Florus, Urbanus Maurus, Walafridus, Remigius Anstodorenfis, qui Ordines Romanos explanarunt, nullam mentionem fecerunt de hujusmodi Benedictio Episcopalis; & solum ultimam Orationem, quam Celebrans dicit ante *Ite missa est*, Benedictio appellarunt. In primo Concilio Aurelianensi celebrato Anno 511. legitur *Canon 28.* in quo habetur -- *Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, Populus non ante discedat quam Missa sollemnitas compleatur; & si Episcopus non fuerit, Benedictio accipietur a Sacerdote;* quæ verba repetuntur à Micrologo *cap. 21.* ubi ait, loquendo de Populo Missæ assistente: *Præterquam ab Episcopo benedicatur si adest; sin autem, à Presbytero, qui Missas celebravit;* nihilominus, non fuit communiter acceptus iste Ritus benedicendi Populum: nam Ordo Cisterciensis, & Ordo Præmonstratensis, instituti Anno trigesimo circiter post Micrologum, nihil adnotarunt in suis Ordinariis de Benedictio impertienda in fine Missæ; & in antiquo Ordinario PP. Prædicatorum *lib. 2.* sic legitur -- *Est consuetudo Patriæ fuerit, & extranei fuerint hoc expectantes, de Benedictio juxta morem Patriæ.* -- Ita refert Marcellus de Caveleriis in *sua Statuta Sacra tit. 29. num. 50.* in Missali verò PP. Carmelitarum impresso



An. 1514. idem advertitur; sicut in eorum Ordinario exarato 1279. hoc adnotatur: unde evincitur, Rictum talis Benedictionis seculum introductum fuisse. Durandus enim refert ad Ann. 1286. PP. Carthusienses in suis nuperimis Constitutibus stat. 3. capit. 1. n. 58. ita statuerunt -- *Sacerdotes nostri Ordinis dum celebrant in Ecclesiis, qua non sunt de ordine nostro, conforment se cum aliis Sa. erdotibus . . . . in benedicendo Populis post Missam.*

In pluribus antiquis Missal. Eccles. Germaniae, legebatur hic modus benedicendi -- *Adjutorium nostrum. &c. Sit nomen Domini. &c. Oramus. Caeseli benedictione benedicat nos. & vos Deitina Majestas. & una Deitas, Pater, & Filius, & Spiritus & Sanctus. Amen.* Idem ferme modus benedicendi legitur in pluribus antiquis Missalibus Gallicis; ut refert Le Bruu loc. cit. pag. 68 I. apud quem legi pariter possunt varii modi benedicendi Populum in fine Missae.

Incongruum hoc loco non erit observare, quod olim Presbyteri etiam ter Populo benedicebant; cui rei testem amplissimum datus Burchardum Magistrum Ceremoniarum Cappellae Pontificiae, qui haec habet -- Deinde extensis manibus hinc, & inde super Altare, ipsum Altare osculatur, erigit se, & adhuc transversus ad illud, voce intelligibili, elevans oculos ad Deum; ac manus extendens, elevans, & jungens, dicit: *Benedicat vobis omnipotens Deus:* junctis sic manibus ante pectus, ac demissis ad terram oculis, vertit se ad manum sinistram, hoc est ad latus suum dextrum, & per gyrum, tertium Populo benedicit. Primò versus cornu Epistolae, ubi manu dextra signum Crucis producit super Populum, voce intelligibili dicens: *Pater;* tum in medio simili voce dicens: *& Filius;* deinde versus cornu Evangelii dicens: *& Spiritus & Sanctus & Amen.* Hic Ritus usque ad Pium V. perdurasse videtur, qui facultatem Presbyteris abrogavit ter Populo benedicendi in Missis Privatis; quamquam

concesserit, ut in Missa Sollemni priorem consuetudinem observarent: nam inter Rubricas Missalis Romani, Anni 1587. hanc lego -- In Missa Sollemni omnia facit, ut supra, hoc excepto, quod ter Populo benedicit; primò à cornu Epistolae, dicens, *Pater;* secundò ad medium Altaris, dicens, *& Filius;* tertid à cornu Evangelii, dicens, *& Spiritus Sanctus.* Tandem trina haec Presbyterorum Benedictio prohibita est in Missali Romano Clementis VIII. auctoritate recognita; in quo disertè praescribitur, ut Presbyteri etiam in Missa Sollemni unam tantum Benedictionem impertiantur.

VI Rubric. n. 2. pag. 36. & Gavant, pag. 37. col. 1. lit. r. *Evangelium S. Johannis, &c.* Postquam Sacerdos Benedictionem Populo impertitus est, legit initium Evangelii S. Johannis, ut in Ordine Missae; nisi aliud Evangelium vel Vigiliae, vel Dominicae sit legendum, juxta dispositionem Rubricarum Missalis. S. Pius V. in sua reformati Missalis Romani editione, dictum S. Johannis Evangelium regulariter legendum esse praescripsit ad jugem recordationem Incarnationis Verbi Divini; de quo fusum Suarez disp. 83. sect. 1. Antea verò sine certa lege ex sola consuetudine à quibusdam dici, ab aliis verò omitti pro cujuscumque arbitrio solebat; ut Paris Crassus in Ceremoniali Summi Pontificis inedito, cap. 65. testatur, referente Cardinali Bonalib. 2. cap. 20. n. 5.

Et reverà reperitur tale Evangelium in Sacerdotali veteri Leonis X. tanquam in fine Missae dicendum; sed adhuc non ex praeccepto, ut communiter censetur. Missale MS. Bibliothecae Palatinae n. 501. & aliud Vaticanum num. 1807. necnon Missale Rheimensis Ecclesiae Anni 1553. sicut & illud Noviomensis Ecclesiae An. 1541. hoc ipsum Evangelium dicendum esse statuunt, dum Sacerdos Sacris vestibus exiit. Sarisburiense verò Missale, sicut & aliud ad usum Hospitalis Anglorum Rothomagi, editum Anno



1511, decerpunt, ut Sacerdos in redeundo ab Altari recitet prædictum Evangelium S. Johannis. E contra in Rituall Cassinensium, in consuetudinibus Monachorum Germaniæ, aut Cluniacensium, in libro usum Cisterciensium, & in Ordinario Carthusiensium, nulla penitus fit mentio ejusdem Evangelii; ut tradit Martene de antiquis Monachorum Ritibus lib. 2. c. 4. num. 19. ubi addit, quod prima Ritus istius mentio occurrit sibi in Ordinario Bursfeldensium; in quo præscribitur, quod Sacerdos, Benedictione completa, incurvatus ante Altare dicat hanc Orationem: *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* deinde erigendo se dicat: *Dominus vobiscum, & Initium Sancti Evangelii secundum Johannem.*

Ceterum adeò verum est, recentem hujus Evangelii præscriptionem in fine Missæ; ut PP. Societatis Jesu promiscue legent vel Evangelium S. Johannis, vel de B. V. *Loquente Jesu ad Turbas, &c.* eorum Constitutiones; & adhuc quædam Galliarum Ecclesiæ veterem Ritum observant, non legendo in fine Missæ memorem Johannis Evangelium; ut notat Du Ron in suo itinere Liturgico. Denique sollempniter celebrat in Pontificio Sacramentum ejusdem Evangelii recitationem etiam in fine Missæ omittit. Videri possunt hanc rem Bellotte pag. 679. Le Brun 1. pag. 687. Bona, Martene in locis citatis & alii.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XIV. De ordinanda Missa ex supradictis Rubricis.

I. Rubr. pag. 37. *Si proprium non habeat, recurat ad Commune Sanctorum &c.* Hic observare lubet cum Gerlaco Vinore super hoc titulo, quod Missæ, quæ in Romano Missali non habentur, aut à Sede Apostolica nondum sunt approbatæ, licite celebrari non possunt: similiter Missæ certis Regularibus tantum concessæ, non possunt ab aliis dici, nec etiam in ipsorummet Regularium Ecclesiis. Item neque à Cappellanis Secularibus, propriis in Ecclesiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario: quo casu Cappellani Missam quidem recitabunt de Sancto, de quo Moniales recitant Officium; sed cum Missali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. Quod si nulla sit Missa in Missali Romano, quæ concordet cum Officio Monialium, puta de Spina, & Corona; tunc dicti Cappellani dicere possunt Missam de Cruce, vel de Passione. Hæc omnia, & alia confirmata remanent per subsequentiâ Decreta S. R. C.

Cappellani Seculares propriis in Ecclesiis

Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere possunt Missam de Sancto, de quo Moniales Officium; sed cum Missali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. S. R. C. 20. Novemb. 1628. & in nostro Indice sub n. 238.

Exteri celebrantes in Ecclesiis Regularium, servatis servandis, possunt in Missa se uniformare cum fratribus, quoad quoad numerum Orationum more Deprecationum. S. R. C. 11. Junii 1701. & in nostro Indice sub n. 559.

Facultas celebrandi cum Missali Romano pro Cappellanis Monialium, intelligitur de pro omnibus, & singulis, qui ex debentur celebrare in Ecclesiis ipsarum Monialium, dummodò celebrent cum Missali Romano. S. R. C. 11. Februarii 1702. in nostro Indice sub n. 561.

Prohibitio facta in declaratione (de Anno 1668. 9. Junii) Sacerdotibus Secularibus, etiam Cappellanis, ne celebrent Missam de Requiem in Ecclesiis Regularium



in quibus recitatum sit Officium Duplex de non præcepto, vel de aliquo ancto eorundem sui Ordinis, intelligi etiam debet pro Ecclesiis Monialium. S. C. R. 11. Februarii 1702. & in nostro Indice sub n. 562.

Licet in postertum tum Confessario, tum Cappellanis, quarumcunque Monialium serviti addictis, Missas SS. de quibus ipse recitant Officium, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Comuni; non verò Missas proprias eorundem S. variis Ordinibus à S. C. concessas. S. R. C. 20. Novemb. 1717. & in nostro Indice sub num. 634. Vide etiam Decret. dat. sub n. 57. & 149.

A prædictis regulis excipienda est Missa propria de S. Theresia Virginæ; quæ potest dici ab omnibus Sacerdotibus Secularibus, & Regularibus, confluentibus in Ecclesiis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ubicunque existentis; ut liquet ex Decreto S. C. edito die 27. Julii 1720. & dato in nostro Indice sub n. 636. Quinimò idem privilegium concessit Benedictus XIII. die 6. Januarii 1726. in Decreto, quod incipit *Santissimus &c.* Romæ impresso, etiam Sacerdotibus quibuscunque confluentibus ad Ecclesiis Ordinis Carmelitarum antiquæ observantiæ, nimirum de ibi dicenda Missa propria S. Theresiæ.

Rursus excipienda pariter est Missa propria S. Benedicti, juxta Decretum diei 10. Februarii 1727. & datum in nostro Indice sub n. 651. in quo liquet Benedictam Papam XIII. indulgisse, ut in Festo S. Benedicti Missa ipsius propria in Ecclesiis tam Monachorum, quam Monialium præfati Ordinis ubicunque existentibus, ab omnibus etiam Sacerdotibus Secularibus, & Regularibus ad eas confluentibus, cum Missali Monastico in posterum celebrari possit, & debeat.

Notandum hoc loco occurrit, quod noster Pasqualigus de Sacrif. novæ Legis tom. 1. tract. 1. quæst. 279. n. 3. probat; quòd si concessio Missæ sit facta etiam pro confluentibus, possunt confluentes celebrare etiam per Octavam, si sit concessa; quia tota Octava vocatur dies Festus, dies Natalitius.

Denique excipitur etiam à prædictis regulis Missa de Corona Spinea, Feria 6. ante Dominicam Passionis similiter concessa in Ecclesia Canonissarum Regularium Lateranensium Terræ Vitulani Diocesis Balneoregen. ex Decreto particulari S. R. C. die 3. Martii 1731. & si quæ sunt aliæ hujusmodi concessiones, pariter excipiendæ sunt à prædictis regulis.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XV. De Hora celebrandi Missam.

I. Gavanti pag. 38 col. 1. lit. y *Ubi contineat horam cum dimidia ante ortum Solis, ex causa, &c.* Hanc sententiam tenet etiam Bissus *lit. M. numero 202. §. 2.* nimirum, quòd possit celebrari Missa una hora cum dimidia ante Solis ortum; imò Layman, Dicaillus, De Lugo, Tamburinus, & alii, quos suppresso nomine citat; & sequitur Tonellius in Sac. Enchiridio *lib. 5. cap. 12. §. 1. n. 8. & 9.* tenent, posse celebrari Missam etiam duabus horis

ante Solis ortum, imò in casu necessitatis, nempe dandi Viaticum moribundo, si non adesset Particula consecrata, Diana, Gobat, relati à Bisso *loc. cit.* & à Turino *part. 2. sect. 5. cap. 2.* asserunt, posse celebrari Missam statim post mediam noctem, etiam absque licentia Episcopi, attenda urgentia Divini præcepti de communicando infirmo: sed Castropalaus hanc sententiam non approbat.

II. Ubi verò non est aurora physice, atten-



di ea debet moraliter; & hæc sententia approbatur etiam à Sacra Rituum Congregatione per subsequens Decretum.

Ubi non est Aurora physice prolucida Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politicè; quando ibi terminari solet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum consuetudinem S. R. C. 18. Septembris 1634. & in nostro Indice sub n. 276.

Quoniam autem hic est sermo de hora celebrandi Missam, hic libet subnectere etiam duo alia Decreta S. R. C. ad presentem materiam spectantia, nimirum:

Non potest prohiberi celebratio Missæ in Oratorio ruri ædificato per laicum, antequam celebretur Missa Parochialis. 31. Maji 1629. & in nostro Indice sub n. 242.

Missæ celebratio in Ecclesia, seu Oratorio, sitis in territorio, & extra mœnia alicujus Oppidi, & prope viam Romanam, non potest prohiberi, antequam celebretur in Ecclesia Parochiali, & Matrice; non obstante Decreto Episcopi in Synodo Diocesana edito, celebrationem hujusmodi prohibente. S. R. C. 30. Augusti 1664. & in nostro Indice sub num. 420.

III. Rubr. n. 1. pag. 38. *Usque ad meridiem, &c.*) Ex prædictis Rubricæ verbis, deducitur, non licere post meridiem celebrari Missam, neque Privatam, neque Sollemnem: nihilominus est certum apud omnes, posse Missam inchoari in meridie, ita ut terminet post meridiem: imò in magnæ alicujus Festivitatæ die ob concursum

Populi, & ratione Sollemnitatis, non debent Auctores, qui asserant, posse celebrari Missam una hora post meridiem, post Conventum, & Missam Sollemnem. Ita Tonellus supra loc. cit. & alii apud eundem; quoniam tamen sententiam Bissus loc. cit. approbat non audet, nisi in casu, quo debeat d. Viaticum infirmo.

IV Gavanti, pag. 39. col. 2. lit. a. *Ubi dicitur Alcozer in suo Ceremoniali, &c.*) In loco observare lubet cum Turrino part. 1. cap. 5. cap. 2. quòd si cantandæ sint plures Missæ occursum Feriæ majoris, v. g. cum Festo sancti, cantetur Missa de Feriâ post Nonam, Sancto post Tertiam, non approbando aliquarum Ecclesiarum, quæ cantant Missam de Sancto post Nonam, & feriale Missam diei; Ratio hujus assertionis est quia tit. 3. primæ partis Rubricæ Generalis n. 1. pag. 4. expressè præscribit, Missam de Sancto cantari post Tertiam; de Feriâ post Nonam. Ex hac item regula, si occurrat cum Vigilia Ascensionis Festum aliquod, quo casu cantandæ sint tres Missæ, de Sancto scilicet, de Vigilia, & de Rogationibus; Missa tamen Vigiliæ cantatur post Sextam, ac si esset per Annum: quia quamvis sit Vigilia, tamen jejunatur; & Missæ solius Vigiliæ jejunium, assignatum est in Rubrica n. 2. p. 39. tempus post Nonam; de qua tra Alcozer docet noster Gavantus part. 1. tit. 5. n. 9. Missa verò de Rogationibus dicitur post Nonam; ut citata Rubrica tit. 3. num. 1.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Tit. XVI. De his, quæ clara voce, aut secreto dicenda sunt in Missa.

Rubr. n. 1. pag. 40. *In Missa Privata clara voce dicuntur, &c.*) Quoniam pia Mater Ecclesia, inter alios hujus Sacrosancti Sacrificii Ritus, quibus Celebrans uti debet in legenda Missa, plura diversimodè instituit, nimirum, clara; alia, convenienti, intelligibili; mediocri, submissa, vel aliquantulum elevata

voce, & secreto esse proferenda; ne quis Sacrosanctos pro arbitrio & voluntate sua quævis pronunciare præsumat: ideoque quisquis Celebrans diligenter attendat, quænam sit differentia inter ea, quæ clara, vel alta voce dicenda sunt: pro quo notandum est, hæc esse clara, convenienti, & intelligibili



videlicet tali voce, ut commodè à circumstantibus audiri possit. *Alta voce* utitur Ceremon. Episc. pro iis quæ in Officio, vel Missa cantantur; *Mediocri* verò, *submissâ*, & aliquantulum elevatâ pro aliis, quæ non tacite, nec profusè altè, sed taliter dicuntur, ut à Ministris, & aliquibus tantùm circumstantibus percipi possint, cum aliqua tamen differentia: quod verò secretò dicendum est, ita à Sacerdote intra se distinctè, ac labiorum motu proferatur, ut tamen non à circumstantibus audiatur.

II. Gavant. pag. 41. col. 2. lit. g *Canon non potest sine culpa gravi altè totus legi.* Canonem secretò esse legendum, communis sententia est, & à Rubricis præscriptum; verùm magna agitur controversia inter aliquos recentes Rubricarum explanatores: utrum semper Canon secretò recitatus fuerit à Celebrante. Card. Bona *lib. 2. rerum Liturg. cap. 13. §. 1.* existimare videtur, Missæ Canonem altâ voce usque ad decimum Ecclesiæ Seculum fuisse recitatum. Bonæ sententiam acriter tueri conatus est de Vert.

Non omnibus tamen eorum argumenta placere: etenim Anno 1710. Vallemontius Thesaurarii Cluniacensis assertum erudito opere confutavit; cui titulus est -- *Du secret des Mysteres ou l' Apologie de la Rubrique des Missels Dissertation Theologique, & historique.* -- Vallemontii dissertationem impugnavit anonymus Auctor in tractatu Bruxellis edito Anno 1717. sub titulo: *Apologie de M. de Vert, ou remarques critiques sur le livre de M. Vallemont du secret des Mysteres.* Vallemontium defendit Petrus Le Brun *dissert. 15. tom. 4.* Non est Virium nostrarum tantas componere lites. Illud certò statuere possumus, Ritus hunc à Rubrica præscriptum longè ante Seculum X. in Ecclesia viguisse: etenim in Ordine Romano à Martene edito *tom. 4.* Thesaur. Anec. ille Ritus describitur præscribitur: Ordo autem ille spectat ad Seculum VII. Non desunt alia argumenta, quibus eadem veritas confirmetur, sed placuit hoc unum testimonium adducere ab illis Auctoribus prætermisum. Legant citata opera, qui majorem hujus controversiæ notitiam exoptant.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XVII. De Ordine genuflectendi, sedendi & standi in Missa privata & sollemni.

I. Hic nihil est addendum: quia omnia, quæ spectant ad ordinem genuflectendi in Missis Privatis, & Sollemnibus, dicemus suo loco in Observationibus ad Commentaria secundæ partis hujus Thesauri. Sic etiam videantur omnia ea, quæ à nobis adduntur, quoad ordinem sedendi, præsertim in Missa Sollemni: exhibebimus enim pariter ibi Decreta S. R. C. spectantia ad hunc Ritus, nempe in Observationibus ad Rubr. Tit. 5. n. 2. 2. *part. huj. Thesauri.*

Videatur etiam *Cerem. Episc. lib. 1. cap. 18. num. 4.* ubi ait -- Si quispiam Canonicus veniat inchoato jam Officio, vel Missa abs-  
GAVANT. Rubr. Miss.

que eo, ut aliquos saluter, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit in medio versus Altare, aliquantulum orans: mox surgit, & facit profundam reverentiam Altari, & Episcopo si adest; deinde salutat Canonicos, & alios de Choro circumstantes, tunc, & non prius ei assurgentes, & eum resalutantes, & vadit ad locum suum. Et si fortè tunc esset principium Horarum, & diceretur in Choro *Deus in adjutorium, &c.* vel *Gloria Patri, &c.* aut Hymnus; vel in Missa Oratio, aut Epistola, aut Evangelium; vel denique aliud fiat, ad quod Chorus, vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram; expectabit respectivè stans vel inclinatus, vel separatim genuflectit.

X



nuffexus in medio Chori, prout ipse Chorus, donec ea perficiantur; mox factis re-

verentiis, & salutationibus, ut supra, ibi ad locum suum.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XVIII, De Coloribus Paramentorum.

I. Gavant pag. 49. col. 1. lit. o *Dominica Lata*. *re &c.* In Dominica tertia Adventus, & quarta Quadragesimæ, quam Gavantus hic appellat Dominicam *Latare*, debemus adhibere paramenta sollempniora tam pro Celebrante, quam pro Altari, sed coloris violacei, in defectu rosacei. Ceremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 13. §. 11. Gerlacus Vinitor supra § 7. Quinam autem colores adhibendi sint in Missa pro gratiarum actione, & in Missa pro impetranda gratia bene moriendi, nec non in aliis Missis Votivis, satis diximus in § 6. talium Missarum Votivarum. Agitant questionem Rubricista: num in vestibus Sacerdotalibus & Altaris omnes simul quatuor colores, nimirum, *albus, rubeus, viridis, & violaceus, seu niger*, adhiberi possint? & an liceat Sacerdotibus uti una planeta indifferenter pro unaquaque Missa cujuscunque generis?

Primam questionem resolvit Turrinus *part. 1. sect. 4. cap. 4. pag. 157.* dicendo, vestem in se habentem quatuor colores, æquæ apparentes, quamvis de singulis coloribus participet, in neutro illorum, determinationem peculiarem sumere posse; & proinde neque esse albam, neque rubeam &c. & consequenter, ea neque tanquam alba, neque ceu rubea uti posse, extra casum necessitatis. Si tamen unus ex dictis coloribus v. g. albus, cæteris prævaleat; tunc dicta planeta erit reputanda alba, & tanquam tali uti possumus. Diximus, extra casum necessitatis non debere adhiberi dictas planetas mixti coloris (quamvis hic sit usus communis multarum Ecclesiarum) nam in casu necessitatis non improbamus talem usum: quia sicut in hoc casu possumus uti veste alba pro nigra, cum Rubrica de co-

loribus paramentorum non sit tam rigentia; ita multo magis possumus uti planetam mixti coloris.

Secundum dubium resolvit idem Turrinus, dicendo, hoc esse contra mentem Institutoris Rubricarum; qui ideò colores distinguit, ut altera planeta adhiberetur altera excluderetur; & habent in se uniusquisque Mysteria propria; ut Gavantus Durandus, & alii Auctores supra.

Præterea noster P. Quarti *part. 1. tit. 11. Rubr. 2.* querit: utrum color auri in vestibus Sacris æquivaleret cæteris coloribus, saltem rubeo, & albo? & huic questioni firmativè respondet, quia aurum, lucidum habet, per quem albo assimilatur; & igneam per quem rubeo; & concludit, exceptis violaceo, & nigro, cæteris coloribus aureo æquivalere; eoque pro rubeo, albo, & viridi nos uti posse, etiam in communi utriusque etiam affirmat Gerlacus Vinitor *loc. cit.* Turrinus tamen supra cit. quamvis fatetur vestes aureas festivas esse; adhiberi tamen posse de rigore pro vestibus omnium colorum minimè assentitur: quia color aureus nec albus, nec rubeus est; sed color flavus, qui approximatur viridi: ergo sicuti albo pro viridi, aut rubeo uti non licet, extra necessitatem; sic neque planeta aurea pro alba, & rubeo, sed pro viridi tantum, cuius coloris approximatur, ut dictum est, adhiberi potest. Ita Turrinus supra; sed nobis supra citata Quarti sententia magis arridet.

II. Gavant. p. 49. col. 1. lit. r *Afflictioni delicti est color violaceus, &c.* Ex quo, ut optime dicit Gavantus, color violaceus debitus est afflictioni; hinc fit, non posse uti colore cæruleo, hoc



violacei, tam in paramentis Sacerdotalibus, quam in paramentis Altarium. Ita Gerlacus Vinitor supra §. 9. Quoniam verò de colore cœruleo hic sermonem habemus, non abs re erit observare, quòd nonnulli putarunt cœruleum colorem antiquissimum fuisse, quia cœrulei coloris erant vestes Redemptoris; vel ut Nonnus super Textum Divi Johannis cap. 19. refert, erant vinacei coloris, inter rubeum scilicet & violaceum: hinc ob reverentialem consimilitudinem vestium Domini nostri Jesu Christi in primitiva Ecclesia omnes Clericos vestibus coloris violacei usos fuisse, Card. Baronius sibi persuasit ad Annum 393. Verùm postquam Monachi ad Ordines, & ad Sacerdotium promoveri cœperunt, color niger successit, sic eorum modestiâ, & Mundi contemptu dictante; ut ait Divus Hieronymus in *epist. 22. & in epitaph. S. Marcellæ*. Retentus fuit autem color violaceus in vestibus Episcoporum; necnon familiarium Summi Pontificis, Caudatariorum S. R. E. Cardinalium, Ceremoniariorum Ecclesiarum Cathedralium, Episcopo sollempniter celebrante, & Clericorum in Seminariis Episcopalibus degentium; ne omnino usus pervetus aboleretur; ut novissimè observavit Clericus de *Sacrificio Missæ decis. 22*. Nollem quidem à Sapientissimi Baronii sententia recedere; tamen pro antiquitate cœrulei, vel violacei, coloris firmum argumentum afferri potest: imò primis Ecclesie Seculis indistinctum fuisse Clericorum habitum, probabilissimum est; subsequentibus temporibus colore albo potius uti cœperunt; ut eruditissimè ostendit Cæsar Benvenuti Canonorum Regularium Lateranensium Abbas in suo opere Italicè inscripto -- *Discorso istorico Cronologico della vita commune de' Chierici de' primi sei Secoli della Chiesa, ricerca 3. cap. 1*. ubi probat suam sententiam præsertim auctoritate S. Cypriani, nec non S. Hieronymi; qui in Epistola ad Nepotianum ex Monacho Clericum factum, ait, quòd non absque amictu lino incidere, sed pretium ve-

stium linearum non habere, laudabile est. Laudatus Auctor placitum suum comprobatur etiam auctoritate Divi Augustini, qui Clero suo non nisi album colorem præscribebat; unde Populum advertit, dicens - *Nemo det tunicam lineam, nisi in communi, qualem decenter ferre possit Presbyter, aut Diaconus - sermone 2. de moribus Clericorum*: quinimò allegatus Benvenuti ibidem ostendere studet, Jesum Christum etiam juxta Abulensis sententiam in Mattheum cap. 28. *quest. 46. n. 21*. indumento albi coloris usum fuisse; sed albedine remissa, non verò fulgenti.

Supereft nunc, ut hic recensamus Auctores, qui eruditè tractant de prædictis Sacris coloribus; & deinde exhibeamus Decreta S. R. C. ad prædictam coloris materiam pertinentia.

Cerebriores igitur Auctores, qui de coloribus disserunt, sunt Innocentius III. de *Mysteriis Missæ lib. 1. cap. 65*. Gulielmus Durandus in *Ration. Divin. Offic. lib. 3. cap. 18. §. 6*. Joseph Vicecomes de *Missæ apparatu lib. 1. cap. 12*. Andreas Du Saussay Episc. Tul. in *sua Panoplia Cleric. part. 2. lib. 4. cap. 6. art. 4. §. 1. & 2*. Johannes Gaspar Krausen, Anno 1707. in dissertatione Vittembergæ impressa; Abbas Dominicus Georgius, in libro cui titulus: *Degli abiti Sacri del Sommo Pontefice, &c.* & Bartholomæus Piazza in suo opere Italicè exarato, & intitulo: *L' Irade Sacra*.

Decreta autem, quæ à Sac. Rit. Congreg. emanarunt, hæc sunt,

In Festo Stigmatum S. Francisci adhibetur color albus. 9. Novembris 1623. & datum in nostro Indice sub n. 193.

Exteri celebrantes Missam in Ecclesiis Regularium, debent adhibere eundem colorem, quo utuntur prædicti Regulares. 11. Junii 1701. & datum in nostro Indice sub n. 557.

Tam Fratres celebrantes in aliqua Eccle-







candidi armelini. Cappa hæc ab habitu Monachalis forma desumpta fuit, quando hi Ecclesiam gubernarunt; & dicitur *cappa choralis* à Mathæo Parisio; igitur *cappa* significat Sacerdotalis dignitatis eminentiam: Rupertus *cap. 1. Apoc.* Caudæ verò longitudo denotat, quòd usque ad diem extremum Judicii sic dignitas Sacerdotalis duratura: defertur tamen hæc cauda sub brachio involuta, & plicata; quia dignitas Ecclesiastica manifestari non debet, nisi urgente necessitate ad Dei honorem, & animarum salutem. Pellicis, quæ in collo ejusdem, & circa pectus sibi sita est, Prælatum meminit peccatorem esse: D. Augustinus contra mendacium *cap. 10.* seu, ut Origeni placet, ob mortis memoriam. Macrius v. *cappa pag. mibi 115. & seqq.* Verùm recentissimè Petrus Moretus in sua erudita discept. epistolari de Rituariandi Chorale indumentum n. 78. usum capparum censet à Canonicis Regularibus seu Clerico Monachis originem trahere; & colligit ex Constitutionibus totius ordinis

Canonicorum Regularium, illos habitum induisse Choralem, & alicubi etiam nunc induere simillimum descripto in Constitutionibus Ecclesiæ Lateranensis, & Vaticanæ: idem etiam colligi asserit ex cæteris Canonicorum Regularium documentis; hæcque habitus similitudinem mirificè comprobant multiplicis speciei imagines Clerico Monachorum, incisæ in Catalogo ordinum Religiosorum, & in libro Eccles. Hierarchiæ, quos Bonanus Soc. Jesu recentè evulgavit.

De manipulo, & reliquis indumentis Sacerdotalibus, mentionem faciemus in Observationibus nostris ad Gavanti Commentaria in 1. titulum 2. partis paulò inferius.

II. Ad finem tituli.) In insignioribus Regularium Ecclesiis Sac. Congregatio concessit usum planetarum plicatarum, teste Alcozer, relato à Gavanti in Indice suorum Decretorum; quod Decretum stat in nostro Indice sub numero 247.

De prædictis planetis plicatis fusè agimus in prima Dominica Adventus.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XX. De Præparatione Altaris & Ornamentorum ejus.

I. Rubr. pag. 56. & Gavanti. ibid. col. 1. lit. m. *Altare.*) Cum nulla unquam fuerit sine Sacrificio Religio, nec ullum sine Altari Sacrificium, necesse est à Religionis nostræ primordiis fuerint Altaria in Ecclesia, cum in ea omnium maximum offeratur Sacrificium: & quamvis Hæretici veritatem Eucharistici Sacrificii negantes, inficiantur Aras etiam antiquitus extitisse; nihilominus tot sunt in Sanctis PP. testimonia in illius rei confirmationem, ut cœcutire omnino videantur, qui contrarium asserere non dubitarunt. Hinc nonnulli ex Hæreticis tot PP. auctoritate convicti, candidè fassi sunt, Ecclesiam primis Sæculis suas Aras habuisse, in quibus Deo Sacrificium offerret. Et qui-

dem nonnulla de Altarium in Christiana Ecclesia, origine, materia, forma, Consecratione, Ritum, &c. eruditè scripta sunt à Gotofredo Voigto in libro postumo, & primum in lucem edito à Johanne Alberto Fabricio, typis Spieringianis, Anno 1709.

Cujus materiæ fuerint Altaria primis Ecclesiæ Sæculis, an ex ligno confecta, vel lapide, adhuc incertum est. Communis fert eruditorum opinio, primis Ecclesiæ temporibus Altaria fuisse lignea. Profectò Christus Dominus in vulgari, ac lignea mensa incruentè se ipsum Patri obtulit in Sacrificium; & Apostolos etiam Christi exemplo in Aris ligneis consecrassè, persuadere videtur, & nascentis Ecclesiæ simplicitas, &







fen alias Auctor libri Pontificalis in Vita Hadriani I qui Seculo octavo vixit, & quæ inserta reperitur in tom. 18. Conciliorum edit. Parisiensis fol. 36 his verbis: *In Basilica Sancta Dei Genitricis, quæ est ad Præsepe, in Altari ipsius Præsepis, fecit laminas ex auro purissimo, historiis depictis, pen'antes simul libras centumquinque, &c.* Simile quid legitur in Vita ejusdem Pontificis prædicto tom. Conciliorum fol. 38. & fol. 39. & tom. 20. fol. 192. de Leone III. Summo Pontifice in eodem libro Pontificali. Ex argento quoque reperit o Altaria constructa; & hoc legitur in Vita Sixti III. Seculo quinto, necnon in Vita Hilarii PP. eodem Seculo.

Quod spectat ad formam Altarium, certum est, lignea Arcæ similitudinem habuisse: hujusmodi enim est illud, quod Romæ cernitur in Æde S. Pudenticæ; sicut & illud, quod S. Silvester in Lateranensi Basilica consecravit. Lapidea, verò cava erant; ut in illis servari possent Reliquiæ sanctorum. Cætera, quæ spectant ad originem, materiam & formam Altarium, legi poterunt apud laudatos Scriptores; sicut & apud Bocquillot in sua Historia de Liturgia Sacra, & Jo. Baptistam Thiers in opere singulari, quod de Altaribus scripsit.

II. Gavant. pag. 56. col. 1. lit. m. *Non potest Episcopus deputare Oratoria in domo privata.* Certissimum est, ut notat Gavantus, non habere Episcopos facultatem deputandi Oratoria, in quibus celebrentur Missæ, in quacunque domo privata: soli enim Summo Pontifici competit hæc auctoritas concedendi licentiam celebrandi in privatis Oratoriis; ut per literas circulares singulis Episcopis significavit Congregatio Concilii jussu Pauli V. apud Clericatum de Sacrificio Missæ dec. 12. sub n. 59. & refert etiam Pasqualigus de Sacrif. novæ Legis tom. 1. quæst. 447. n. 3. Nomine autem Oratorii privati venit illud, quod in particulari domo inservit usui privato, nullamque habet portam in via publica, sive ingressum indifferentem omni-

bus permissum; ad differentiam Oratorii publici, quod debet semper habere ostium in via publica; quæ quidem publica Oratoria solent etiam habere un'cam campanulam. Ita Quarti part. 3. sect. 5. tit. 10. n. 1. dab. 3.

In prædictis autem Oratoriis privatis, quamvis concedatur à Summis Pontificibus licentia Missam celebrandi; nihilominus in suis Diplomatum Apostolicis nonnullæ continentur clausulæ, & exceptiones, quæ perlegi possunt apud Pasqualigum, Tamburinum, La Croix, & alios, exemplaria talium Diplomatum referentes, & explicantes in suis tractatibus de Missæ Sacrificio. Præsertim verò hæc clausulæ leguntur in Brevi Apostolico Innocentii X. ad ejus normam ejusdem successores solent tales facultates elargiri, Inter limitationes autem, & clausulas, expressas in præfatis Diplomatum, habetur, quod in prædictis Oratoriis privatis possit qualibet die unica tantum Missa celebrari; & quod in diebus sollempnioribus Paschatis, Nativitatis Domini, &c. nulla possit dici Missa; ut notat Gavantus, & habetur pariter in Decretis S. R. C. spectantibus ad dicta Oratoria privata, quæ hic exhibentur.

In privatis Oratoriis, & privilegiatis, non potest celebrari Missa in Festis sollempnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Anunciacione B. M. V. Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, S. R. C. 17. Novembris 1607. & in nostro Indice sub num. 74.

Quamvis in hoc Decreto prohibeatur Missa in privatis Oratoriis diebus Paschatis, & Pentecostes; notandum tamen est, quod nomine Paschatis, & Pentecostes venit tantum prima dies; ut tradunt plures Doctores, quos refert, & sequitur Doctissimus noster P. Pasqualigus de Sacrif. novæ Legis tom. 1. quæst. 639. sub n. 2. Præterea adnotandum etiam est circa Festum Anunciacionis B. M. V. quod vigore prædi-

prædi-



prædicti Decreti intelligitur prohibita Missæ celebratio in Oratoriis privatis, etiam eo die, ad quem transfertur Annunciatio cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus; prout statutum fuit in Decreto emanato 1690. 11. Februarii, & 11. Martii, dato in nostro Indice sub n. 495. Deinde advertere debemus, quod in prædictis Oratoriis privatis neque potest celebrari Feria 5. in Cœna Domini; ut colligi potest ex Decreto emanato 1712. 15. Martii, & dato in nostro Indice sub n. 620. & talis prohibitio intelligenda est etiam eo Anno, in quo in tali Feria 5. occurrit Festum S. Josephi, vel Annunciationis; licet in dictis casibus aliqua permittantur Missæ Privatae in Ecclesiis, & Oratoriis publicis; ut liquet ex Decretis emanatis 1692. 13. Septembris, & 1716. 12. Septembris. Denique neque celebrari Missa permittitur in prædictis Oratoriis in Sabbato Sancto; ut clarè patet ex allegato Decreto emanato Anno 1690. 11. Februarii, & 11. Martii.

Missæ plures non possunt celebrari in Cappellis privatis nobilium, Ita S. R. C. 13. Februarii 1667. & datur in nostro Indice sub num. 428.

In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licet Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscunque, etiam Episcopis, celebrare, ubi unica Missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit; prout videre est etiam reliqua contenta in Decreto Apostolico emanato die 15. Decembris 1703. & dato in nostro Indice sub num. 579.

Sacra autem Concilii Congregatio die 30. Maji 1699. in Neapolitana statuit, quod si Regulares celebraverint Missas in Oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica Missa in Apostolico indulto concessa, potest Episcopus in eos animadvertere, servatâ formâ Concilii: refert hoc

statutum Monacellus in Formulario leg. practico part. 1. tit. 6. formula 20. sub n. 10. In privatis cubiculis Regularium perhibetur erectio Altaris, in quo Missa celebratur, sub quocunque prætextu, S. R. C. approbante etiam Innocentio XIII. 13. Martii 1723. & in nostro Indice fultus sub n. 648.

Missæ Sacrificium peragi potest in publico Oratorio extra aliquod Oppidum, conducto, de licentia Episcopi, in diebus festis omnibus Anni, etiam contradicente Parocho pro commoditate villicorum circumhabitatorum; dummodo habeat omnia requisita Ecclesiam, vel saltem ad publicum Oratorium constituerendum, S. R. C. 2. Septembris 1661. & in nostro Indice sub n. 392.

III. Gavant, pag. 56. col. 1. ead. lit. m. tamen intelligitur domus privata Episcopi. Quamvis Episcopi in propria domo peragi possint habere Oratorium, in quo celebratur quotidie Sacrificium Eucharisticum, nihilominus extra domum propriæ habitations non licet Episcopis in domibus laicis erigere Altare, statuit Clemens XI. ut habetur in Decreto à nobis dato sub n. 578. Verum prædictum Decretum, ad Episcopos quod attinet moderatum fuit ab Innocentio XIII. die 2. Maji 1723. in sua Constitutione edita super Ecclesiastica disciplina in Regnis Hispaniarum sub n. 23. prædicta autem Constitutio incipit his verbis: *Apostolici Ministerii* Eandem moderationem quoad Episcopos confirmavit Benedictus XIII die 17. Septembris 1724. in sua Constitutione, quæ incipit: *In supremo Militantis Ecclesia*: & datur in Synodo Romana habita An. 1725. tit. 1. cap. 3. ubi iterum referantur prædicta verba Innocentii XIII. quæ dantur etiam in nostro Indice sub num. 649.

IV. Gavant, pag. 56. col. 1. ead. lit. m. non fiat, nisi in Altari. Certissimum est Sacrificium Eucharisticum peragi non posse, nisi in Altari, sive fixo, sive portatili.



& ab Episcopo consecrato. Dubitatur tamen, utrum in casu necessitatis, v. g. defendendi Viaticum infirmo, possit Missa celebrari extra Altare consecratum. *Quarti part. 1. tit. 20. dub. 7.* sustinet, nunquam licere absque Altari consecrato celebrare, nisi adesset periculum vitæ, vel infamiae; dummodò tamen metus non esset incussus in contemptum Religionis, sed solum ob alium finem indifferenter; cui sententia adhæret etiam Bissus *lit. A. n. 243. §. 6.*

Hujusmodi Altaria, in quibus offertur quotidie Eucharistica Victimæ, debent esse munda; ideoque laudabile erit, bis saltem in Anno ea, finitis Missis, spoliare, & scopis reverenter undequaque mundare: id etiam fieri debet quotiescunque mutantur mappa; & ut facilius munda custodiantur, laudabile erit, pannum lineum ceratum, ad mensuram Altaris factum, super ipsius mensam sternere. Gerlacus Vinitor in suis adnotationibus super hunc titulum *n. 7.* qui hoc eruit ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part. 4. cap. 14. tit. de mensa, Altari, & tela cerata.*

Ut Altaris mappa munda ab omni pulvere, cera, aliave sorde conserventur, finitis Missis contegantur tela viridi, aut aliis stragulis: prius verò leviter purissima scopula ejus generis, quod pro vestimentis adhibetur, purgentur; & idem fiat, quando manè eadem Altaria deteguntur, ut semper mundissima appareant. Gerlacus Vinitor *§. 11.* cum Gavanto, & ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis.

Probè etiam hic notandum est, quòd sub iisdem Altaribus recondi non possint, nec debeant, nisi Corpora & Reliquiæ Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. Si verò sub Altari, vel sub ejus gradibus, humata sint aliorum Defunctorum cadavera, non debet in eo celebrari, donec aliò transferantur. *Congr. Cardin. super negotia Episc. 10. Novemb. 1599.*

V. Gavant. pag. 57. col. 1. lit. p. *Ara lapidea, &c.* Communis est sententia Doctorum, aram Altaris, super qua peragitur Sa-

crificium, debere esse lapideam; nec posse constare duobus lapidibus adunatis, quia alioquin in duobus Altaribus fieret consecratio, in uno Hostiæ, in altero Calicis. Debet igitur lapis constituens aram esse unus, & integer, illiusque extensionis, quæ à Gavanto hoc loco describitur.

Decreta autem pertinentia ad hanc materiam Altarium fixorum, seu portatilium, hæc sunt:

Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante Constitutione Synodali; dummodò habeat solitum Reliquiarum repositorium. S. R. C. 10. Novembris 1612. & in nostro Indice sub *n. 132.*

Altare ligneum si quis voluerit ædificare in sua Cappella, non indiget facultate S. R. C. dummodò Altare ligneum cum Sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, & Altaris portatilis imaginem non præferat. S. R. C. 3. Decembris 1661. & in nostro Indice sub *n. 393.*

Cancellos, qui circumstant Altaria, Presbyteri tantum, & Clerici ingrediantur; neque ullo modo ibi Seculares, maximè dum Divina Mysteria celebrantur, admitti debent, idque sæpe Patres admonent, & Apostolica Decreta præscribunt; ut liquet in Concilio Romano *supracit. tit. 28. cap. 4.*

VI. Gavant. pag. 59. col. 1. lit. u. *Quæritur, an in Altari, cujus icon, seu tabula, &c.* Rubrica *n. 1. p. 56.* præscribit, in Altari, ubi Sacrificium peragitur, ponendam esse Crucem inter candelabra; de qua latè Gavantus in suis Commentariis. Quærit autem hoc loco, utrum collocanda sit talis Crux, quando in Altari est icon, seu tabula picta, seu statua, ubi est Crucifixi imago: & resolvit, hoc non sufficere; sed adhuc juxta dispositionem Rubricæ debere poni Crucem distinctam ab illa imagine. Nihilominus alii, quos refert *Quarti part. 1. tit. 20. dub. 10.* in fine, sentiunt, quòd in prædicto casu non requiritur Crux altera, seu distincta ab icone, seu imagine Crucifixi, si sit in



prospectu, & ob oculos Sacerdotis: hac ducti ratione, quia, quando Rubrica praescribit, ponendam esse Crucem inter candelabra, debet intelligi regulariter, quando icon Altaris non est tabula, seu statua Crucifixi, cum habeatur finis intentus à Rubrica per iconem, vel imaginem Crucifixi: quae quidem sententia propugnata à Diana, Tamburino, Trimarchio, Grifolio, relatis à Quarti, quoad statuum Crucifixi in Altari collocatam loco iconis, vel tabulae, confirmata remanet per Decretum S. R. C. 4. Augusti 1663. & datum in nostro Indice sub n. 400. in quo habetur.

In Altari, in quo adest magna statua Sanctissimi Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Missa.

Aliam quaestionem proponit noster Quarti *loc. cit.* nimirum, utrum sufficienter adimpleatur dispositio Rubricae, si ponatur in Altari Crux nuda inter candelabra sine imagine Crucifixi. Gavantus videtur requirere Crucem cum imagine Crucifixi, quod reverà optimum consilium est; sed cum Rubrica nihil exprimat de imagine Crucifixi, videtur fieri satis dispositioni, si ponatur sola Crux sine ulla imagine Crucifixi inter candelabra: & ita tenet etiam Bissus *lit. A. n. 284. §. 2.* Imò addit Quarti, sufficere praedictam Crucis imaginem in tabula, vel pariete depictam. Verùm idem Quarti, loquens de parva Cruce, quae aliquando est in summitate Tabernaculi, in quo servatur Sanctissimum Sacramentum, dicit hanc non sufficere; quia non est ob oculos Sacerdotis celebrantis, neque apta fini, propter quem Crux adhibenda praescribitur.

VII. Gravis etiam agitur quaestio inter Doctores: utrum in Altari, in quo est expositum Sanctissimum Sacramentum, debeat apponi aliqua parva Crux, quando in eodem Altari Missa celebratur. Gavantus *part. 2. tit. 14. n. 6.* sententiam tenet negativam, non ex professo, sed obiter: nam loquendo de incensatione Altaris quando est expositum

SS. Sacramentum, ait: *Pro Cruce, quae ibi se non debet, incensatur Sacramentum.* Gavanto adherent Bissus *lit. C. n. 586.* Bauldry, & alii multi. Contrariam sententiam tuerent Pasqualigus *tom. 1. Sacrificio novae Legis quast. 715. n. 1.* ait: *Necessaria est Crux pro observantia Eucharistiae in Altari, sive ibi constructur Eucharistia, sive non: sive ibi sit exposita, sive non.* Tractat etiam huius sententiae Paulus Maria Quercetanus *part. 1. suorum Comment. in Missalis Rubricis, 20.* necnon Didacus Diaz de Escobar ritissimus Ceremoniarum Magister Metropolitanae Hispalensis Ecclesiae in Directorio Divini Officii, quod ipse evulgavit anno 1683. Denique amplectuntur hanc sententiam Henao *tom. 2. de Sacrif. Missae dispensat. sect. 5. n. 90. & 91.* Oliverius Bonaventura *Missae Sacrif. lib. 1. cap. 19. n. 3.* Ceremoniale PP. Excalceatorum SS. Trinitatis *1. c. 2. §. 2. n. 11.* necnon Ceremoniale S. M. de Mercede Redemptionis captivorum *tract. 3. cap. 15. n. 6.* à qua quidem sententia recedere non possumus, quia haec controversia nunc est decisa à S. R. C. quae *24. Maji 1707. in una Senarum statuta* declaravit, nunquam omittendam esse Crucem in Altari, etiam ubi est expositum Sacramentum; quod quidem Decretum est in nostro Indice sub n. 604. & est commendandum, quia est conforme Rubricae, quae indefinite loquitur de Cruce ponenda super Altari, ubi Sacrificium celebratur, nullam admittendo exceptionem quando autem lex non distinguit, neque distinguere debemus: sive igitur sit expositum Sacramentum in Altari, sive non, per adesse debet Crux cum imagine Crucifixi.

Neque officit, quod ubi est figuratum nempè Christus Dominus realiter praesens sub speciebus Eucharisticis, non requiritur figura, nempè Crux cum imagine Crucifixi: nam figuratum est quidem praesens realiter ob oculos Fidei, & mentis; nec



ob oculos corporis: Rubrica autem præscribit præsentiam figuræ, quæ sit ob oculos corporis Sacerdotis celebrantis; ut facilius actu sibi revocet in memoriam passionem Christi, ejusque cruentum Sacrificium; quæ quidem memoria, attentâ infirmitate nostrarum distractionum, magis ex Crucis sensibilis aspectu, quam ex ipsa Hostia consecrata excitatur; ut fatetur etiam Gavantus supra, ubi sustinet, requiri Crucem in Altari, ubi est reconditum SS. Sacramentum: & ideo statutum est à SS. PP. ut ait Divus Bonaventura de *Myst.rio Missæ* etiam à Gavanto relatus -- Ne quisquam in aliquo loco Missam celebret, nisi ubi imago posita sit Crucifixi.

Rursus neque incongruum est, figuram eum figurato adesse simul; ut bene enim ponderat Quarti, nullum est inconveniens, ut ubi est persona Principis, ibi sint etiam ejus insignia, & imago: axioma autem illud: *ubi est figuratum, debet cessare figura*: intelligi debet, ut explicat idem Quarti, de Sacrificiis veteris legis, quæ erant figura Sacrificii Crucis, & Christi crucifixi; non verò de imagine Crucis, & Crucifixi, quæ representatur ipsa realis Crucifixio jam consummata; quæ omnibus modis recolenda est, & memoriæ commendanda, dum celebratur idem Christi Sacrificium incruentum: alioquin post Consecrationem jam peractam oporteret removere Crucem ab Altari, ne simul cum figura esset præfens figuratum; & tamen etiam post Consecrationem, juxta Rubricarum dispositiones, requiritur Crux cum imagine Crucifixi in Altari, ubi Sacrificium peragitur: imò nullum est inconveniens, quòd in eadem Hostia consecrata habeatur impressa imago Crucifixi.

Cæterùm, utrùm præfata Rubrica de apponenda Cruce super Altari sit præceptiva, & obliget sub gravi, Averfa de *Sacrif. Missæ quest. 11. sect. 3.* affirmativam tenet sententiam; negativam alii amplectuntur quoad culpam peccati mortalis in omissione

talis Crucis: sed ad summum culpam venialem committi ab iis, qui non servant talem Ritus, communior sententia sustinet: de prædicto enim præcepto sub mortali non constat, neque ex jure, neque ex consuetudine, quæ fuerit hoc animo introducta. Communiter tamen ita servatur, ait Anellus *lib. 1. cap. 8. dubio 8.* ex majori devotione, & ad Rubricæ directivæ, vel ad summum præceptivæ sub levi culpa satisfaciendum. Hanc sententiam tenet D. Thomas *Quolibet 9. artic. 5.* Suarez *disp. 81. sect. 6.* Vasquez *disp. 233. cap. 3.* De Lugo, Bonacina, & alii, quos citant, & sequuntur Diana *part. 10. tract. 15. resol. 28.* & Quarti supra citatus *dubio 10.* & recentissimè Raphaël ab Herifsonio in suo libro, cui Titulus *Manuductio Sacerdotis, &c. tract. 1. sect. 5. cap. 3.*

Inserenda hic sunt duo sequentia Decreta, utpote spectantia ad præsentem materiam.

Ante ostiolum Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, in quo depicta est imago D. N. J. C. non est retinendum vas florum, vel quid simile: sed potest collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in nostro Indice sub n. 555.

Cruces Altarium, seu Processionum non sunt benedicendæ de præcepto. S. R. C. 12. Julii 1704 & datur in nostro Indice sub n. 584. Sententiam huic Decreto conformem amplectitur Pignatellus *tom. 9. consul. 89.* ubi dicit, imagines, quæ adhibentur in Templis, posse, sed non debere necessariò benedicì.

VIII. Gavant. pag. 59. col. 1. lit. y *Puto ad literam, quia in cryptis fiebat Missæ &c.* Cereorum usum in Ecclesia fuisse etiam tempore persecutionum, tot à nostris Auctoribus probatum est argumentis, ut insanire omnino videantur Hæretici, qui id in dubium revocare conati sunt: unam hic S. Prudentii afferemus auctoritatem, quæ rem clarissimè demonstrabit: itaque Christianus ille Vates in Hymno, quem in honorem S. Laurentii composuit, sic Tyrannum alloquentem inducit.



*Hunc esse vestris orgiis  
Moremque, & artem proditum est,  
Hanc disciplinam saderis,  
Libent ut auro Aristites:  
Argenteis scyphis ferunt  
Fumare Sacrum Sanguinem;  
Autoque nocturnis Sacris  
Adflare fixos cereos.*

Ridiculum autem foret, alios hic intelligere cereos, quàm qui in celebratione Mysteriorum adhibebantur. Idcirco verò primis illis temporibus cereis utebatur Ecclesia, quia Sacrificia noctu celebrabantur; quod & laudati versus produnt, & non una Tertuliani auctoritas confirmare posset. Aliam verò rationem, quam hic Gavantus assignat, nimirum, quia in cryptis fiebat Missa, etsi possit videri probabilis, non sola tamen est, atque præcipua: non enim prioribus illis Seculis Fideles semper in cryptis Sacros conventus agebant. Redditâ verò Ecclesiæ pace, etiam in die accensi sunt cerei, non ad fugandas tenebras, ut scitè Hieronymus adnotavit; sed vel in lætitiæ signum, vel ad majus Sacrificiî decus, & pompam; hanc consuetudinem cum Vigilantius superstitionis argueret, meritò castigatus est ab Hieronymo. Videri possunt, quæ de cereorum antiquitate in Ecclesia eruditissimè scripta sunt à Josepho Vicecomite *lib. 7. de Missæ apparatu cap. 25.* à Card. Bona *lib. 1. cap. 25. n. 7.* & à Doctissimo Episcopo Sueffionensi in consultatione Claudii de Vert §. 26.

IX. Gavant. pag. 59. col. 2. ead. lit. y *An sufficiat unicum lumen, &c.* Aliquod lumen, dum Missa celebratur, requiritur ex gravi Ecclesiæ præcepto; ut fert communis sententia Doctorum, quam refert Suarez *tom. 3. in 3. partem disp. 8. sect. 6. §. 3.* & adeò urget hoc præceptum, ut sine ullo lumine licitum non sit celebrare, etiam ad communicandum infirmum moribundum; ut tenent Henriquez *lib. 9. de Eucharistia cap. 16.* Belarminus, Fagundez, & alii apud Quarti *part. 1. tit. 20. dub. 11.* consequenter à culpa le-

tali immunis non est, qui totam Missam vel partem illius notabilem in quocunque loco nullo ardente lumine celebrare audeat. An autem duo requirantur lumina ex vi præcepti Ecclesiastici, video à Doctoribus non putari. Placet nobis Azorii sententia, ut adhæret noster Gavantus, nimirum factum in casu necessitatis unico solo ardente ceri posse Missam peragi. Cætera ad hanc lumen materiam spectantia, satis resolvit id præclarissimus Auctor; & idcirco nihil aliud addimus.

X. Gavant. pag. 61. col. 2. lit. f §. *An quam in Mari, &c.* Gavanti sententiam requiritur etiam Rotarius ejusdem Congregationis Cleric. Reg. S. Pauli, scriptor inignis, & que Theologus, *tom. 3. sua Theologia Regalarium lib. 1. cap. 2. pun. 12. n. 9.* non solum ratione periculi effusionis Sanguinis, quod generaliter imminet celebrantibus in navi; sed etiam quia in navibus reperiri potest locus decens pro Sacrificiis pro qua sententia citat etiam Homobonus de examine *tom. 1. tract. 4. cap. 14.* Suarez, Angelum, Silvestrum, Dianam, & alios subdit verò, quòd loquendo de navigatione Indica, quæ fieri nequit nisi in magnis navibus, & in quibus per plures, & plures Menses notabilis hominum quantitas reperitur, possit celebrari, tranquillo tamen Mari, & sereno cælo, & à peritis nauticis habito testimonio de morali certitudine, quòd nullum instet periculum: tunc enim, aut ipsi quia in magnis illis navibus nullum est imminenti periculum, & facilè invenitur commodum locus decens ab omni immundicia, & factore purgatus; sed solet etiam adesse Cappella magnificè ornata; atque periculo effusionis Sanguinis ex improvisa Maris commotione facilè occurrit, quia pro brevi tempore celebrationis Missæ nautarum periculum has commotiones prævidere posset, & ante Missæ initium Sacerdotem monere, ne celebraret; ob has, inquam, rationes tenet præclarissimus Auctor, posse in magnis illis navibus Mis-



fam celebrari; quam sententiam sustinet etiam Giribaldus *tract. 5. cap. 8. n. 65.* Castropalaus *tract. 22. pun. 8. n. 10.* Fagundes *lib. 1. Præcept. 1. Eccles. c. 10. n. 15.* Vericell. *tit. 8. de Sacramento Eucharistia, quæst. 133. n. 14. & seqq. & quæst. 134.* Schiara in *Theologia Bellica tom. 2. lib. 7. difficultat. 3. n. 9. & 10.* Scortia *de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 13. num. 5.* alique apud Dianam *part. 5. tract. 3. resol. 40. & part. 9. tract. 1. resol. 45.* & alii apud Dandin. *de suspensis de heresi cap. 3. sect. 1. subsect. 4. n. 15. & seqq.* qui etiam subdit, nullo modo dici suspectum de hæresi Celebrantem supra Mare. Præfati omnes, inquam, Doctores in ea versantur sententia, quod habentes privilegium Altaris portatilis, dum Mare est tranquillum, & Cælum est ferenum, & absit periculum effusionis Sanguinis, possint in magnis navibus, & in loco ibi decenti, & honesto, celebrare. Et quamvis contrariæ opinionis Doctores, nimirum Turrecremata in *cap. Decedimus n. 5. de Consecratione dist. 1. Graff. decif. aur. part. 1. c. 5. 42. n. 10.* Pax Jordanus *elucubrat. part. 1. lib. 4. tit. 1.* Antonellus *de loco legali lib. 1. c. 5. n. 4.* sustineant, non posse dictos privilegiatos, etiam super magnis navibus in Mari, vel flumine tranquillo, uti Altari itinerario ad Missam celebrandam, hoc præfertim argumento permoti, quia Mare est instabile, super quo fidere non convenit Sacra Mysteria, & specialiter Sanguinem Domini nostri Jesu Christi; nihilominus quia experientia comprobatum est, in Mari tranquillo sub Cælo sereno in magnis navibus anchoratis nullius inconvenientis adesse periculum, nec in brevi spatio Missæ Mare vehementer conturbari posse; idè non est improbanda sententia illorum, qui hanc facultatem concedunt: & equidem in navigatione ad Indos super nave celebrasse dicit Franciscus de Lugo *lib. 5. de Sacramentis cap. 6. quæst. 1. n. 9. & 14.* Quod si in casu aliquo non prævideretur tempestas, seu Maris commotio, quæ inopinatè evenire posset, hoc ni-

hil officit probabilitati ejusdem sententiæ: in tali enim eventu non præviso à nautis etiam periculis, deberet Sacerdos se gerere eo modo, quo in aliqua Ecclesia faceret Celebrans, si terræmotus non prævisus insurgeret.

Non desunt tamen Auctores, qui adstruunt, in prædictis navibus Indicis speciale privilegium celebrandi concessum fuisse à Clemente VIII. & Paulo V. & hoc refert Pignatellus *tom. 8. consultat. 124. n. 1.* & recentissimè non solum dignitate, sed etiam scientia, ac pietate Eminentissimus Card. Petra in suis doctissimis Commentariis ad Constitutiones Apostolicas *Constit. 2. Urbani V.* docet, in hac re concludendum esse, ex sola concessione Altaris portatilis minimè inferri, quod quis possit eo uti in navibus cujuscunque sint generis: tum quia in hujusmodi privilegio apponi solet clausula, quod eo quis utatur *in loco honesto, & tuto*, ut in *Constit. 57.* Gregorii XIII. ad favorem PP. Missionariorum Societatis Jesu; unde excluduntur, ait ipse, naves, quæ sunt loca non tuta; tum quia Episcopi prohibere debent, ne Missæ Sacrificium celebretur in navigiis; ut ex resolutionibus S. C. apud Dianam citatum *resol. 45. §. ult. & Pignatellum cit. consult. 124. n. 4.* ubi adducit resolutiones Congregationis S. Officii. Imò ex stylo, & consuetudine id comprobari, prosequitur idem Eminentissimus Auctor, quia recurritur ad Summum Pontificem ad obtinendum hoc indultum: unde non ex solo privilegio Altaris portatilis, sed ex illo speciali celebrandi super Mare, censet secutas fuisse celebrationes per Missionarios, aliosque in casibus adductis à supracitatis Doctoribus. Hinc etiam milites Hierosolymitani habuissent privilegium Altaris portatilis; nihilominus petierunt speciale privilegium celebrandi in suis magnis navibus occasione longæ navigationis in alto Mari contra Infideles: & prævio voto S. C. Concilii sub die 13. Martii 1706. Clemens PP. XI. concessit dictæ Sacræ Religioni Hie-



rosolymitanæ, ut in suis navibus, quæ sunt magni ponderis, ac firmæ structuræ, cum unaquaque sustineat quinquaginta anea tormenta bellica, celebrari faciat Missam, eoduntaxat tempore, quo Mare est tranquillum, & Cælum serenum, & cum assistentia alterius Sacerdotis, seu Diaconi; ita ut adesse non possit periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione: habetur hoc privilegium in particulari Bullario Clementis XI. part. 1. *Constit. 26.* quæ incipit: *Exponi nobis.* Olim tamen denegatum fuit Principi Philiberto indultum, quod posset celebrari Missa super suis triremibus, quia istæ modico stante vento facile moventur: magnæ autem naves anchoris alligatæ immobiles ferè stant; & ideo in his, cum nullum subsit periculum, stante Mari tranquillo, effusionis Sanguinis, facilius conceditur Apostolicum indultum celebrandi Missam. Rursum dictum

privilegium fuisse passim denegatum à Summis Pontificibus, asseverat Card. Albicinus *Inconstantia in Fide cap. 34. n. 131.* ubi plures casus talis denegationis adducit, ubi illam, quæ data fuit, ut mox innuimus, Principi Philiberto, quoad celebrationem super triremibus.

Ceterùm plura extare antiquitatis monumenta, ex quibus colligitur, non tantum prius in Mari Missas celebratas extitisse, sed continuo super naves Eucharistiam deservisse olim solitum fuisse, colligitur ex Baronio Anno 57. & Anno 404. & Anno 700. ex Suario de S. Ludovico *ad diem 25. Aug.* & ex S. Gregorio, S. Ambrosio, & Metaphraste, Verricell. *de Apostolicis Missarum rit. 8. quæst. 133. n. 9.* Pasqualigo *de Sacra nova Legis quæst. 471. n. 3. & seqq.* Et hæc sint satis pro præsentis materia, & pro complemento hujus 1. Partis.



NOVÆ OBSERVATIONES ET ADDITIONES  
AD  
GAVANTI COMMENTARIA  
IN RUBRICAS  
MISSALIS ROMANI.

PARS SECUNDA  
RITUS SERVANDUS IN CELEBRATIONE MISSÆ

Tit. I. De Preparatione Sacerdotis Celebraturi.

I. Gavant, pag. 64. col. 1. lit. c *Et tempore Paschalis additur Alleluja.* Ita etiam ad finem cujuscunque Psalmi debet dici *Gloria Patri*, tempore Passionis, excepto ultimo triduo; quia hujusmodi preces Rubricas Officii, non verò Missalis sequuntur. Hyppolitus à Portu de cultu Dei, & hominum, &c. *tit. 1. Rubr. 1. n. 3.*

II. Gavant, pag. 64. col. 2. lit. c *La manus &c.* Hinc deducitur, errare omnes illos, qui statim lavant manus, & deinde accipiunt Missale, Missamque perquirunt, & sic cula ordinant: hæc enim omnia debent præcedere ante manuum lotionem: & deinde manibus lotis preparandus est Calix. Philippus Ayrault in Praxi Missæ Privatæ *part. 1. tit. 1. III.*